BIBLIOTHECA
FF. PRÆDICATORUM.
BENITIÆ.
No
B.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

INSTITUTIONES THEOLOGICÆ

QUAS AD USUM SCHOLARUM

AUCTORE AC MAGISTRO

DIVO THOMA AQUINATE

COMPOSUIT

FRATER THOMAS MARIA CERBONI

QUONDAM PROCURATOR GENERALIS

ORDINIS PRÆDICATORUM.

TOMUS QUARTUS

COMPLECTENS DISPUTATIONES DE PECCATO ORIGINALI, ET ACTUALI:

DE LEGIBUS: DE GRATIA.

Editio prima Hispana.

VALENTIÆ:

IN TYPOGRAPHIA ILDEPHONSI MOMPIÉ, VIÀ S. FERDINANDI.

ANNO 1824.



DISPUTAT. IX.

DE PECCATO ORIGINALI.

Lib. 3. superioris disputationis egimus de conditione prolis generandæ in statu innocentiæ, atque ostendimus omnes, qui in eo statu geniti essent, habituros fuisse originalem justitiam. In hac vero disputatione disseremus de eo principio, propter quod eadem justitia destituti nascuntur, qui ab Adamo suam originem ducunt. Hujusmodi ergo principium est peccatum originale, cujus vera fide semel sublata, e medio tollitur etiam fides eorum, quæ Christum respiciunt: *Quisquis* (inquit S. Augustinus lib. 1. *Cont. Julianum* nu. 20.) *in Christiana fide vult labefactare quod scriptum est: per hominem mors. . . . totum, quod in Christum credimus, auferre molitur.* Quinque libris hanc totam de peccato originali disputationem absolvemus: in 1. agemus de transfusione illius in posteros Adæ: in 2. de natura, seu essentia ejus: in 3. de subjecto: in 4. de effectibus: in 5. de pœna quæ in altera vita illi debetur.

LIBER PRIMUS.

De Transfusione peccati originalis in posteros Adæ.

Sicut ex Mario Mercatore novimus in *Commonitorio* contra Pelagianos, istud sane fuit primum, atque præcipuum caput Pelagianæ hæresis, videlicet: " Adam factum mortalem, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus fuisset. Quoniam peccatum Adæ ipsum solum læsit, et non totum genus humanum. Quoniam parvuli, qui in eo nascuntur, in eo statu sunt, in quo Adam fuit ante prævaricationem " (a) Contra transfusionem peccati originalis primo Theodorus Episcopus Mopsuestenus, deinde quidam Ruffinus presbyter insurrexerunt: utrum iste fuerit Ruffinus Aquilejensis, an Syrus, disputant inter se viri eruditi, quorum mentio fit et in *Observationibus* in Hist. Pelagian. Norisii cap. 2., et in Tract. Theol. *De peccato orig.* cap. 5. cujus auctor est P. Bernardus de Rubeis. A Ruffino hunc errorem hauserunt Pe-

(a) In Append. tom. X. Oper. S. August. edit Maur. par. 2.

2248

lagius, et Cælestius, sicuti tradit S. Augustinus in lib. *De Peccato Originali* num. 2., quorum sectator, et defensor acerrimus fuit Julianus, quem S. Augustinus una cum illis duobus in pluribus suis operibus refutavit. Alii deinde sequentibus seculis errori Pelagianorum adhæserunt, quos commemoratos legimus apud Bellarminum *De Amissione grat. et statu pecc.* lib. 4. cap. 2., et apud De Rubeis in citat. Tract. cap. 10. Inter hos autem præcipuum locum tenent Huldricus Zuinglius, Arminiani, et Sociniani. Immo vero etiam Richardum Simonium Bossuetius (a) jure merito reprehendit uti non alienum ab errore Pelagianorum, in medium allatis pluribus, quæ ipse Simonius habet tom. 4. *Hist. Crit.* Sequuti autem potissimum Sociniani fuisse videntur errorem quorumdam Pelagii sectatorum, qui nonnihil a Pelagio ipso recedentes tradiderunt mortem quidem cum aliis pœnis ab Adamo transfusam in posteros, non vero peccatum. Hos autem refutavit S. Augustinus lib. 4. *Cont. duas epist. Pelagian.* num. 5. et seqq. Prædictus error videtur expressus in hac damnata 56. propositione Baji: *In peccato duo suo sunt, actus, et reatus: transeunte actu, nihil manet, nisi reatus, sive obligatio ad pœnam.* Hunc librum in tria capita dividemus: in 1. agemus de transfusione peccati originalis in posteros Adæ, quatenus ea comprobatur auctoritate verbi Divini scripti: in 2. quatenus comprobatur auctoritate verbi Divini traditi: in 3. quatenus ratione comprobari potest.

CAPUT PRIMUM.

De Transfusione peccati originalis in posteros Adæ, quatenus ea comprobatur auctoritate verbi Divini scripti.

Peccatum originale esse illud dicitur, quod ab Adamo, sicut a prima origine, transfunditur in omnes posteros.

Prop. Constat ex Sacris litteris tum Veteris, tum Novi Testamenti, peccatum originale ab Adamo transmitti in omnes posteros.

Prob. prop. *Genes.* 17. 14. hæc leguntur: *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meum irritum fecit.* Hinc S. Augustinus lib. *De Pecc. Orig.* num. 35. "Hujus tam horribilis pœnæ justi-„tia (inquit) si quæratur, nonne istorum omnis de libero ar-„bitrio, et laudabili sanitate, et puritate naturæ, quamtumli-

(a) *Defense de la Tradit. et des Saints Peres* tom. 3. Operum illius edit. Amstelod. an. 1753.

„ bet arguta sit argumentatio, repercussa, et confracta dissiliet? „ Quid enim mali, quæso, parvulus propria voluntate commisit, „ ut, alio negligente, et eum non circumcidente, ipse damne- „ tur damnatione tam severa, ut pereat anima illa de populo „ suo? Neque enim temporalis mortis terror incussus est, quum „ de justis, quando moriebantur, tunc potius diceretur: et ap- „ positus est ad populum suum: vel: appositus est ad Patres „ suos." David *Psal.* 50. 6. ait: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea.* David profecto non fuerat ex adulterio conceptus, sed a Jesse viro justo, et conjuge illius natus erat: igitur peccatum, in quo se conceptum affirmavit, erat naturæ, atque originale, quum actuale illius esse non posset. Neque obstat, Davidem affirmare, se conceptum esse in peccatis: nam in textu hebraico ponitur numerus singularis: deinde, sicuti advertit S. Augustinus in *Enchirid.* numer. 13., et exemplis ex Scriptura desumptis ostendit, quandoque in Sacris litteris ponitur numerus pluralis pro singulari, sicuti *Matt.* 2. 20., et *Exodi* 32. 30. postremo licet peccatum, quod intravit in hunc mundum per unum hominem, fuerit unum; tamen in se plura peccata habuit. Hac de re videatur Sanctus Ambrosius lib. *De Pœnit.* cap. 3. numer. 13. et Sanctus Hieronymus in cap. 15. *Ezequiel.* Sanctus Thomas 1. 2. quæst. 82. art. 2. ad 1. ait " Quod pluraliter dicitur *in peccatis* secun- „ dum illum morem divinæ Scripturæ, quo frequenter ponitur „ pluralis numerus pro singulari, sicut *Mat.* 2. 20. *Defuncti „ sunt, qui quærebant animam pueri* vel quia in peccato ori- „ ginali virtualiter præexistunt omnia peccata actualia, sicut in „ quodam principio, unde est multiplex virtute: vel quia in „ peccato primi parentis, quod per originem traducitur, fue- „ runt plures deformitates, scilicet superbiæ, inobedientiæ, gu- „ læ, et alia hujusmodi: vel quia multæ partes animæ inficiun- „ tur per peccatum originale."

Socinus (a) in *Prælect. Theol.* cap. 4. ait., Psalmistæ modum loquendi hyperbolicum esse, atque figuratum, sicuti illud *Psal.* 57. 4. *Alienati sunt peccatores a vulva, erraverunt ab utero*, et iterum *Isai.* 48. 8. *Scio enim, quia prævaricans prævaricaberis, et transgressorem ex utero vocabi te* (b).

At vero Socinus obtegere veritatem semper nititur. Quemnam ergo sensum illa duo loca habeant, S. Augustinus solide pro suo more explicavit. Ita ergo habet S. Doctor in *Psal.* 57. *Enarrat.* num. 5., " Quid est hoc? quæramus diligentius: for- „ tassis enim illud dicit, quia Deus novit peccatores etiam in

(a) Tom. II. Bibliot. Frat. Polon.

(b) Socino etiam Grotius assentitur, quem Bossuetius solide refutavit. Vid. De Rubeis in *Tract. Theol. De Pec. Orig.*

„ uteris matrum. Unde quum adhuc prægnans esset Rebecca, et „ geminos in utero portaret, dictum est: Jacob dilexi, Esau „ odio habui". Huc quoque spectant verba Isaiæ: iisdem enim significatur, Deum semper novisse tum omnes prævaricationes, tum cunctos prævaricatores, etiam dum in utero gestarentur. At vero, sicut inquit S. Augustinus *Enarrat.* in *Psal.* 50. num. 10: "nunquid „ David de adulterio natus erat, de Jesse viro justo, et conjuge ip„ sius? Quid est, quod dicit, se in iniquitate conceptum, nisi quia „ trahitur iniquitas ex Adam? . . . Nemo nascitur, nisi trahens „ pœnam, trahens meritum pœnæ. Dicit et in alio loco Prophe„ ta nemo mundus in conspectu tuo, nec infans, cujus est unius „ diei vita super terram".

Nunc veniamus ad loca Novi Testamenti: Apostolus *Roman.* 5. 12. dicit: *Propterea sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Aliquod ergo peccatum intravit in hunc mundum, et intravit per unum hominem: hic autem unus homo omnium primus esse debuit, alioquin peccatum transire per eum non potuisset in omnes homines, neque etiam transire potuisset in omnes homines si omnes homines in ipso non peccassent. Omnino ergo constat ex verbis Apostoli de existentia peccati originalis.

Tam apertum testimonium adversarii triplici ratione eludere conantur: 1. dicunt, Apostolum non respicere peccatum originale filiorum Adam, sed actuale ipsius Adami quod per unum hominem in hunc mundum intrasse dicitur, quatenus ab Adamo incœpit peccatum esse in hoc mundo: 2. peccatum ab Apostolo sumi metonymice, hoc est, pro pœna, seu effectu peccati, quatenus scilicet, primo homine peccante, proclivitas ad peccandum, mortalitas, aliæque ærumnæ intrarunt in hunc mundum: 3. per Adamum intrasse peccatum in hunc mundum non secundum originem, et propagationem, sed per imitationem, quia videlicet Adam peccando alios suo pravo exemplo ad peccatum induxit. Verum sunt hæc omnia, ad libidinem excogitata.

De primo videamus: profecto Apostolus de peccatore singillatim loquitur, quo peccante, factum est, ut peccatum intraverit in hunc mundum: quare supponit quidem Adami peccatum actuale; verum simul affirmat ex eo consequutum fuisse, ut omnes effecti sint peccatores, quia in illo nemo non peccavit. Hæc per se cadunt in animum, immo etiam in oculum legentis verba ipsius Apostoli.

Alterum non minus falsum est, quam primum: licet enim quandoque in Sacris litteris sub nomine peccati veniat pœna ipsius peccati, qua ratione concupiscentia dicitur peccatum; tamen hoc in loco nomine peccati effectus ipsius peccati repugnat, ut intelligatur. Nam Apostolus duo distincte commemorat

scilicet tam peccatum Adami, quam peccatum totius humani generis in ipso Adamo peccantis, proptereaque factum fuisse dicit, ut mors in omnes pertransierit. Deinde si non est in nobis peccatum originis, injuste nobis infligerentur mors, et aliæ pœnæ, quia sicuti habet S. Augustinus lib. 4. *Cont. duas epist. Pelagianorum* num. 5. *tunc mors traheretur sine meritis mortis.* At vero *stipendia peccati mors*, inquit Apostolus *Roman.* 6. 23. Tandem si in loco Apostoli peccatum sumatur metonymice, intelligaturque ipsa mors sub nomine peccati, hic esset sensus verborum Apostoli: mors in hunc mundum intravit, et per mortem mors; quo sane nihil magis ineptum confingi potest. Quare neque etiam proclivitatem ad peccandum dici potest sub nomine peccati ab Apostolo designatam esse: tunc enim sequeretur, proclivitatem ad peccandum esse causam proclivitatis ad peccandum.

Socinus quoque in *Prælect. Theol.* cap. 4. ex testimonio Apostoli constare dicit de summa proclivitate ad peccandum: contendit ulterius, loqui Apostolum præcipue non de natura cujusque hominis, sed de eo, quod in plerisque contingit, nec ab illo considerari hominem simpliciter in se, sed quatenus homo est sub lege, quæ si inveniat illum, sicut sunt plerique, male cupiditati obnoxium, ab ea non liberat.

De proclivitate ad peccandum non est, cur alia dicamus: loqui autem Apostolum de natura cujusque hominis, nemine excepto, tam manifestum est, quam quod maxime: dicit enim, et peccatum intrasse in hunc mundum per unum hominem, et in hoc homine omnes peccasse, atque ulterius inquit ejusdem cap. v. 18. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem.* Apostolus quidem, postquam loquutus fuit de peccato, quod per Adamum in omnes transiit, superaddit ejusdem cap. v. 13. *Usque ad legem enim peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, quum lex non esset.* Verum hoc „ Planum est (sicuti inquit S. Thomas lect. 4. in cap. 5. epist. „ ad Romanos) si intelligatur de lege naturali: quamvis enim „ peccatum sit in parvulo ante legem naturalem, et reputetur „ ei a Deo, non tamen imputatur ei apud homines: si autem „ intelligatur de lege Moysis, planum est quantum ad aliqua „ peccata actualia, quod non imputabantur ante legem ". Quare „ nihil minus, quam quod Socinus vellet, colligitur ex iis, quæ habet Apostolus, postquam egit de transfusione peccati originalis.

Tertium nunc expendamus. Profecto Apostolus in epistola ad *Romanos* illud docere sibi proposuerat, omnes, sive Judæos sive Gentiles ad gratiam Evangelii sine ullis meritis præcedentibus vocatos fuisse. Id autem in hoc cap. 5. inde probat effi-

caciter, quia peccatum originale omnes contraxerunt. Si autem peccatum originale sola imitatione transisset in posteros, argumentum illius nullam ad persuadendum efficaciam habuisset. Deinde quando Apostolus in cit. cap. v. 18. dicit: *sicut per unius delictum* ponit adverbium similitudinis, hæc autem similitudo quemadmodum constat etiam ex ipso contextu, refertur ad Christum, indeque ait: *Sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Justitia autem per Christum in regenerationem vitæ intravit in hunc mundum non per imitationem Christi, sed regeneratione, que fit per Christum: igitur etiam peccatum intravit in hunc mundum non per imitationem Adami, sed per generationem ex Adamo. " Imitantur quidem Adam (inquit „ S. Augustinus lib. 1. *De peccat. merit. et remiss.* num. 10.) „ quotquot per inobedientiam transgrediuntur mandatum Dei: „ sed aliud est, quod exemplum est voluntate peccantibus: aliud „ quod origo est cum peccato nascentibus. Nam et Christum „ imitantur Sancti ejus ad sequendam justitiam. . . sed præter „ hanc imitationem, gratia ejus justificationem, illuminationem- „ que nostram etiam intrinsecus operatur. . . Sic et ille, in quo „ omnes moriuntur, præter quod eis, qui præceptum Domini „ voluntate transgrediuntur, imitationis exemplum est, occulta „ etiam tabe carnalis concupiscentiæ suæ tabificavit in se omnes „ de sua stirpe venientes". Antea vero, scilicet num. 9., monet S. Augustinus, Apostolum dicturum fuisse non Adam, sed diabolum esse principem peccati, semel ac voluisset commemorare illud peccatum, quod intravit in hunc mundum imitatione, non propagatione. Nam sicuti legitur *Sapient.* 2. 24. *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Quia vero, superaddit S. Augustinus: "ista mors sic a diabolo venit in ho- „ mines, non quod ab illo fuerint propagati, continuo subjun- „ xit (v. 25.) *imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.* „ Proinde Apostolus quum illud peccatum, et mortem comme- „ moraret, quæ ab uno in omnes propagatione transiisset, eum „ principem posuit, a quo propagatio generis humani sumpsit „ exordium."

Non est, cur nunc præter instituti nostri rationem Augustini partes defendendas suscipiamus contra Joan. Phereponum *Animadv.* ad epist. Augustini 157. num. 1., et ep. 176. n. 2., qui non dubitavit affirmare, S. Augustinum confidentius explicavisse locum Pauli *Roman.* 5., eumque pertinere ad adultos, si ratio habeatur loquutionis Græcæ *in quo omnes peccaverunt.* Nam Erasmum, cujus explicationi Phereponus nititur, Belarminus *De amiss. grat. et statu pecc.* lib. 4. cap. 3., Phereponum autem una cum Erasmo Bertius *De Theol. Discipl.* lib. 13. cap. 1. solide confutarunt.

Quod tradidit *Roman.* 5. confirmat Apostolus *II. Cor.* 5. 14.

et seq. dicens : *Si unus pro omnibus mortuus est : ergo omnes mortui sunt , et pro omnibus mortuus est Christus.* Ex quibus ita S. Augustinus lib. 6. *Cont. Julia.* num. 24. "Unus enim pro „ omnibus mortuus est : ergo omnes mortui sunt, pro quibus „ Christus mortuus est. Nega igitur, Christum etiam pro par- „ vulis mortuum, ut eximas eos de numero mortuorum, hoc est, „ de contagio peccatorum. *Quid fieri potest*, inquis, *ut res „ arbitrii conditioni seminum misceatur?* Si fieri non posset, „ non esset, unde parvulos nondum de corpore egressos mor- „ tuos diceremus. Quia si Christus et pro ipsis mortuus est; „ ergo et ipsi mortui sunt. . . . Audisne, Juliane? Hæc Apos- „ toli verba, non mea sunt. Quid a me quæris, quo sit factum „ modo, si Apostolo credis aliquo modo, qui de Christo, et „ de iis, pro quibus mortuus est Christus, mentiri potuit nullo „ modo ".

Tandem Apostolus, ut alia omittamus, *Ephes.* 2. 3. *Et eramus natura filii iræ , sicut et ceteri*, hoc est, sicuti alii omnes ex Adamo progeniti. *Eramus*, inquam, *natura*, videlicet, sicut explicat S. Thomas lect. 1. in cit. cap. 2. per originem na- „ turæ : non quidem naturæ, ut natura est a Deo, sed naturæ, „ ut vitiata est, *filii iræ*, id est, vindictæ, pœnæ, et gehen- „ næ et hoc, *sicut et ceteri*, id est Gentiles ". Juliano autem reponenti, posse intelligi non *natura*, sed *prorsus* filii iræ, S. Augustinus lib. 7. contra eumdem num. 33. ita respondet : "Non- „ ne hic admoneri debuisti, antiquam contra vos defendi Catho- „ licam fidem, quia non fere invenitur latinus codex, si non a „ vobis nunc incipiat emendari, vel potius in mendum mutari, „ ubi non *natura* sit scriptum? Quod utique cavere debuit in- „ terpretum antiquitas, cui vestra cœpit resistere novitas ".

Dices et 1. quidem : *Ezechiel.* 18. 20. dicitur : *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur : et filius non portabit iniquitatem patris :* sed hoc verum non esset, semel supposita transfusione peccati originalis : ergo 2: Apostolus *Roman.* 4. 15. ait : *Ubi non est lex, nec prævaricatio :* sed infantes non sunt capaces legis : ergo nec prævaricationis : 3. *Roman.* 5. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit :* ergo non generatione, quæ fit per duos : 4. Eodem cap. v. 14. *Regnavit mors ab Adam etiam in eos, qui non peccaverunt :* ergo quia mors transivit in omnes, inde non sequitur, quod transierit et peccatum: 5. Eodem cap. v. 19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi ; ita et per unius obeditionem justi constituentur multi.* Si autem peccatum per generationem traduceretur, non in multos, sed in omnes traduceretur. Neque Paulus sub nomine multorum intelligit omnes : nam comparationem facit inter inobedientiam Adami, et obedientiam Christi, atque vult, ista multos constitui justos, sicut illa

multos peccatores : sed obedientia Christi non omnes constituuntur justi, quia non omnes recipiunt fidem illius : erga etiam inobedientia Adami solum multi constituuntur peccatores, alioquin delictum magis abundasset, quam gratia, contra ac Apostolus docet in eodem cap. v. 15. et 20. 6. Idem Apostolus II. *Corint.* 5. 10. ait : *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum :* parvuli autem proprium peccatum non habent : ergo.

R. ad 1., Filium non portare iniquitatem patris, semel, ac non sit particeps illius : " Dicendum, (inquit S. Thomas 1. 2. „ qu. 81. ar. 1. ad 1.) quod filius dicitur non portare iniqui- „ tatem patris, quia non punitur pro peccato patris, nisi sit par- „ ticeps culpæ. Et sic est in proposito : derivatur enim per ori- „ ginem culpa a patre in filium, sicut et peccatum actuale per „ imitationem ". Et S. Augustinus lib. 6. *Cont. Julianum.* num. 28. "Parentum autem peccata (inquit) modo quodam dicuntur „ aliena, et rursus modo quodam reperiuntur et nostra : aliena „ quippe proprietate sunt actionis, nostra sunt autem contagio- „ ne propaginis ".

R. ad 2., Apostolum quidem velle, nullum prævaricationi locum esse posse, semel ac nulla sit lex. Quid tamen inde colligere Pelagiani pro se possint, sane non video : nam lex Adamo indicta fuit : hanc ipse non servavit, indeque peccatum, et mors in hunc mundum intraverunt, quia omnes in illo peccavere. *Prævaricata ergo lege, quæ in paradiso data est* (ait S. Augustinus ep. 157. num. 15., alias ep. 89.) *nascitur homo ex Adam cum lege peccati, et mortis.*

R. ad 3. Cum S. Augustino lib. 2. *Oper. Imp.* cap. 56. ita Julianum alloquente : " Cur ergo non vis attendere, propterea „ potius Apostolum unum dixisse hominem, per quem peccatum „ intravit in mundum, quia non imitationem, sed generationem „ volebat intelligi ! Sicut enim a muliere initium peccati fuit ; „ sic initium generationis a viro est : prior enim vir seminat, „ ut fæmina pariat ". Superaddit cap. seq. Quamvis possim dice- „ re, ideo non duos, sed unum hominem dixisse Apostolum, per „ quem peccatum intravit in mundum, quia scriptum est : erunt „ duo in carne una ".

R. ad 4., Nos fateri, mortem regnasse etiam in illos, qui non peccaverunt ; verum *per peccatum mors*, inquit Apostolus, Quia ergo peccatum transfusum fuit in omnes, mors quoque in omnes transfusa fuit, qui non peccaverunt in *similitudinem prævaricationis Adæ, qui est forma futuri*, sicut statim superaddit Apostolus : id est (sicut ait S. Augustinus lib. 1. *De Pecc. me-* „ *rit. et remiss.* num. 13. " qui nondum sua, et propria vo- „ luntate, sicut ille, peccaverunt, sed ab illo peccatum origi-

„ nale traxerunt : *qui est forma futuri* , quia in illo constituta „ est forma condemnationis futuris posteris , qui ex ejus propa- „ gine crearentur , ut ex uno omnes in condemnationem nasce- „ rentur ". Quare regnavit mors ex uno , qui actualiter peccavit, in eos , qui non actualiter peccaverunt, quia omnes ex propagine illius , omnesque ex eo in comdemnationem nascuntur.

Respondet ad 5. ita Augustinus lib. 6. *Cont. Julia.* num. 80. " Quum dictum est : per unum in omnes transisse peccatum , et „ postea per unius inobedientiam peccatores constitutos multos, „ ipsi sunt multi , qui et omnes. Similiter quum dictum est : „ per unius justificationem in omnes homines ad justificationem „ vitæ ; et rursus dictum est : per unius obedientiam justi cons- „ tituentur multi : non aliquibus exceptis , sed eosdem multos, „ omnes oportet intelligi : non quia omnes homines justificentur „ in Christo , sed quia omnes , qui justificantur , non aliter „ possunt justificari , quam in Christo. . . . Omnes ergo ad „ mortem per Adam , omnes ad vitam per Christum. Quia sicut „ in Adam omnes moriuntur ; ita et in Christo omnes vivifica- „ buntur , id est , ex prima origine generis humani nemo ad „ mortem , nisi per Adam , et nemo per Adam nisi ad mor- „ tem : et nemo ad vitam nisi per Christum , et nemo per „ Christum , nisi ad vitam ". Eadem docet Angelicus lect. 5. in cap. 5. ep. *ad Rom.*

Apostolus autem non comparat multos mortuos ob delictum unius cum multis , in quibus abundavit donum Christi , sed ipsum delictum cum dono : unde dicit initio v. 15. *Non sicut delictum , ita et donum.* Hoc ergo donum vult magis abundasse non quidem in multo plures , sed in plures magis abundasse. " Adam quippe (ait S. Augustinus lib. 1. *De Pecc. merit. et* „ *remiss.* numer. 14. (ex uno delicto suo reos genuit , Chris- „ tus autem etiam quæ homines delicta propriæ voluntatis ad „ originale , in quo nati sunt , addiderunt , gratia sua solvit, „ atque donavit ".

R. ad ultimum cum S. Augustino lib. 6. *Cont. Julian.* num. 29. ita illum refellente : " Quomodo in parvulis accipis ? Utrum „ et ipsi ante tribunal Christi manifestabuntur , an non ? si non „ manifestabuntur , quid te adjuvat ista sententia , quando ad „ eos non pertinet , quorum nunc causa agitur ? Si autem mani- „ festabuntur , quomodo reportat eorum quisque quod gessit, „ qui nihil gessit , nisi quia pertinet ad eos , quod per corda, „ et ora gestantium sive credunt , sive non credunt ? *Propria* „ *corporis sui* enim dixit , quod ad unumquemque in se ipso iam „ viventem pertinet. Nam quomodo reportat bonum , ut intret „ in regnum Dei , si hoc reportat quisque quod gessit , nisi „ quia pertinet ad parvulum etiam quod per alterum gessit , id „ est , credidit ? Sicut itaque quod credidit , pertinet ad eum,

„ ut reportet bonum, hoc est, percipiat Dei regnum; sic ad „ eum pertinet, si non credidit, ut reportet condemnationis ju- „ dicium; quia Evangelica sententia est: qui non crediderit, „ condemnabitur ".

CAPUT SECUNDUM.

De Transfusione peccati originalis in posteros Adæ, quatenus de illa compertum est ex Traditione.

Illud præmittimus, in favorem Pelagii nihil inde colligi posse, quod in synodo Diospolitana quatuordecim Episcopi confessi fuerint, nimirum, eum esse *communionis ecclesiasticæ, et catholicæ*, sicuti legitur apud S. Augustinum in lib. *De Gestis Pelagii* num. 44. Pelagii enim vafritiem in fallendis subdola confessione Patribus Diospolitanis Innocentius Papa in ep. ad Africanos paucis exposuit. (a) Hoc in judicio Pelagium protulisse quasdam ab se scriptas Augustini familiares epistolas, sicut etiam aliorum Episcoporum, *quas pro se commemorandas, vel etiam legendas, vel allegandas putavit*, testatur idem Augustinus in cit. lib. num. 45. et 50., verum sicuti ostendit in eod. num. 45., neque amici Pelagii gloriari poterant, eum ob hoc judicium *purgatum esse*, multoque minus Pelagius habebat, cur se absolutum jactaret, sicut revera jactavit, quemadmodum ex Augustino novimus in citato lib. num. 54. Aliunde autem Patres Diospolitani non sunt culpandi; nam ipsi quidem Pelagii errores damnaverunt, non vero ipsum Pelagium, quia falsa illius confessione decepti fuere, sicut ostendit Augustinus tum in lib. *De Original. pecc.* num. 17. tum lib. 1. *Cont. Julian.* num. 19.: *Quod* (inquit in lib. *De Gestis Pelagii*) *et nobis forsitan contigisset, si cum eis in illo judicio sedissemus.* (b)

Prop. De transfusione peccati originalis in Adæ posteros constat ex traditione veterum Patrum.

Prob. prop. S. Justinus M. in *Dialogo cum Tryphone* num. 88. dicit, Christum natum, baptizatum, et crucifixum *pro humano genere, quod ab Adamo in mortem, et serpentis fraudem inciderat, unoquoque sua culpa improbe agente.* Duo in hanc rem S. Irenæi loca in medium producit S. Augustinus lib. 1. *Cont. Julia·* num. 5. In priori S. Irenæus lib. 4. *Cont. Hæ-*

(a) Inter August. olim 96., nunc 183.

(b) Vid. hac tota de re Cl. Norisius Hist. Pelag. lib. 1. cap., 8. et adnot.

res. cap. 5. num 7. " Non aliter (inquit) salvari homines ab an-
„ tiqua serpentis plaga, nisi credant in eum, qui secundum si-
„ militudinem carnis peccati in ligno martyrii exaltatus a ter-
„ ra, et omnia traxit ad se, et vivificavit mortuos". In altero ait lib. 5. *Cont. Hæres.* cap. 19. num. 1. "Et quemadmodum
„ adstrictum est morti genus humanum per virginem, solvatur
„ per virginem, æqua lance disposita virginalis inobedientiæ per
„ virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplasti peccato per
„ correptionem primogeniti emendationem accipiente, et serpentis
„ prudentia devicta in columbæ simplicitate, vinculis illis reso-
„ luti sumus per quæ alligati eramus morti". His autem locis S. Irenæi in medium prolatis, S. Augustinus ita ad Iulianum : *Videsne antiquum hominem Dei, quid de antiqua serpentis plaga sentiat? quid de similitudine peccati, per quam sanatur plaga serpentis in carne peccati? quid de protoplasti peccato, per quod alligati fueramus?* Verum S. Irenæus non in hisce solum duobus locis, sed etiam lib. 3. cap. 20. num. 1., lib. 5. cap. 14. num. 1., cap. 17. num. 1., et cap. 21. num. 1. docet transfusionem peccati originalis. S. Gregorii Nazianz. perspicua in hanc rem S. Augustinus in cit. lib. num. 15. testimonia protulit ex Oratione 38. desumpta. In Oratione etiam 5. ad Basilium post reditum ex fuga, et Oratione 14., quæ est tertia de pace, S. Gregorius tradit eamdem doctrinam. S. Athanasius *Orar. de Incarnat. Verbi* num. 14. de primordiis hominum a se disputandum esse dicit, ut perspiciatur, *nostram causam ejus adventus fuisse occasionem, nostroque peccato Verbi benignitatem excitatam.* S. Basilii perspicuum testimonium acceptum ex Homil. de jejunio num. 3. Juliano Augustinus opponit in eodem libro num. 18. S. Bassilius autem tam in Homil. *In famem et siccit.* num. 7., quam in Serm. *de Renuntiat. sec.* num. 7. rem eamdem, confirmat. Chrysostomi eadem, ac superiorum Patrum, sententia fuit, quidquid in contrarium nonnulli senserint, vel intemperatioris critices homines vel infecti errore Pelagianorum. Perspicua sane loca illius Sanc. Augustinus in eodem lib. num. 24. ad confutationem Juliani in medium adducit: hisce autem hæc alia nos superaddimus. Homil. 10. in epist. *ad Rom.* explicans quæ habet Apostolus *Rom.* 5. 15. ait numer. 1. *Id est, si peccatum tantum valuit, atque unius hominis peccatum; gratia... quomodo non longe superabit?* Ejusdem Homil. num. 3. explicans quod habet Apostolus in cit. cap. v. 16. inquit: *Ecquid hoc sibi vult? quod peccatum mortem, et damnationem inducere potuerit; gratia vero non modo illud peccatum abstulerit, sed alia quoque omnia, quæ post illum commissa sunt.* †Eadem Homil. num. 3. Postquam *enim* (Apostolus) *ostendit, ab Adamo damnatum orbem, et a Christo salute donatum; opportune de lege quærit.* Hæc ex Patribus Græcis.

Nunc de Latinis videamus. Tertullianus in lib. *De Anima* cap. 40. *Omnis anima* (inquit) *usque in Adam censetur, donec in Christo recenseatur: tandiu immunda, quandiu recenseatur. Peccatrix autem, quia immunda.* S. Cypriani plura evidentissima loca refert S. Augustinus *Cont. duas epist. Pelag.* lib. 4. num. 21. 22. et 23. desumpta ex lib. S. Martyris *De Oper. et Eleem., De Immort.*, et ex ep. 59. ad Fidum., in quibus omnibus locis hæc una semper S. Cypriani firma sententia est, propter peccatum Adæ transisse in omnes posteros peccatum, et mortem. In rem eamdem refert S. Augustinus lib. 1. *Cont. Julia.* num. 7. 8. et 9. tum Reticii Episcopi Augustodunensis, tum Olympii Episcopi Hispani, tum Hilarii Pictaviensis loculentissima testimonia. *Sed adhuc audi* (inquit num. 10. ad Julianum) *alium excellentem Dei dispensatorem, quem veneror ut patrem: in Christo enim Jesu per Evangelium me genuit.* Post hæc, et nonnulla alia in commendationem Ambrosii, plura loca ejus in medium affert desumpta ex lib. 1. in *Lucam* num. 37., lib. 2. num. 56., lib. 4. num. 67., lib. 7. num. 73. et 234.: superaddit tandem Augustinus in eodem lib. *Cont. Julia.* num. 34. auctoritatem S. Hieronymi affirmantis in Exposit. Jonæ prophetæ, *etiam parvulos peccato offendentis Adami teneri obnoxios.* Usque modo de traditione Patrum. Ad hanc autem accedunt etiam Ecclesiæ definitiones latæ contra Pelagianos in Concilio Carthaginiensi II., in Milevitano II., in Ephesino Oecumenico; ac demum in Tridentino sess. 5. in Decreto de pecc. orig.

Dices. Auctor *Quæst ad Orthodoxos* qu. 88., quem esse Justinum Martyrem multi putaverunt, docet non pertinere ad parvulos eam sententiam Jobi: *Nemo mundus a sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram.* Putat enim Jobum hoc loci respicere non naturalem, sed moralem vitam, quæ peragitur liberis operationibus, et cum deliberatione factis.

R. citatum Auctorem, quem non esse Justinum, certum est apud eruditos, (a) non dubitare de peccato originali, sicuti constat ex qu. 102., in qua inter Adam, et Christum eamdem antithesim ipse ponit, ac S. Justinus in *Dialogo cum Tryphone.* In responsione autem cit. quæst. agit de peccato actuali, et de *habilitate* ad peccandum, indeque dicit non pertinere ad parvulos illam Jobi sententiam.

C. Clemens Alexandrinus, dum refellit Encratitas, qui nuptias damnabant, quia per eas natura polluta traducitur lib. 7. *Stromatum* num 16. negat, parvulos ob prævaricationem Adæ peccatum contrahere: *Dicant ergo nobis* (inquit) *ubi fornicatus est infans natus? vel quomodo sub Adæ cecidit execrationem, qui nihil est operatus?* Deinde ad illa verba Regii Prophetæ: *Et*

(a) Vid, Natalis ab Alex, Hist. Eccl. sec. 4. cap. 4. ar. 2.

in peccatis concepit me mater mea, superadit: *Dicit prohetice quidem matrem Evam: sed Eva quidem mater viventium, et si is in peccatis fuit conceptus, at non ipse in peccato: neque vero ipse peccatum.*

R. Clementem in hoc loco refellere Encratitas, qui etiam testimoniis Divinarum Scripturarum abutebantur ad evincendum, nuptias, et procreationem liberorum esse malas, ac propterea ex iis fieri, ut parvuli nascantur obnoxii peccato.

Primo itaque S. Clemens quærit ab eis, ubi infans natus fornicatus sit, et quomodo ceciderit sub execrationem Adæ propter ipsam generationem parentum, qui nihil in ea operatus est. Deinde vero hæc superaddit: „Restat ergo eis, ut videtur, consequenter, ut dicant malam esse generationem non solum corporis, sed etiam animæ, per quam existit corpus. Et quando dixit David: *in peccatis conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea*, dixit prophetice quidem matrem Evam: sed Eva quidem fuit mater viventium; et si is *in peccatis fuit conceptus*, at non ipse in peccato, neque vero ipse peccatum." Quare hoc unum est, quod vult Clemens contra Encratitas, videlicet, neque ex verbis Psal. 50., neque ex aliis Scripturæ locis, quibus originale peccatum inculcatur, et ipsi abutebantur in confirmationem pravitatis nuptiarum, quas faciebant *pares fornicationibus, aliisque corruptionibus*, sicut inquit S. Augustinus in lib. *De Hæresib.* cap. 25. hoc unum, inquam, volebat Clemens, ex prædictis locis nullo modo colligi posse, nuptias esse malas, adeoque nuptiis non tribuendum, aut in peccato nasci, aut peccatum esse illum, qui ex iisdem nasceretur. Hac vero de causa contra eosdem illa urget: ubi fornicatus est infans natus? quomodo nihil operans ceciditsub execrationem Adæ: non ipse in peccato: non ipse peccatum.

C. S. Joan. Chrysost. pluribus in locis peccatum originale negare videtur. Aliqua tantum præcipua commemorabo: 1. Homil. 10. in ep. *ad Rom.* n. 2. hæc habet: „Quod enim, illo peccante, et mortali facto, qui ex illo orti sunt, mortales efficiantur, id a verisimili non abhorret: quod autem ex inobedientia illius alter peccator fiat, id quam consequentiam habuerit? Invenietur quippe ille non pœnas debere, nisi peccator fuerit": 2. Homil. 17. in I. epist. *ad Corint.* nu. 3. *Ab initio* (inquit) *te Deus immortalem voluit: sed tu noluisti.... quid ergo, inquies, faciam ego? Propter illumne perii? Non sane propter illum. Neque enim tu sine peccato mansisti. Sed non id ipsum peccatum: aliud utique admisisti*: 3. Homil. 39. in epist. 1. *ad Corint.* n. 3. „Quid? Omnesne, dic quæso, mortui sunt in Adam morte peccati? Quomodo ergo Noe justus in generatione sua? quomodo Job, quomodo alii omnes? Quid vero, dic, rogo, omnesne vivificabuntur in Christo? Et

„ ubi sunt, qui abducuntur in gehennam"; 4. Homil. 24 in epist. „ *ad Ephes.* num. 5. „Corruptibile est corpus nostrum, sed ani- „ ma incorruptibilis. Ne itaque ipsam corrumpamus. Hoc fecit „ prius peccatum. Quod est autem post lavacrum, potest etiam „ animam corrumpere."

R. ad 1., S. Joann. Chrysostomum in Homilia 10. in ep. *ad Rom.* totum in eo esse, ut ostendat, plura nos acquisivisse per Christum, quam per Adam amiserimus. Quare ejusdem Homiliæ n. 2., facta mentione Apostoli *Rom.* 5. 19. dicentis: *Sicut enim per unius hominis inobedientiam homines multi peccatores effecti sunt, sic per unius obedientiam justi constituuntur multi*, superaddit: *Ac videtur dictum illud non parvam inferre quæstionem. Si quis vero attenderit, illa facile solvetur. Quænam igitur illa quæstio est? nempe dicere, per inobedientiam unius, multos effici peccatores.* Quod *enim illo peccante etc.* prout in objectione. Num. 3. ad propositam quæstionem ita. „Quid igitur hic significat peccatores? Mihi videtur suppli- „ cio obnoxios, et ad mortem damnatos. Quod igitur, Adamo „ mortuo, omnes mortales effecti, id clare, pluribus ostendit „ Apostolus. Quod quæritur autem, quod ita factum sit; sed „ nondum illud adjicit: neque enim id ad rem præsentem per- „ tinet. Nam contra Judæum decertatur, qui dubitat, et deri- „ det illam per unum hominem justitiam. Ideo postquam os- „ tendit supplicium ab uno in omnes derivatum, cur id fac- „ tum sit, non addit: neque enim superflue loquitur." Ceterum Chrysostomus in eadem Homil. num. 1. una cum Apostolo profitetur: *Adami peccatum fuisse, quod omnia perdidit.* Num. 2. illis Apostoli verbis commemoratis, *Rom.* 5. 16. *nam judicium quidem ex uno in condemnationem: gratia autem ex multis delictis in justificationem*, ait: *Ecquïd hoc sibi vult? quod peccatum mortem, et damnationem inducere potuerit; gratia vero non modo illud peccatum abstulerit, sed alia quoque omnia, quæ post illud admissa sunt.*

R. ad 2. S. Joan. Chrysost. hoc loci agere contra illos, qui excusationem suorum peccatorum ex peccato Adami prætexebant, sicuti constat, ut alia nunc taceamus, etiam ex verbis illius in objectione laudatis.

R. ad 3., a Chrysostomo refelli Manichæos, qui negabant resurrectionem corporum, et Apostoli dicta interpretabantur *de resurrectione peccatorum actualium.* Unde statim post citata verba in objectione superaddit respiciens ad illa Apostoli I. *Corint.* 15. 22. *et sicut in Adam omnes moriuntur; ita et in Christo omnes vivificabuntur*, supperaddit, inquam: „Nam si hoc qui- „ dem dictum est de corpore, stat, quod dicitur. Sin autem „ de justitia, et de peccato; nequaquam. Deinde, ne quum au-

„ dieris vivificationem, etiam peccatores existimares esse salvos, „ subjunxit v. 23. *unusquisque autem in suo ordine.*"

R. ad 4. Hoc unum S. Joann. Chrysost. velle, quod sicut per prius peccatum anima corrupta fuit, ita etiam corrumpi per peccatum, quod *post* lavacrum committitur. (a)

CAPUT TERTIUM.

De Transfusione peccati originalis in posteros Adæ, quatenus de illa etiam ipsa ratione compertum esse potest.

Ex iis, quæ sunt revelata divinitus, alia etiam certa ratione comprobari possunt, sicuti sunt existentia Dei atque unitas illius: alia comprobare ratione nullo modo possunt, sicut Trinitas Divinarum Personarum: alia vero probabili ratione comprobari possunt, quatenus veritatis revelatæ divinitus quosdam effectus singulariter experimur in nobis. Hujusmodi autem est veritas revelata, de qua nunc agimus: quia enim pugnam sentimus inter rationem, et appetitum sensitivum, et corporis gravia mala patimur inde fit, ut, ipsa duce ratione, argumentis probabilibus detegere possimus eam corruptionem, quæ ex peccato Adami profluit in universum genus humanum.

Prop. Si ad humanam naturam, qualis nunc est, attendatur, in ea apparent quædam probabilia signa cujusdam peccati originalis.

Prob. prop. Sicut enim habet S. Thomas lib. IV. *Cont. Gent.* cap. 52., quum Deus ita curam gerat actuum humanorum, ut præmium bonis operibus, malis autem pœnam retribuat, consequens inde est, ut ex pœnis in cognitionem culpæ deveniamus. Patitur nunc genus humanum diversas pœnas tum quoad spiritum, tum quoad corpus; quoad spiritum, propter debilitatem rationis, qua contingit, ut homo cum difficultate pertingat ad cognitionem veri, in errorem labatur faciliter, atque ab appetitu sensitivo multoties vincatur; quoad corpus autem, quia est subjectum morti, ceterisque omnibus, quæ patimur in hac vita.

Reponi quidem potest, hujusmodi defectus tum spiritus, tum corporis esse naturales, et per se consequi ad ipsam necessitatem materiæ, non ergo haberi posse uti probabile argumentum

(a) Vid. Bossuetius *Defense de la Tradit. et des Saints Peres* lib. 1. cap. 10., et seq., et De Rubeis in Tract. Th. De Pecc. Origin. cap. 21. et seqq.

pœnæ. Verum si quis rem istam diligenter expendat, satis probabiliter judicare potest, supposita providentia Dei, qui singulis suam perfectionem tribuit, et superiorem naturam inferiori conjunxit, ut illa in istam dominaretur, et si ex defectu naturæ aliquod hujusmodi dominio impedimentum obesset, Deum singulari, et supernaturali ratione illi fuisse prospecturum, sicuti in Adamo contigisse, fides Catholica tenet. „Sic igitur (ita „ colligit S. Thomas in cit. loco) hujusmodi defectus quamvis „ naturales homini videantur, absolute considerando naturam ex „ parte ejus, quod est in ea inferius; tamen considerando Divi„ nam providentiam, et dignitatem superioris partis humanæ „ naturæ, satis probabiliter probari potest, hujusmodi defec„ tus esse pœnales: et sic colligi potest, humanum genus „ peccato aliquo originaliter esse infectum." Hinc S. Augustinus lib. 4. *Cont. Julian.* num. 7. affirmat, sapientiores philosophos Christianæ fidei quoad rem istam appropinquasse: „Videntur autem (inquit) non frustra Christianæ fidei propin„ quasse, qui vitam istam fallaciæ, miseriæque plenissimam non „ opinati sunt nisi Divino judicio contigisse, tribuentes utique „ justitiam conditori, a quo factus est, et administratur hic mun„ dus" Provocat deinde Julianum ad lectionem eorum, quæ *Cicero in extremis partibus Hortensii Dialogi, ipsa rerum evidentia ductus, compulsusque commemorat*: quæ et ipse S. Augustinus in medium adducit, sicuti etiam in eodem lib. num. 60. illum alterum insignem locum ejusdem Tullii in 3. de Republ., in quo Tullius dicit, hominem *ut a noverca natura editum in vitam.... in quo tamen inesset tamquam obrutus quidam divinus ignis ingenii, et mentis.* Post hæc autem S. Augustinus ita Julianum compellat: *Quid ad hæc dicis? Non hoc auctor iste male viventium moribus dixit effectum, sed naturam potius accusavit. Rem vidit, causam nescivit.* Quæ ergo Angelici, eadem et S. Augustini sententia fuit.

Prop. II. Transfusio peccati originalis in posteros Adæ perspicue ostenditur rationibus Theologicis, quæ innituntur principiis fidei.

Prob. prop. Hujus sane generis est ea ratio Theologica, quam ex circumcisione Abrahamo præcepta etiam S. Augustinus in lib. *De Pecc. Origin.* num. 25. deducit. Nam Deus tanta severitate Abrahamo circumcisionem indixit, ut simpliciter pronuntiaverit delendam e populo animam illius, cujus præputii caro circuncisa non fuerit: delendam autem hanc animam e regno Dei, intellegi debere cap. 1. hujus lib. jam animadvertimus. Profecto puer vix natus aliquam propria voluntate culpam contrahere non poterat, aut sibi causa esse, cur non circumcideretur: igitur in se habebat aliquod peccatum ab ipsa origine con-

tractum, propter quod tam gravi pœnæ subjectus foret.

Altera ratio desumitur ex baptismate: sicuti enim ex Apostolica traditione novimus, pueris ut baptisma conferretur, Ecclesia semper diligentissime curavit, et quidem memor illius sententiæ Christi *Joan.* 3. 5. *nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Profecto nulla labes actualis præsuponi potest in pueris: ergo ad delendam labem originalem et nunc pueri baptizantur, et semper in Ecclesia baptizati fuerunt.

Respondent Pelagiani, distinguentes vitam æternam a regno Dei; baptizari infantes, non ut mundentur ab aliqua culpa, sed ut in regnum Dei ingredi possint. At vero, sicuti inquit S. Augustinus lib. 1. *De Pecc. merit. et remiss.* num. 58. „Primo „ numquam explicant isti, qua justitia nullum peccatum habens „ imago Dei separetur a regno Dei. Deinde videamus, utrum Do„ minus Jesus, unus et solus magister bonus in hac ipsa Evan„ gelica lectione non significaverit, et ostenderit, nonnisi per „ remissionem peccatorum fieri, ut ad regnum Dei perveniant „ baptizati: quamvis recte intelligentibus sufficere debuerit, quod „ dictum est: *Nisi quis renatus denuo, non potest videre reg„ num Dei:* et: *nisi quis renatus fuerit ex aqua, et spiritu „ non postest introire in regnum Dei.* Cur enim nascatur de„ nuo, nisi renovandus? Unde renovandus nisi a vetustate? qua „ vetustate, nisi in quo vetus homo noster simul crucifixus est „ cum illo, ut evacuetur corpus peccati?"

Commentitiam vero distinctionem Pelagianorum inter regnum Dei, et vitam æternam ita refellit Serm. alias 14. *De Verbis Apost.*, nunc. 294. num. 3. „Hoc novum in Ecclesia, (inquit) „ prius inauditum est, esse vitam æternam præter regnum Dei... „ Venturus Dominus, et judicaturus de vivis, et mortuis, sicut „ Evangelium loquitur, duas partes facturus est, dexteram, et „ sinistram.... Nullus relictus est medius locus, ubi ponere queas infantes."

Dices cum Pelagianis apud S. Augustinum lib. 2. *De Nupt. et concup.* num. 47. *Non peccat iste, qui nascitur, non peccat ille, qui genuit, non peccat iste, qui condidit, per quas rimas inter tot præsidia innocentiæ peccatum fingis ingressum?* Hæc objectio complectitur etiam ceteras objectiones Pelagianorum. Illam ergo nos singillatim expendemus.

R. ergo 1. cum S. Augustino in cit. loco: „Quid quærit „ latentem rimam, quum habeat apertissimam januam? Per unum „ hominem, ait Apostolus, per unius delictum, ait Apostolus, „ per inobedientiam unius hominis, ait Apostolus. Quid quærit „ amplius, quid quærit apertius, quid quærit inculcatius?" Quare, sicut inquit idem S. Doctor lib. 6. *Cont. Pelagium* num. 11.

„Etsi nulla ratione indagetur, nullo sermone explicetur; verum „tamen est, quod antiquitus veraci fide catholica prædicatur, „et creditur per Ecclesiam totam."

Non peccat iste, qui nascitur: non peccat sane, quando nascitur; attamen nascendo fit unum individuum illius naturæ, quæ est infecta peccato. Sicut enim præced. Disput. lib. 1. cap. 1. et seqq., et lib. 3. cap. 3. ostendimus, humana natura ita instituta in sui primordio fuit, ut Deo supplente sua gratia, quod ipsi naturæ deerat, ratio Deo, vires inferiores rationi, et corpus animæ omnino subderentur, atque hæc dona, si Adam non peccasset, habituri erant omnes, qui in statu innocentiæ nascituri fuissent. Fuit ergo personale peccatum Adæ, quatenus etiam ille propter peccatum prædictis bonis privatus fuit, sed etiam simul fuit naturæ, quatenus non solum ille amisit bona singulari Dei gratia superaddita naturæ, sed etiam in illo omnes posteri ejus amiserunt. Quapropter *per unius voluntatem malam* (sicut inquit S. Augustinus lib. 2. *De Nupt. et concup.* num. 15.) *omnes in eo peccaverunt, quando omnes ille unus fuerunt, de quo propterea singuli peccatum originale traxerunt.* Est igitur advertendum, rationi nullo modo adversari, ut quæ gratuito, et singulari gratia Dei uni alicui, uti capiti morali posterorum conferuntur, ea conditione conferantur, ut si ipse indictum sibi mandatum servaverit, sint illa traducenda in posteros, censeaturque propterea, etiam posteros in illo capite morali obedivisse eidem mandato; contra vero si ille unus non servaverit mandatum, inobedientia illius redundet etiam in posteros, et ipsi quoque in suo capite morali, non aliter ac illud, inobedientes habeantur. Quum ergo justitia originalis, et quæ ex illa profluebant, fuerint dona gratuita, et singulari gratia Dei superaddita naturæ in ipso Adamo, quatenus erat etiam caput morale totius humani generis, non repugnat rationi, in Adamo omnes peccasse, atque hujusmodi omnia dona amisisse. *Per peccatum enim* (inquit Angelicus lib. IV. *Cont. Gent.* cap. 52. num. 9.) *non tollitur homini bonum naturæ, quod ad speciem naturæ pertinet; sed bonum naturæ, quod per gratiam superadditum fuit, potuit per peccatum primi hominis auferri.*

Veniamus ad illud: *non peccat ille, qui genuit.* Utique non peccat: nam cum S. Augustino lib. I. *Cont. duas ep. Pelag.* num. 10. dicimus, *a Deo nuptias institutas propter ordinatam generationem filiorum:* quod sane et tota Ecclesia Catholica profitetur. Adverti tamen debet cum Angelico lib. IV. *Cont. Gent.* cap. 52. num. 8. „Quod in actu generativæ virtutis non „potest esse vitium de genere actualis peccati, quod ex voluntate singularis personæ dependet.... sed vitium originalis culpæ, „quæ ad naturam pertinet, nihil prohibet in actu generativæ potentiæ inveniri, quum et actus generativæ potentiæ naturales

„ dicantur." Sua ergo generatione parentes naturam, qualis nunc est, propter Adæ peccatum, communicant filiis, quum generent, non quatenus sunt regenerati secundum spiritum, sed quatenus generati secundum carnem, indeque filii contrahunt peccatum originis, quod est in natura, non vero in actu generationis, vel in ipsis parentibus generantibus.

Unde inepte Pelagiani reponebant: *ergo malum sunt nuptiæ, et non est opus Dei homo, quem generant nuptiæ*, quemadmodum legitur apud Augustinum lib. *de Pecc. Orig.* num. 38. Sicut enim idem S. Doctor advertit ibidem, nuptiis propagatur et natura, et vitium naturæ „Quorum est unum bonum, alte„rum malum. Illud de conditoris largitate sumitur, hoc de originis „ damnatione adtrahitur; illi est causa bona voluntas Dei sum„mi; huic mala voluntas hominis primi: illud indicat Deum creaturæ institutorem; hoc indicat Deum inobedientiæ punito„rem." Legatur in hanc rem S. Augustini lib. 1. *Cont. Jul.* num. 39., et lib 2. *De Nupt. et concup.* num. 42.

Tandem illud ultimum expendamus, videlicet, *non peccat iste, qui condidit*: sane non peccat, immo vero et in isto opere, et in quovis alio peccare non potest. Quid Deo conditori tribui in humana generatione debeat, quid vero non debeat, cum Augustino jam explicavimus, et ex iis, quæ disseruimus, per se patet, peccatum originale traduci absque ulla culpa Dei conditoris naturæ.

Julianus, sicuti constat ex. S. Augustino lib. 2. *De Nupt. et concup.* num. 48., et lib. 1. *Cont. Julianum* num. 39., atque alibi sæpe, illud quoque urgebat, semel ac admittatur peccatum originale, inde consequi, naturam esse malam, quia non potest arbor bona malos fructus facere: si autem natura sit mala, principium illius malum admittatur oportet: hoc sane principium non potest esse Deus: ergo, semel posito originali peccato, Manichæismus inducitur.

Verum non uno in loco, sed in pluribus hanc congeriem errorum Augustinus refellit. „Quod adjunxit (inquit S. Doc„tor lib. 2. *De Nupt. et concup.* num. 48.) Si ex natura mala „ natura, quæro ab illo, ut si possit, respondeat: si manifestum „ est, ex voluntate mala, tanquam ex arbore mala, fructus ejus „ fieri omnia opera mala; sic ipsam voluntatem malam, id est, „ ipsam fructum malorum arborem malam, unde dicat exortam. „ Si ex Angelo; quid erat ipse Angelus, nisi bonum opus Dei? „ Si ex homine; quid erat ipse homo, nisi bonum opus Dei? „ Immo quia voluntas mala Angelo ex Angelo, ex homine ho„mini orta est, quid erant hæc duo, antequam ista mala ori„rentur, nisi bonum opus Dei, et bona, atque laudanda natu„ra? Ecce ergo ex bono oritur malum, nec fuit, unde omnino „ oriri posset, nisi ex bono: ipsam dico voluntatem malam,

„ quam nullum præcessit malum; non opera mala, quæ non „ sunt, nisi ex voluntate mala, tanquam ex arbore mala. Nec „ ideo tamen ex bono potuit oriri voluntas mala, quia bonum „ factum est a Deo bono sed quia de nihilo factum est, non „ de Deo."

Christum autem in duabus arboribus, quarum una dicitur mala, altera bona, non naturam bonam, aut malam, sicut Julianus volebat; sed duas voluntates insinuare voluisse, unam bonam, qua et bonus est homo, et bona opera facit, alteram malam, qua et malus est homo, et mala opera facit, ex verbis ipsius Christi S. Augustinus evidentissime colligit lib. 5. *Oper. Imperf.* cap. 23. „Dominus enim (inquit) quum cavendos esse „ monstraret, qui venirent in vestitu ovium, intrinsecus autem „ lupi rapaces essent: *Ex fructibus*, inquit, *eorum cognosce-* „ *tis eos.... non potest arbor bona malos fructus facere, ne-* „ *que arbor mala bonos fructus facere.* Et secundum Lucam, „ quum hypocritæ arguerentur, duæ istæ arbores commemoratæ „ sunt." Hisce positis, ita contra Julianum insurgit: „Videsne „ te falli, non me? Redi ergo ad causam operis mali, et inve- „ nies voluntatem malam: redi ad causam originalis peccati, „ et invenies primi hominis voluntatem malam, et ea vitiatam „ naturam bonam." Eadem fere habet S. Doctor lib. 1. *Cont. Julian.* num: 38.

Quod autem de Manichæismo Julianus opponit, ita pro more suo S. Augustinus acute refellit lib. 3. *Cont. duas epist. Pelag.* num. 25. postquam ergo monuit, omnes Pelagianos *Excogitasse Manichæorum detestabili nomine imperitos, quos potuerint, deterrere, ne adversus eorum perversissima dogmata aures accomodent veritati:* ita contra eos: „Ecce unde se putant hæ- „ retici novi, Manichæorum nomine objecto, vim subterfugere „ veritatis; sed non subterfugiunt, insequitur quippe illa, et si- „ mul Manichæos, Pelagianosque subvertit. Homo enim dum „ nascitur, quia bonum aliquod est, in quantum homo est, Ma- „ nichæum redarguit, laudatque creatorem: in quantum vero „ trahit originale peccatum, Pelagium redarguit, et habet ne- „ cessarium Salvatorem. Nam et quod sananda dicitur ista na- „ tura, utrumque repercutit: quia nec medicina opus haberet, „ si sana esset, quod est contra Pelagium; nec sanari posset „ omnino, si æternum, atque immutabile malum esset, quod est „ contra Manichæum. Item quod nuptiis, quas laudamus a Do- „ mino constitutas, concupiscentiam carnis imputandam esse non „ dicimus; et contra Pelagianos est, qui eam in laudibus po- „ nunt, et contra Manichæos, qui eam malæ alienæ naturæ tri- „ buunt; quum sit nostræ naturæ accidens malum, non Dei „ disjunctione separandum, sed Dei miseratione sanandum."

Huc usque de hac gravissima quæstione. Quod vero nunc

colligimus ex iis, quæ in hoc capite disputavimus, hoc est, videlicet, peccati originalis transfusionem in posteros Adæ neque esse quid *inconveniens*, *neque contra rationem*, sicuti monet Angelicus lib. IV. *Cont. Gent.* cap. 52., postquam ea solvit, quæ ab ipsa ratione petita Pelagiani opposuerunt. Esse ergo in humana natura, qualis nunc est, *signa probabilia* peccati originalis cum eodem Angelico tuemur; attamen volumus, quamvis sit, qui contra sentiat (a), *absolute*, *et non supposita fide* certo colligi non posse peccatum originale ex miseriis, quas modo patimur.

LIBER SECUNDUS

De Natura, seu Essentia peccati originalis.

Hoc in libro et falsam opinionem quorumdam Catholicorum, et multiplicem errorem hæreticorum refutare aggredimur, atque simul constituere, in quo reponi debeat, essentia originalis peccati: Quinque capitibus rem totam expediemus: in 1. ostendemus, peccatum originale non esse ipsum Adæ peccatum posteris imputatum: in 2. essentiam peccati originalis non consistere in quadam positiva qualitate: in 3. neque in quadam substantiali corruptione animæ: in 4. neque in ipsa concupiscentia: in 5. statuemus, in quo essentia illius reponi debeat.

CAPUT PRIMUM.

De Peccato originali, quatenus in omnibus est aliquo modo voluntarium, habet veram rationem peccati, atque proprium est singulorum.

Peccatum originale esse ipsum Adæ peccatum moraliter perseverans, quod in ipso Adamo revera fuit, posteris vero illius solummodo imputatur, propterea que peccatum originis esse unum, atque idem in omnibus hominibus, Albertus Pighius, pluribus scientiis aliunde excultus, et valde celebris ob ea, quæ scripsit contra Lutherum, Melancthonem, Bucerum, et Calvinum, in I. Controv. de peccato origin. tenuit: idem sensit inter alios Am-

(a) Vid. Bertius *De Theolog. Discipl.* lib. 8. cap. 3.

brosius Catharinus in Opusculo *De lapsu hominis, et pecc. origin*, et Frassenius tract. 3. disput. 3. art. 2. quæst. 2. de peccato originali concl. ult., traditque, peccatum originale posterorum Adæ esse idem ipsius Adæ, peccatum, manens in iisdem moraliter, quatenus omnes in Adamo, sicut in primo capite, peccaverunt.

Prout nunc ad rem nostram spectat, advertimus, aliquid voluntarium dici posse dupliciter: 1. in se: 2. in alio: quod ab intrinseco principio proficiscitur, est voluntarium priori modo; altero autem, quod manat a morali principio, cui tanquam capiti subditur voluntas aliena, atque in eodem includitur. Hoc modo voluntas pupilli quoad ea est in voluntate tutoris, quæ spectant ad istius nutus, et regimen. Omnes, qui nascuntur ex Adam, sicut advertit Angelicus 1. 2. quæst. 81. art. 1., considerari possunt ut unus homo, quatenus in una natura conveniunt, quam accipiunt a primo parente, prout etiam in politicis veluti unum corpus, seu uti multa membra unius corporis, ii omnes habentur, qui spectant ad eamdem societatem. Porro actus unius membri corporei, puta manus, non habet ab ipsa manu, ut sit voluntarius, sed ab anima, quæ movet manum. Simili ratione inordinatio naturæ, quæ est in hoc, aut illo homine ex Adam progenito, non est voluntaria ob voluntatem hujus, aut illius hominis, sed primi parentis, a quo progeniti sunt. Unde peccatum, quod hac ratione a primo parente proficiscitur in posteros, dicitur originale, quemadmodum illud vocatur actuale, quod ab anima in membra descendit, propterea que sicut peccatum actuale, quod aliquo membro committitur, non est peccatum illius membri, nisi quatenus illud est aliquid ipsius hominis; ita peccatum originale non est peccatum hujus hominis, nisi quatenus hic homo a primo parente recepit naturam, indeque dicitur peccatum naturæ juxta illud *Ephes.* 2. 3. *Eramus natura filii iræ.*

Prop. I. Peccatum originale est voluntarium omnibus ex Adamo descendentibus, quatenus voluntas omnium in Adamo continebatur.

Prob. prop. Apostolus *Rom.* 5. 12. ait, *in quo*, videlicet in Adamo, *omnes peccaverunt.* Omnes autem in Adamo peccasse, dici non posset, si nullam in voluntate Adami peccantis partem habuissent. Hinc S. Irenæus lib. 5. *Cont. Hæres.* cap. 16. num. 3. ait, nos *offendisse Deum in primo Adamo*, et S. Augustinus lib. 1. *De Peccat. merit. et remis.* num. 11. ita habet: „Deinde sequitur: *in quo omnes peccaverunt*, quam „circumspecte, quam proprie, quam sine ambiguitate dictum „est. Si enim peccatum intellexeris, quod per unum hominem „intravit in mundum, in quo omnes peccaverunt, certe manifestum est, alia esse propria cuique peccata, in quibus hi

„tantum peccant, quorum peccata sunt, aliud hoc unum, in quo „omnes peccaverunt, quando omnes ille unus homo fuerunt. „Si autem non peccant, sed ille unus homo intelligitur, in „quo uno homine omnes peccaverunt, quid etiam est ista ma„nifestatione manifestius?" Et lib. 8. num. 14 „Unde nec illud „liquide dici potest, quod peccatum Adæ etiam non peccanti„bus nocuit, quum Scriptura dicat: *in quo omnes peccave„runt.* Nec sic dicuntur ista aliena peccata, tamquam omnino „ad parvulos non pertineant: siquidem in Adam omnes tunc „peccaverunt, quando in ejus natura illa insita vi, qua eos „gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt: sed dicun„tur aliena, quia nondum ipsi agebant vitas proprias, sed quid„quid erat in futura propagine vita unius hominis continebat." Tandem *Retract.* lib. 1. cap. 13. num. 5. „Et illud (inquit) „quod in parvulis dicitur originale peccatum, quum adhuc non „utantur arbitrio voluntatis, non absurde vocatur etiam volun„tarium, quia ex prima mala hominis voluntate contractum; fac„tum est quodam modo hæreditarium." Quare, sicuti monet S. Thomas 1. 2. quæst. 81. art. 1. ad 5. „Illud, quod est per „originem, non est increpabile, si consideretur ille, qui nasci„tur secundum se: sed si consideretur, prout refertur ad ali„quod principium, sic potest esse ei increpabile. Sicut aliquis, „qui nascitur, patitur ignominiam generis ex culpa alicujus „progenitorum causatam."

Quidam pactum explicitum, alli implicitum inter Deum et Adamum intercessisse volunt quoad transfusionem justitiæ originalis in posteros, si ille servasset præceptum; vel peccati originalis, si non servasset: verum ego una cum De Rubeis in *Tract. Theol. de pecc. orig.* assentior Petro Soto, qui lib. 1. *De Nat. et grat.* cap. 3. ita habet: „Numquid Deus opus ha„bebat Adæ consensu?.... Scriptura enim est manifesta, quod „unica fuit præceptio, ne comederet de ligno scientiæ: quæ „citra ejus consensum potuit obligare totam naturam, tamquam „ejus jure creationis Dominus: sicut leges legitimi principis, „quæ præsenti modo ediderentur civitati, universis in perpetuum „civibus intelligerentur positæ. Cum ergo Adam erat tota na„tura, nulla fuit in Deo crudelitas, vel asperitas, quod, pec„cante natura, denudaret eam quibus supernaturalibus donis „exornaverat.... Et ideo modo quodam peccatum illud fuit om„nibus hominibus voluntarium, scilicet per voluntatem totius „naturæ."

Prop. II. Peccatum originale est vere, et proprie peccatum.

Prob. prop. *Roman.* 5. 12. ait Apostolus: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors... in quo omnes peccaverunt.* Et v. 19. *Per unius inobedientiam peccatores constituti sunt multi.* His autem in locis Apostolum

loqui de originali peccato; et loquendi modus manifeste præsefert, et traditio Patrum nos dubitare non sinit. Illud igitur est vere, et proprie dictum peccatum, quod in hunc mundum ita intrasse dicitur, ut per illud omnes sint constituti peccatores: sed hujusmodi est peccatum originale: ergo peccatum originale est vere, et proprie dictum peccatum. Et re quidem vera sicut per inobedientiam Adæ multi constituuntur peccatores; ita etiam per obedientiam Christi multi constituuntur justi: sed constituuntur justi per justitiam vere, et proprie dictam, sicut definierunt Tridentini Patres Sess. 6. can. 10. et seqq. ergo etiam propter peccatum vere, et proprie dictum multi constituuntur peccatores. Hinc Tridentini Patres Sess. 5. in Decreto de peccato originali ita statuerunt: „Si quis Adæ prævaricationem sibi „soli, et non ejus propagini asserit nocuisse.... aut inquinatum „illum per inobedientiae peccatum mortem, et pœnas corporis „tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et „peccatum, quod mors est animæ, anathema sit."

Pro. III. Peccatum originale est revera proprium singulorum Adæ posterorum.

Prob. prop. Sicuti enim constat ex locis tum Divinarum scripturarum, tum SS. Patrum, quæ lib. præced. cap. 2. et 3. in medium protulimus, omnes peccaverunt in Adamo, atque in illo effecti sunt peccatores: baptizantur infantes, ut peccatum in eis deleatur, propterea que qui baptizati non fuerint, excluduntur a regno cælorum: est igitur omnino perspectum ex verbo Divino tam scripto, quam tradito, peccatum originale esse proprium singulorum Adæ posterorum. Unde Tridentini Patres in citato decreto anathema dixerunt illis, qui affirmarent, parvulos: *Nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam.* Peccatum igitur originale proprium esse singulorum Adæ posterorum, tam Divinum verbum scriptum, et traditum, quam Ecclesiæ definitiones neminem dubitare sinunt.

Tamen ut tota res ista in bono lumine ponatur, nullusque supersit æquivocationi locus, adverti debet, originale peccatum, cui singuli nascuntur subjecti, non esse illud ipsum peccatum actuale, quod Adam comisit, illam ipsam gratiæ privationem, quam propter actuale peccatum idem Adam subiit, non illam ipsam deordinationem tum animi, tum corporis, cui Adam subjectus evasit, ita ut hæc tria, quomodo fuerunt Adami propria, sint propria eodem modo posterorum. Contrahunt ea sane posteri, quia voluntas illorum in Adami voluntate continebatur, sicuti modo ostendimus, proterea que non ipsum actuale Adami peccatum est in posteris, sed ipsum peccatum Adæ est causa peccati originalis posterorum, quod intrinsecus singulis inest. Unde nostrum peccatum originale ab actuali Adami peccato

distinguitur, sicuti effectus a causa, atque in individuis tot individua peccata sunt, quot sunt posteri Adami inquinati eodem peccato.

Dices. Apostolus *Roman.* 5. 12. ait: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit:* itemque: *in quo omnes peccaverunt:* et v. 19. *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Si ergo unum Adæ peccatum infecit totum genus humanum, ideo singuli homines nascuntur obnoxii peccato, quia peccatum Adæ illis imputatur.

R. non esse, ne rem, et quidem copiose, jam actam agamus, cur nunc explicemus, qua ratione dicatur, per Adam peccatum intrasse in hunc mundum, omnes in Adamo peccavisse, ejusdemque inobedientia multos fuisse constitutos peccatores. Nunc ergo ea tantum superaddemus, quæ in rem nostram habet S. Anselmus lib. *De Concept. Virg. et orig. peccato* cap. 26. alias 25. „Non portant (inquit) infantes peccatum Adæ, sed suum. „ Nam aliud fuit peccatum Adæ, aliud est peccatum infantium; „ quia differunt, ut dictum est: illud enim fuit causa, istud „ est effectus. Adam caruit debita justitia, non quia alius, sed „ quia ipse deseruit: infantes carent ea, non quia ipsi, sed „ quoniam alius dereliquit. Non est ergo idem peccatum Adæ „ et infantum, et quum dicit Apostolus, quod supra posui: „ *Quia mors regnavit ab Adam usque ad Moysen etiam in „ eos, qui non peccaverunt in. similitudinem prævaricationis „ Adæ;* sicut significat infantium minus esse, quam Adæ, pec- „ catum; ita aperte monstrat aliud esse. Quapropter quum dam- „ natur infans pro peccato originali, damnatur non pro peccato „ Adæ, sed pro suo. Nam si ipse non haberet suum peccatum, „ non damnaretur. Ita ergo non portat iniquitatem Adæ, sed „ suam, quamvis ideo dicatur portare, quia iniquitas illius pec- „ cati, istius causa fuit."

CAPUT SECUNDUM.

De Peccato originali, quatenus illud nullo modo potest reponi in quadam qualitate positiva.

Opinionem Magistri sententiarum, quam Henricus, Gregorius Ariminensis, et Joannes Driedo sequuti fuerunt, nunc aggredimur refutandam. Ille igitur *Sentent.* lib. 2. dist. 31. dicit, carnem: *Quæ in concupiscentia libidinis seminatur, non habere culpam, nec actum culpæ, sed causam.* Unde ait: *Quod vi-*

tium, vel corruptio sit in carne, ante conjunctionem animæ effectu probatur, quum anima infunditur, quæ ex corruptione carnis maculatur. Sicuti in vase dignoscitur vitium esse, quum infusum vinum acescit. Quare qui una cum Magistro Sententiarum hanc eamdem opinionem tuentur, peccatum originale constituunt in quadam morbida qualitate, quam anima contrahit, dum unitur corpori infecto hujusmodi contagione.

Illud debet adverti, nomine concupiscentiæ quæ est in nobis propter peccatum originale, venire delectationem, quæ est animæ, et corporis, simulque propterea pendet ab anima, et corpore. Unde concupiscentia, si proprie loquamur, est in appetitu sensitivo, et in vi concupiscibili, a qua concupiscentia dicitur. Angelicus 1. 2. quæst. 30. art. 1. distinguit duplicem delectationem, unam, quæ est in bono intelligibili, quod dicitur bonum rationis; alteram, quæ est in bono secundum sensum: priorem dicit esse delectationem solius animæ: alteram animæ, et corporis „Quia sensus est virtus in organo corporeo. Unde et bonum „ipsius sensus est bonum totius conjuncti. Talis autem delecta„tionis appetitus videtur esse concupiscentia, quæ simul perti„neat et ad animam, et ad corpus, ut ipsum nomen concu„piscentiæ sonat. Unde concupiscentia proprie loquendo est in „appetitu sensibili, et in vi concupiscibili, quæ ab ea denomi„natur". Unde S Augustinus lib 14 *De Civit. Dei* cap. 3. num. 2. inquit „Doctor gentium in fide, et veritate opera carnis appellat „nisi quia eo loquutionis modo, quo totum significatur a parte, „ipsum hominem vult nomine carnis intelligi."

Prop. Peccatum originale non est aliqua morbida positiva qualitas, quæ ex corruptione carnis contrahatur ab anima, quando infunditur corpori.

Prob. prop. Hæc morbida positiva qualitas proficisceretur a peccato Adami, quum ipse tantum sit caput generis humani: sed positivum, atque physicum Adæ peccatum physice, et positive esse desiit: ergo non potest esse causa hujusmodi physicæ, atque positivæ morbidæ qualitatis: ergo ea inaniter confingitur, inaniterque etiam confingitur, illam a corpore communicari animæ, quando hæc illi unitur: anima enim utpote spiritualis subesse non potest infectioni alicujus morbidæ positivæ qualitatis.

Deinde illa morbida contagiosa qualitas, semel ac in ea peccatum originale reponatur, nihil esset aliud, quam ipsum originale peccatum: at peccatum originale per baptisma deletur, perseverat autem morbida qualitas, quæ sane reponatur oportet in pronitate ad malum, atque in difficultate ad bonum: ergo. Verum hæc satis de re tam perspicua.

Dices. S. Augustinus lib. 1. *De Nupt. et concup.* num. 28. loquens de concupiscentia: *Non enim substantialiter manet, sicut aliquod corpus, aut spiritus, sed affectio est quædam ma-*

læ qualitatis, sicut languor Num. 35. explicans verba Apostoli *Roman.* 7. 18. *Scio enim, quod non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum*, ait: *Carnem autem nunc appellavit, ubi est morbidus quidam carnis affectus, non ipsum corporis conformationem.* Lib. 5. *Cont. Julianum* num. 17. *Aut alterum* (ait) *in altero, tamquam in vitiato vase corrumpitur.*

R. ex his omnibus nihil minus colligi posse, quam quod Adversarii vellent. Porro S Augustinus lib. 1. De *Anima* totus est in refutando errore Vincentii Victoris, qui volebat, animam consortio carnis peccatricem esse incipere, eumque explicare contendentem originale peccatum, „quatenus ad corpus animamque pertineat, si anima non de parentibus trahitur, sed a Deo nova „ insufflatur „ ita quodammodo ridet „ Cernis nempe hominem „ ausum suscipere, quod vires ejus excedit, in tam immane præ„ cipitium decidisse, ut diceret inquinari animam meruisse per „ carnem; quum dicere nulla modo possit, unde hoc meritum „ traxerit ante carnem.... Nam hoc meritum, quo in carnem pec„ catricem missa est, ut inquinaretur ex illa, profecto aut „ ex semetipsa habuit, aut, quod a vero multo amplius „ abhorret, ex Deo. Ex carne quippe meritum non po„ tuit habere ante carnem, quo merito inquinanda mitteretur in „ carnem. Si ergo a semetipsa hoc meritum habuit; quomodo ha„ buit, quæ ante carnem nihil mali fecit? Si autem hoc meritum „ ex Deo dicitur habuisse; quis hoc audiat, quis ferat, quis dici „ impune permittat"? Num. 8., ut alia multa omittam, S. Doctor Vincentio Victori illud opponit, animam infici non posse originali peccato, *nisi per carnem, si de parente non trahitur.*

Ad ea nunc veniamus, quæ nobis oppununtur. In cit. loco *De Nupt. et et Concup.* quærit S. Doctor, quomodo concupiscentia remaneat in baptizatis atque ita respondet: „ Quamvis au„ tem reatu suo jam soluto, manet tamen, donec sanetur om„ nis infirmitas nostra, proficiente renovatione interioris hominis „ de die in diem, quum exterior induerit incorruptionem. Non „ enim substantialiter manet, sicut aliquod corpus, aut spiritus: „ sed affectio est quædam malæ qualitatis, sicut languor". Sicut languor, inquam: „ Est enim (sicuti inquit S. Thomas 1. 2. „ quæst 82. art. 1.) quædam inordinata dispositio proveniens ex „ dissolutione illius harmoniæ, in qua consistebat ratio originalis „ justitiæ; sicut etiam ægritudo corporalis est quædam inordina„ ta dispositio corporis, secundum quam solvitur æqualitas, in qua „ consistit ratio sanitatis. Unde peccatum originale languor dicitur". Respicit ergo S. Augustinus non aliter, ac S. Thomas, materiale peccati originalis, quando concupiscentiam vocat affectionem malæ qualitatis, atque languorem provenientem ex dissolutione illius harmoniæ, in qua consistebat ratio justitiæ originalis. Unde privatio justitiæ originalis, ad quam consequitur dissolutio hujus-

modi harmoniæ, est sane illa, in qua reponi debet essentia peccati originalis, quemadmodum hujus libri cap. 5. ostendimus.

R. ad 2., S. Augustinum respicere concupiscentiam, quæ est in carne, indeque dicit morbidum quemdam affectum dominari in carne, quia ipse concupiscit adversus spiritum. Hoc autem ea de causa contingit, quia justitia originali destituti sumus.

R. ad 3., S. Augustinum monere Julianum, frustra eum ad suum errorem tuendum recurrere *ad obscurissimam de anima quæstionem.* Illud ei opponit, peccatum commissum in paradiso fuisse *a toto homine*, indeque *et animam et carnem pariter utrumque puniri.* Postea vero hæc superaddit: *Profecto aut utrumque vitiatum ex homine trahitur, aut alterum in altero tamquam in vitiato vase corrumpitur... Quod autem horum sit verum, libenter disco, quam dico ne audeam, docere, quod nescio.* Animam tamen vitiari non posse ob infusionem in corpus, contra Vincentium Victorem alibi strenue propugnavit, sicuti modo vidimus.

CAPUT TERTIUM.

De Peccato originali quatenus ipsum in substantiali corruptione animæ reponi non potest.

Matthias Flaccus natione Illyricus Centuriarum Magdeburgensium præcipuus compilator, rigidiorumque Lutheranorum antesignanus, in pluribus suis operibus, quæ recenset Bellarminus lib. 5. *De Amiss. grat., et stat. pecc.* cap. 1., docuit, peccatum originale non esse accidens superadditum naturæ, sed ipsam substantiam animæ rationalis substantialiter vitiatam propter peccatum Adæ, et amissa imagine Dei, quam acceperat in creatione, transformatam in imaginem diaboli.

Prop. Peccatum originale non consistit in substantiali corruptione animæ.

Prob. prop. Illyrici errore semel posito, illud necessario consequitur, a Deo creari substantiam malam, quæ transformata est in imaginem diaboli: anima enim transformata substantialiter in imaginem diaboli est substantia in se mala: sed nihil magis impium dici potest, quam Deum esse creatorem substantiæ in se malæ, atque ita quidem malæ, ut gerat imaginem diaboli: ergo.

Neque est, cur reponatur, animam a Deo creatam fuisse bonam, sed postea opera diaboli malam evasisse, atque ab illo transformatam in imaginem sui: nam sermo nunc est non de illa anima, quæ a Deo primitus creata Adamo infusa fuit, sed de anima opera Diaboli transformata substantialiter in imaginem illius.

Hæc ergo est illa anima, cujus Deus esset auctor, atque creator, Illyrici errore semel posito.

Multo autem minus est, cur reponatur, animam totam a Deo esse propagante, et conservante naturam humanam, et totam a diabolo eam transformante substantialiter in imaginem sui: nam illud semper stat, a Deo creari animam substantialiter malam quæque substantialiter illius imaginem exuit, atque diaboli induit.

Deinde partes in anima non possunt confingi, nisi ea habeatur uti materialis. Unde si Deus est auctor animarum; cujuslibet totius animæ auctor sit oportet: si dæmon; cujuslibet totius animæ auctor esse debet. Ex quo constat, Illyricum ad libidinem sibi confinxisse, animam esse totam a Deo propagante, et conservante humanam naturam, et rursus totam a diabolo eam substantialiter transformante in imaginem sui.

Exemplum, quod Illyricus in medium adducit in confirmationem suæ confictæ transmutationis, ut aliquid probet, falso præsupponatur oportet, animam esse materialem: sicut enim ipse inquit, mulieres lac in caseum, atque butyrum vertunt, et vinum in acetum transmutant, quin aliqua creatio interveniat in hujusmodi transmutatione; ita etiam anima a diabolo transmutari potest substantialiter, quin ipse sit creator illius. Partes enim in eo sint oportet, quod arte, vel natura in aliquam substantiam transmutatur: in eas nempe agit tam ars, quam natura in transmutatione unius substantiæ in aliam. At in anima non sunt partes quæ transmutationi possint esse subjectæ. Prædicto igitur exemplo Illyricus et nullo modo ostendit, quod ipse vellet, et se esse materialistam prodit.

Dices. In Scriptura peccatum originale describitur illis verbis, quæ substantiam exprimunt: nam *Genes* 8. 21. in textu hebraico ita legitur: *Figmentum humani cordis pravum est ab adolescentia sua. Roman.* 6. 6. *Vetus homo noster semel crucifixus est, ut destruatur corpus peccati:* et v. 12. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore*: ergo peccatum quædam substantia est, quum dicatur et homo vetus, et corpus, et regnare in mortali corpore.

R. paucis ad hæc tria, quæ Illyricus opponit; et dico semel ac ea intelligantur, prout ipse vult, inde consequi peccatum originale consistere non in transformata substantia animæ, sed in vitiata substantia corporea: tale enim est cor, et mortale cor, et mortale corpus: igitur ipsa vitiata substantia animæ non potest esse peccatum originale, sed erit substantia corporis. Sed neque etiam substantia esse potest: nam per figmentum cordis non substantia illius, sed ejusdem affectiones pravæ designantur. Unde in Vulgata non legitur figmentum, sed *sensus enim, et cogitatio humani cordis in malum prona sunt.* Sicut ergo quis dicitur infirmus

propter infirmitatem ita etiam figmentum humani cordis dicitur malum propter malitiam. Vita autem vetus, illiusque actiones veteres nomine veteris hominis designantur: unde subdit Paulus: *et ultra non serviamus peccato.* Regnat vero peccatum in nostro mortali corpore, quomodo superbia in superbo, et avaritia in homine avaro denominatur.

C. Deus creavit hominem ad imaginem, et similitudinem suam sed filius est imago patris etiam secundum substantiam: ergo homo conditus fuit ad imaginem Dei secundum substantiam: sed homo peccando amisit imaginem, et similitudinem Dei, et transivit in imaginem, et similitudinem diaboli: ergo.

R. dist. subsump., amisit imaginem, quæ est per naturam, neg., quæ est per gratiam, conc. Duplex est in homine imago Dei, una per naturam, altera per gratiam: illa semper manet, non vero ista. „ Conformitas (inquit Angelicus qu. 22. *De Verit.* „ art. 6. ad 2.) imaginis attenditur secundum potentias naturales quæ sunt ei determinatæ a natura: et ideo illa conformitas semper manet. Sed secunda conformitas, quæ est similitudinis, est per gratiam, habitus, et actus virtutum, ad quæ „ omnia ordinantur per actum voluntatis, qui in sua potestate consistit; et ideo ista conformitas non semper manet". In hanc rem superfluum est, ut plura superaddamus, quum de ea jam egerimus.

Quod ergo legitur (nam istud quoque opponit Illyricus (*Joan.* 8. 44., *vos ex patre diabolo estis*, ita accipi debet, ut illud ad imitationem, non ad filiationem referatur: neque enim dici potest, diabolum genuisse, vel creasse Pharisæos,, ideoque Pharisæos quoad substantiam fuisse filios illius, quamvis Christus filios diaboli eosdem vocaverit.

CAPUT QUARTUM.

De Peccato Originali, quatenus illud non consistit in concupiscentia.

Lutheranorum, et Calvinistarum communis sententia est, eam naturæ corruptionem, quæ manet in regeneratis, sive concupiscentiam, ignorantiam, difficultatem ad bonum, et proclivitatem ad malum esse formaliter ipsum peccatum originale. Quare quum in homine baptizato ista omnia remaneant, inde inferunt baptismate peccatum originale non deleri, sed solummodo tegi, atque non imputari. Nunc de priori errore contra illos, de altero autem suo tempre. Quoniam vero sistunt potissimum in concupiscentia, eamque contendunt esse ipsum peccatum originale, ideo hanc nos propositionem contra illos aggredimur ostendere.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Prop. Concupiscentia, seu propensio ad malum, non est ipsum peccatum originale.

Prob. prop. Apostolus, postquam *Rom.* cap. 7. multa disseruit de concupiscentia, ejusque etiam incitamenta, quæ ipse patiebatur, exposuit, cap. 8. ita exorditur *Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant.* Si ergo non obstante tanta concupiscentia, quantam etiam, Paulus in sua carne patiebatur, propter quam clamabat cap. 7. 24. *Infelix ego homo, quis me liberavit de corpore mortis hujus?* si, inquam, non obstante tanta concupiscentia, nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant; inde necessario consequitur, concupiscentiam esse non posse ipsum peccatum originale. Unde paucioribus: concupiscentia remanet, et viget etiam in renatis in Christo Jesu, sicuti erat Paulus: sed in renatis in Christo Jesu nihil est damnationis: ergo concupiscentia, quæ in eisdem remanet, non est peccatum. Jacobus sane ep. 1. 14. et seq. ita habet: *Unisquisque vero tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus. Deinde concupiscentia quum conceperit, parit peccatum: peccatum vero, quum consummatum fuerit, generat mortem.* Jacobus hoc in loco ea de concupiscentia sermonem habet, quæ ad malum nos conatur inducere: eam vero esse peccatum non solum non dicit, sed etiam affirmat oportere, ut ipsa concipiat hoc est, nostra voluntas sequatur incitamenta illius, ut peccatum pariat. Ipsa ergo concupiscentia in se spectata peccatum non parit: parit autem, si a voluntate consensum extorserit, atque in hac profecto consensione ratio ipsa peccati consistit. Constat ergo etiam ex S. Jacobo, concupiscentiam in se spectatam neque dici posse, neque revera esse peccatum.

Quoniam vero tam Lutherani, quam Calvinistæ inter allios præcipue Augustinum nobis opponunt, nunc auctoritate ejusdem S. Doctoris contra illos agamus. Loquens igitur S. Doctor *De Genes. ad litt.* lib. 9. num. 18. de concupiscentia, quæ repugnat legi mentis, dicit eam cum merito cohiberi, *Ut quemadmodum de peccato factum est supplicium, sic de supplicio fiat meritum.* Lib. 3. *De Civit. Dei* cap. 25. *Quod si* (inquit) *illa concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ voluntatis legem, quasi lege sua movetur; quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?* Et lib. 5. *Oper. Imp.* cap. 24. ait: *Cujus mali* (videlicet concupiscentiæ) *bonus usus laudatur in concubitu conjugali.* Legatur S. Doctor lib. 2. *De Peccat. merit. et remiss.* num. 4., lib. *De Perfect. justit.* num. 44. lib. 1. *De Nupt. et concup.* num. 26., et lib. 5. *Cont. Julianum* num. 8.

Multa sane sunt, quæ novatores deprompta ex Sacris litte-

ris nobis opponunt: præcipua illorum nos modo expendemus, exque iis, quæ sumus dicturi, quid respondendum sit ceteris, compertum fiet.

Dices. Apostolus *Roman.* 6. 12. ait: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Est ergo peccatum in nostro mortali corpore, in quo etiam regnat, semel ac concupiscentiis illius obedianus. Hinc idem Apostolus cap. 7. 17. loquens de motu prævenientis concupiscentiæ ait: *Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum:* et v. 20. *Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Sed hoc peccatum, quod Apostolus fatetur in se habitare, est ipsa concupiscentia, sicuti idem Apostolus manifeste innuit: ergo concupiscentia &c.

R. explicando Apostoli verba cum S. Augustino: " Agit enim „ aliquid concupiscentia carnis (inquit S. Doctor *De Nupt. et* „ *concup.* lib. 1. num. 30.) et quando ei non exhibetur vel „ cordis assensus, ubi regnat, vel membra, velut arma, quibus „ impleatur, quod jubet. Agit autem quid, nisi ipsa desideria „ mala, et turpia? Non enim si bona, et licita essent, eis obe„ dire prohiberet Apostolus dicens, *non regnet peccatum in ves„ tro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus.* Non enim ait „ ad habenda desideria ejus, *sed ad obediendum desideriis ejus.*" Quapropter, sicuti prosequitur idem S. Doctor lib. 2. *Oper. Imperf.* cap. 226. *Hanc ergo concupiscentiam carnis cohiberi Apostolus præcipit, nec regnare permittit, eamque peccati nomine appellat, quia et de primo peccato originem ducit, et quisquis ejus motibus ad illicita consenserit, peccat.* Lib. 5. *Oper. Imperf.* cap. 59. explicans Apostoli verba cap. 7. ait: " Quid est, quod nolo, facio? et quid est, non ego ope„ ror? quid est, nisi quod consequenter exponit? Dicendo quip„ pe quod nolo facio, se facere ostendit: et rursus dicendo: non „ ego operor; non mentem consentientem, sed carnem suam con„ cupiscentem id facere ostendit: concupiscendo quidem caro agit, „ etsi ad consensum mentem non adtrahit."

C. Apostolus *Roman.* 7. 7. inquit: *Sed peccatum non cognovi nisi per legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: concupisces?* Apostolus igitur peccatum, hoc est concupiscentiam novit per legem, et eam quidem legem, qua sibi præcipiebatur, ut non concupisceret: est ergo concupiscentia vere, et proprie dictum peccatum a lege prohibitum. Superaddit Apostolus in eodem cap. v. 14. *Scimus enim, quia lex spiritualis est: ego autem carnalis sum venundatus sub peccato.* Agit autem hoc in loco Apostolus de lege, quæ concupiscentiam prohibet, propterea que se carnalem, et sub peccato venundatum dicit, quia concupiscentiæ subjectus erat. Concupiscentia ergo est

vere, et proprie dictum peccatum, indeque prohibetur a lege. Si autem concupiscentia inde peccatum dicatur, quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat, ea frustra a lege prohiberetur.

R. Apostolum testari hoc in loco peccatum se cognovisse per legem, et quidem per istam legem: non concupisces. Lex ergo respicit non fomitem concupiscentiæ, sed actum concupiscendi, alioquin in regeneratis in Christo Jesu, quum fomes concupiscentiæ remaneat etiam in illis, esset aliquid damnationis, contra ac idem Apostolus affirmavit. Quare Apostolus quando dixit, per legem se cognovisse peccatum, ad illud sane peccatum respexit, quod lege prohibetur illis verbis: non concupisces: sed hujusmodi peccatum non est positum in fomite concupiscentiæ, sed in actu concupiscendi: ergo rationem peccati non concupiscentiæ in se spectatæ, seu fomiti ipsius concupiscentiæ, sed vitioso actui hominis consentientis ipse tribuit.

Ad alterum ita respondet S. Augustinus lib. 2. *Cont. duas epist. Pelag.* num. 27. " Undique ergo Apostolus, quum hæc „ scriberet, carnalis fuit? An secundum corpus hoc habuit? Ad„ duc enim erat in corpore mortis hujus; nondum facto, quod „ alibi dicit: seminatur corpus animale, surget corpus spirita„ le . . . Sic ergo ideo dixit: ego autem carnalis sum, quia non„ dum spiritale corpus habebat Apostolus ". S. Thomas lect. 3. in cap. 7. epist. ad Romanos explicans illud Apostoli: *ego autem carnalis sum*, advertit, hominem duplici ratione carnalem dici posse, hoc est, vel quia subditur carni, dum consentit incitamentis illius, vel quia caro insurgit contra rationem: secundum priorem modum ii dicuntur carnales, qui non sunt reparati per gratiam: secundum alterum, qui habent donum gratiæ. Unde se quoque esse carnalem S. Paulus æquo jure affirmare poterat.

" Item quod adjunxit (inquit S. Augustinus loc mox cit.) „ *venundatus sub peccato*, nequisquam nondum eum redemptum „ Christi Sanguine existimet, etiam hoc secundum illud potest in„ telligi quod ait: et nos primitias habentes spiritus, et ipsi in „ nobismetipsis ingemiscimus, adoptionem expectantes, redemp„ tionem corporis nostri. (a) Si enim secundum hoc dicit se ve„ nundatum sub peccato, quod adhuc non est redemptum a cor„ ruptione corpus ejus; vel venundatum aliquando in prima trans„ gressione præcepti, ut haberet corpus corruptibile, quod ag„ gravat animam, quid prohibet Apostolum intelligi de se ipso „ dicere "?

C. Apostolus in eodem cap. 7. ep. ad *Roman.* postquam dixit v. 20. *Si autem quod nolo, illud facio; jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum*, superaddit in seq.

(a) Rom. 8. 23.

v. *Invenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet.* Et v. 23. *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati.* Apostolus in hisce locis testatur, in se habitare peccatum : sibi adjacere malum; videre in se legem repugnantem legi mentis, seque captivantem in lege peccati: sed Apostolus in gratia constitutus erat ; ergo hæc omnia de obtemperante motibus concupiscentiæ non possunt intelligi, sed de ipsa concupiscentia in se spectata intelligantur oportet.

R. cum S. Thoma lect. 3. ad cap. 7. epist. *ad Roman.* ad primam partem objectionis : "Illud autem homo (inquit ipse) „ dicitur operari, quod ratio operatur, quia homo est id, quod „ est secundum rationem: unde motus concupiscentiæ, qui non „ sunt a ratione, sed a fomite, non operatur homo, sed fomes „ peccati, qui hic peccatum nominatur . . . Dictum est, quod *in* „ *me* etiam per gratiam reparato, *peccatum operatur*; sed in- „ telligendum est *in me* secundum carnem simul cum appetitu „ sensitivo ".

Alteram partem objectionis ita explicat S. Augustinus lib. 1. *De Nupt. et concup.* num. 33. "Hoc est, invenio legem mihi „ esse, bonum volenti facere, quod lex vult : quoniam non ip- „ si legi, quæ dicit, *non concupisces*, sed mihi adjacet malum „ quod nolo, quia et nolens concupisco". Unde superaddit Apostolus v. 22. *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem.*

Tertiam quoque ita solvit S. Augustinus in eodem lib. num. 34. "Verum (inquit) illud, quod ait: *video autem aliam legem* „ *in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, ipsa est ista, „ de qua loquimur, concupiscentia, lex peccati in carne pec- „ cati. Quod autem dixit, *et captivantem me sub lege peccati*, „ hoc est, sub se ipsa, *quæ est in membris meis.* Aut *capti-* „ *vantem* dixit, captivare conantem, id est : ad consentiendum „ implendumque cogentem : aut potius, quod non habet contra- „ versiam, captivantem secundum carnem, quam nisi teneret car- „ nalis concupiscentia, quam legem peccati vocat, non utique in „ ea illum illicitum desiderium, cui mens obedire non debeat, „ commoveret".

CAPUT QUINTUM.

De Essentia Peccati Originalis.

Refutatis, qui hac de re circumferuntur, erroribus, nunc statuemus, in quo debeat reponi essentia originalis peccati. Quod scho-

lastici dixernnt formale, et materiale rei alicujus, nunc explicabimus ad intelligentiam illorum, quæ dicturi sumus. Formale rei illud esse dicitur, per quod ipsa res habet, ut sit in sua essentia, vel substantia talis, et non alia : materiale autem, quod respectu ejusdem rei habetur loco materiæ.

Prop. Peccatum originale formaliter est privatio justitiæ originalis, materialiter vero est ipsa concupiscentia.

Prob. simul utraque pars prop. Motus inordinatus voluntatis, in quo peccatum consistit, est conversio ad bonum creatum absque convenienti ordine ad ultimum finem : hæc vero inordinata conversio secum fert aversionem incommutabili bono, in quo tantum est ratio ultimi finis : quare in illa deordinata conversione positum est materiale peccati, in aversione autem ab ultimo fine, seu ab incommutabili bono, positum est formale peccati. Nam, sicuti inquit S. Thomas quæst. 4. *De Malo* art. 2. " Formalis ratio actus moralis accipitur per comparationem ad finem . . . Sic „ ergo in peccato primi parentis fuit aliquid formale, scilicet aver- „ sio ab incommutabili bono, et aliquid materiale, scilicet con- „ versio ad bonum commutabile. Ex hoc autem, quod aver- „ sus fuit ab incommutabili bono, donum originalis justitiæ „ amisit ; ex hoc vero quod conversus est inordinate ad com- „ mutabile bonum, inferiores vires, quæ erigi debebant ad „ rationem, depressæ sunt ad inferiora. Sic ergo et in his, „ qui ex ejus stirpe oriuntur, superior pars animæ caret debi- „ to ordine ad Deum, qui erat per originalem justitiam, et infe- „ riores vires non subduntur rationi . . . et ipsum etiam corpus in „ corruptionem tendit secundum inclinationem contrariorum, ex „ quibus componitur. . . Et ideo quum carentia originalis justitiæ „ se habeat ex parte voluntatis ; ex parte autem virium a vo- „ luntate motarum sit pronitas ad inordinate appetendum, quæ „ concupiscentia dici potest, sequitur, quod peccatum originale „ in hoc homine, vel illo, nihil est aliud, quam concupiscentia „ cum carentia originalis justitiæ ; ita tamen quod carentia ori- „ ginalis justitiæ est quasi formale in peccato originali, concu- „ piscentia autem est quasi materiale : sicut et in peccato actua- „ li aversio ab incommutabili bono est quasi formale, conversio „ autem ad commutabile bonum est quasi materiale ". Hæc S. Thomas quibus ea clariori ratione, qua potest, explicatur quod modo volumus.

Non minus clare rem istam difficilem explicat S. Doctor 1. 2. quæst. 82. art. 3. " Est igitur (inquit) attendenda causa origi- „ nalis peccati ex causa originalis justitiæ, quæ ei opponitur. To- „ ta autem ordinatio originalis justitiæ ex hoc est, quod volun- „ tas hominis erat Deo subjecta. Quæ quidem subjectio primo, „ et principaliter erat per voluntatem, cujus est movere omnes „ alias partes in finem. Unde ex aversione voluntatis a Deo con-

„ sequuta est inordinatio in omnibus aliis animæ viribus. Sic er-
„ go privatio originalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo,
„ est formale in peccato originali, omnis alia inordinatio virium
„ animæ se habet in peccato originali, sicut, quiddam materia-
„ le. Inordinatio autem aliarum virium animæ præcipue in hoc at-
„ tenditur, quod inordinate convertuntur ad bonum commutabi-
„ le, quæ quidem inordinatio communi nomine potest dici con-
„ cupiscentia".

Ex his omnibus colligitur, deceptos hac in re fuisse eos Theologos, qui peccatum originale in reatu pœnæ reposuerunt; nam reatus pœnæ præsupponit culpam, et ad illam consequitur. Hoc vero est, quod etiam S. Augustinus sæpe urget contra Pelagianos, et præsertim lib. 2. *Oper. Imperf.* cap. 143., lib. 3. cap. 126., et 204. ostendit contra Julianum, Deum futurum injustum, si puniret eos, qui præviæ culpæ non forent obnoxi. Ex quo constat, quam immerito prædicti Theologi Augustinum in suam sententiam trahere conentur.

LIBER TERTIUS.

De ea ratione, qua transfunditur peccatum originale, deque subjecto illius.

Duobus in capitibus de hac utraque re disputabimus,

CAPUT PRIMUM.

De ea ratione, qua peccatum originale transfunditur in Adæ posteros.

Rem valde difficilem explicandam aggredimur, verum licet quomodo contrahatur peccatum originale, haud facile possit explicari, revera tamen illud contrahi ab omnibus posteris Adæ nullo modo potest dubitari. Nam, sicut inquit S. Augustinus lib. 6. *Cont. Julianum* num. 11. *Quamvis res ista nulla ratione indagetur, nullo sermone explicetur, verum tamen est, quod antiquitus vera fide catholica prædicatur, et creditur per Ecclesiam totam.* Aliunde autem certissima fide tenendum est, animam in creatione sui nullum a Deo vitium posse contrahere. Quapropter ad unionem animæ cum corpore referatur oportet transfusio pec-

cati originalis in animam. Omissis nunc aliis hujus rei explicationibus, hanc nos modo seligimus.

Prop. Anima labem peccati originalis inde contrahit quia quum infundatur corpori, quod descendit ab Adam per generationem naturalem, fit compars una cum corpore humanæ naturæ, et simul cum illo constituit humanam naturam descendentem ab Adam per generationem naturalem.

Id tantum nunc recolimus, quod in hujus disputationis lib. 1. pluribus jam ostendimus, Adamo peccante, totam naturam corrumptam fuisse, omnesque propterea homines carnali generatione ab illo propagatos in eo peccasse, et hoc peccatum commune ipsi naturæ fieri proprium uniuscujusque, et quia voluntas uniuscujusque in Adami voluntate continebatur, et quia uniuscujusque est propria natura ob peculiarem generationem recepta singulariter.

Prob. prop. Illud ergo tenendum est, Adam, et peccatum illius non fuisse causam demeritoriam ipsius peccati originalis. Hujus rei est perspicua ratio, quam affert S. Thomas in II. Sentent. dist. 20. quæst. 2. ad 3. "Dicendum, quod peccatum non „ transit in posteros a primo parente per modum demeriti, qua„ si ipse omnibus mortem meruerit, et infectionem peccati, sed „ per modum traductionis consequentis traductionem naturæ. Non „ enim unius personæ actus toti naturæ mereri, vel demeriri potest, „ nisi limites humanæ naturæ transcendat, ut patet in Christo, „ qui Deus, et homo est. Unde a Christo nascuntur filii gratiæ, „ non per carnis traductionem, sed per meritum actionis: ab Adam „ vero nascimur filii iræ per propagationem." Qua vero ratione id contingat quæst. 3. *De Potent.* art. 9. ad 3. ita explicat: "Di„ cendum, quod peccatum originale dicitur peccatum totius na„ turæ, sicut peccatum actuale dicitur peccatum personale: un„ de quæ est peccati actualis comparatio ad unam personam sin„ gularem, eadem est comparatio peccati originalis ad totam na„ turam, humanam traditam a primo parente, in quo fuit peccati ini„ tium, et per cujus voluntatem in omnibus peccatum originale quasi „ voluntarium reputatur. Sic ergo originale peccatum est in ani„ ma, in quantum pertinet ad humanam naturam. Humana au„ tem natura traducitur a parente in filium per traductionem „ carnis, cui postmodum anima infunditur, et ex hoc infectio„ nem incurrit, quod fit cum carne traducta humana natura. Si „ enim non uniretur ei ad constituendam naturam, sicut Angelus „ unitur corpori assumpto, infectionem non reciperet." In re tam obscura sunt ista adeo manifesta, atque ipsi rationi consentanea, ut nihil iis superaddi necesse sit in confirmationem propositionis nostræ.

CAPUT SECUNDUM

De subjecto originalis peccati.

Quodnam sit subjectum proximum peccati originalis, nunc definiendum aggredimur.

Prob. Caro non est subjectum peccati originalis, sed ipsa anima.

Prob. prop. Quod est in se capax culpæ, potest esse subjectum peccati originalis: sed sola anima est capax culpæ, nullo autem modo caro in se spectata: ergo caro non est subjectum peccati originalis, sed ipsa anima.

Deinde peccatum originale, quum consistat in privatione originalis justitiæ, inesse debet in eo subjecto, quod est proprium justitiæ originalis: sed anima est subjectum justitiæ originalis, quia per originalem justitiam anima ejusque potentiæ Deo subdebantur, caro autem subdebatur animæ non propter justitiam originalem sibi inhærentem, sed ob dominium, quod anima in illo statu habebat supra corpus: ergo anima, non autem corpus, est subjectum peccati originalis. Major propositio inde constat, quia eorum, quæ opponuntur privative, est unum idemque subjectum, uti apparet in oculo, qui est subjectum potentiæ visivæ, et cæcitatis.

Dices. Apostolus *Roman.* 7. 23. ait: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Caro igitur est subjectum peccati.

R. cum S. Thoma 1. 2. quæst. 83. art. 1. ad 1. "Dicendum, quod sicut dicit Augustinus lib. 1. *Retract.* cap. 26., Apostolus loquitur ibi de homine jam redempto, qui liberatus est a culpa, sed subjacet pœnæ: ratione cujus peccatum dicitur habitare in carne. Unde ex hoc non sequitur, quod caro sit subjectum culpæ, sed solum pœnæ."

Prop. II. Anima est subjectum magis principuum peccati originalis, quam potentiæ illius.

Prob. prop. *Etiam justitia originalis* (inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 83. art. 2. ad 2.) *pertinebat primodialiter ad essentiam animæ: erat enim donum datum divinitus humanæ naturæ: quam per prius respicit essentia animæ, quam potentiæ.* Sicut ergo essentia animæ est primum immediatum subjectum justitiæ originalis; ita etiam esse debet primum, immediatumque subjectum privationis hujus justitiæ, hoc est, peccati originalis.

Eo vel maxime, sicuti advertit S. Thomas quæst. 4. *De Malo* art. 4. ad 6., quod essentia animæ non solum est forma cor-

poris, quæ dat illi, ut sit, sed est etiam principium potentiarum, et hac de causa primum, et immediatum subjectum humanæ infectionis, ex originali peccato proficiscentis, anima sit oportet, non vero aliqua potentia ejus.

Dices. Peccatum originale transfunditur in posteros ob peccatum Adæ: sed peccatum prius infecit Adami potentias, quam animam illius: ergo et in nobis quoque prius inficit potentias animæ, quam ipsam animam.

R. cum S. Thoma cit. loco ad 5. " Quod in Adam persona corrupit naturam, et ideo in eo primo corruptio fuit in potentiis animæ, quam in essentia: sed in homine, qui nascitur ex Adam natura corrumpit personam: et ideo in isto per prius corruptio pertinet ad essentiam, quam ad potentias. "

Prop. III. Peccatum originale, habita ratione inclinationis ad actum pravum, prius respicit, atque inficit voluntatem, quam alias potentias animæ.

Prob. prop. Sicuti enim argumentatur S. Thomas *De Malo* quæst. 4. art. 5., ut perspectum fiat, quænam animæ potentia inter ceteras sit primum subjectum peccati originalis, videndum est, quænam illa potentia sit, a qua, ut peccatum in eis esse possit, omnes aliæ habent: per se namque patet, hujusmodi potentiam esse super alias magis præcipuum subjectum peccati originalis: sed a voluntate ceteræ potentiæ habent, ut in eis peccatum esse possit, quum non detur peccatum respectu cujuscumque potentiæ, nisi sit voluntarium: ergo peccatum originale, habita ratione inclinationis ad actum pravum, prius respicit, atque inficit voluntatem, quam ceteras potentias animæ.

Neque est, cur dicatur, peccato originali perverti illud regimen, quod spectat ad rationem: nam, sicuti inquit S. Thomas in cit. loco ad 5. *Perversum regimen rationis non habet rationem culpæ, nisi in quantum est voluntarium: et ita etiam ratio habet a voluntate, quod possit esse subjectum peccati.*

LIBER QUARTUS.

De effectibus peccati Originalis.

Utrum humana natura propter peccatum primi parentis non solum spoliata fuerit gratuitis innocentiæ donis, sed etiam in naturalibus ita vulnerata, atque læsa, ut vires illius naturales fuerint ad bene operandum diminutæ, et in deterius immutatæ in-

clinationes ad illa, quæ sunt justitiæ, liberumque arbitrium attennuatum, et læsum, hoc vero est, quod nunc aggredimur definiendum. Ludovicus Molina in sua *Concord.* quæst. 14. art. 13. disput. 3., Vasquesius in 1. 2. disput. 138. cap. 2., Suaresius in suo Opere tripartito Prolegom. 4. *De Statibus hum. nat.* Bellarminus lib. *De Grat. primi hom.* cap. 5. et alii tuentur, propter peccatum originale humanam naturam non vulneratam in naturalibus, sed in eodem statu nunc esse homines, virium naturalium habita ratione, ac si creati fuissent in statu naturæ puræ, hoc est, sine gratia, et sine peccato. Hoc sane est præcipuum fundamentum totius doctrinæ Molinisticæ. Ut res ista in bono lumine ponatur, adverti debet cum Angelico in II. *Senten.* dist. 30. quæst. 1. art. 1. ad 3. quod "Dona naturalia dicun„ tur dupliciter, vel prout sunt in se considerata, secundum quod „ naturæ debentur ex propiis principiis, et sic nec homo, nec An„ gelus per peccatum aliquid naturalium amisit, vel in aliquo di„ minutus est.... Vel secundum qnod ordinatur in finem ultimum; „ et hoc modo in utroque bona naturalia diminuta sunt, non qui„ dem penitus amissa, in quantum uterque factus est minus ha„ bilis, et magis distans a finis consequutione: et propter hoc „ etiam homo gratuitis spoliatus dicitur, et in naturalibus vulneratus." Vulnera peccati originalis singillatim explicat his verbis 1. 2. quæst. 85. art. 3.: "Sunt autem quatuor potentiæ animæ, quæ possunt „ esse subjecta virtutum; scilicet ratio, in qua est prudentia, vo„ luntas, in qua est justitia, irascibilis: in qua est fortitudo, „ concupiscibilis, in qua est temperantia. In quantum ergo ratio „ destituitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantiæ: in „ quantum vero voluntas destituitur suo ordine ad bonum, est „ vulnus malitiæ: in quantum vero irrascibilis destituitur suo or„ dine ad arduum, est vulnus infirmitatis: in quantum vero concupis„ centia destituitur suo ordine ad delectabile moderatum ratione, „ est vulnus concupiscentiæ. Sic igitur ista quatuor sunt vulnera in„ flicta toti humanæ naturæ ex peccato primi parentis." In 1. cap. hujus lib. hæc quatuor vulnera in humanam naturam ex originali peccato profluxisse, ostendimus: in 2. autem propter originale peccatum esse liberum arbitrium solummodo diminutum, et attenuatum, non vero extinctum, sicut nonnulli Sectarii volunt.

CAPUT PRIMUM.

De Vulneribus inflictis humanæ naturæ propter peccatum originale.

Prop. I. Vulnus ignorantiæ inflictum est rationi propter peccatum originale.

Prob. prop. S. Thomas cit. art. non solum hujus vulneris, sed etiam ceterorum originem simul et causam indigitat, inquiens: " Hæc autem originalis justitia subtracta est per peccatum primi „ hominis.... et ideo omnes vires animæ remanent quodammodo „ destitutæ proprio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtu- „ tem, et ipsa destitutio vulneratio naturæ dicitur. " Vulnus ignorantiæ est sane illud, quod Juliano semper objecit Augustinus ad adstruendam propagationem originalis peccati. Unde *Cont. Julian.* lib. 6. num. 49. " Omni enim peccato (inquit) caret (bap- „ tizatus), non omni malo. Quod planius ita dicitur: omni rea- „ tu omnium malorum caret, non omnibus malis... Nunquid ca- „ ret ignorantiæ malo, per quod a nescientibus innumerabilia „ perpretrantur mala? An parvum malum est, per quod homo „ non percipit, quæ sunt spiritus Dei? De baptizatis nempe di- „ cebat Apostolus: *Animalis homo non percipit, quæ sunt spi- „ ritus Dei.* " Et post alia ex Apostolo in medium adducta ita „ colligit: Non igitur caruerant tanto ignorantiæ malo in lava- „ cro regenerationis, ubi tamen omnibus caruerant sine dubita- „ tione peccatis." Lib. 1. *Retract.* cap. 9. num. 6. loquens de pœna peccati originalis ait: " Ad quam miseriam justæ damnationis „ pertinet ignorantia, et difficultas, quam patitur omnis homo „ ab adolescentia sua. " Hæc ignorantia, sicuti S. Augustinus supra monuit, præcipue attendi debet respectu illorum, quæ sunt Spiritus Dei, et ultimi finis. Talem vero ignorantiam putavit Augustinus loco nunc citato, accedente sana doctrina post baptismum, non solum minui posse in hac vita, sed etiam *consumi*; concupiscentiam autem minui posse, non tamen consumi.

Præcipue, inquam, respectu ultimi finis hæc ignorantia attendi debet, de qua nunc loquimur: nam ex ea, uti inquit S. Augustinus lib. 22. *De Civit. Dei.* cap. 22. num. 1. " Omnis er- „ ror existit, qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu sus- „ cipit, ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non „ possit. " Est ergo ignorantia præcipuum vulnus, quod inflictum fuit intellectui propter originale peccatum. Illud autem cum Angelico 1. 2. quæst. 85. art. 3. ignorantiæ vulnus intellectui inflictum propter peccatum originale magis est attendendum respectu veritatis practicæ, quam speculativæ, quia *ratio præcipue hebetatur in agendis.*

Dices. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine,* inquit Regius propheta *Psal.* 4. 7., sed cum hoc lumine ignorantiæ tenebræ simul stare non possunt; ergo.

R. Signatam esse in nobis imaginem vultus Dei, quatenus facti sumus ad imaginem Dei, quam tamen homo peccando corrumpit. *Homo enim* (inquit S. Augustinus in cit. *Psal.* num. 8.) *factus est ad imaginem, et similitudinem Dei, quam peccando*

corrupit. Verum hac de re satis disseruimus Disput. 7. lib. 1. cap. 1.

Prop. II. Vulnus malitiæ inflictum est voluntati propter peccatum originale.

Prob. prop. S. Augustinus lib. 22. *De Civit. Dei* cap. 22., enumeratis multis malis, iisque etiam turpissimis, quæ committuntur malitia hominum ait : " Verum hæc hominum sunt malorum, „ ab illa tamen erroris, et perversi amoris radice venientia, „ cum qua filius Adam nascitur. Nam quis ignorat cum quanta „ ignorantia veritatis, quæ jam in infantibus manifesta est, et „ cum quanta abundantia vanæ cupiditatis, quæ in pueris inci- „ pit apparere, homo veniat in hanc vitam " ? Et *Cont. Julian.* lib. 3. num. 60. *Non attendis, peccato illo magno universam in deterius mutatam fuisse naturam, unde fuerat origo ducenda* ? Lib. 4. *Oper. Imperf.* cap. 48. *Cur ergo ad peccandum proclivior est natura mortalium, si nihil egit originale peccatum*? S. Thomas quærit 1. 2. quæst. 83. art. 3. utrum peccatum originale per prius inficiat voluntatem, quam alias potentias animæ, et respondet, quod si consideretur infectio peccati originalis quantum ad inclinationem ad actum, prius afficit voluntatem, quam ceteras potentias : *Oportet ergo* (inquit) *quod illam per prius respiciat, quæ primam inclinationem habet ad peccandum. Hæc autem est voluntas : unde peccatum originale per prius respicit voluntatem.* Verum hoc, quod modo volumus, non solum tantorum doctorum, sed etiam ipsa experientia confirmatum habemus quum omnes testes simus malitiæ inhærentis nostræ voluntati etiam contra ipsa præcepta legis naturæ.

Prop. III. Vulnus infirmitatis inflictum est potentiæ irrascibili propter peccatum originale.

Prob. prop. Sicuti advertit S. Thomas 1. 2. quæst. 56. art. 4., irrascibilis, et concupiscibilis possunt considerari dupliciter : uno modo secundum se, prout sunt partes appetitus sensitivi, alio modo prout participant rationem, quatenus in homine ex sui natura sunt subjectæ rationi. Secundum priorem rationem irrascibili, et concupiscibili non competit esse subjectum virtutis : secundum alteram, inquit S. Thomas. " Irascibilis, vel concupiscibilis po- „ test esse subjectum virtutis humanæ. Sic enim est principium „ humani actus, in quantum participat rationem, et in his po- „ tentiis necesse est ponere virtutes. " Nam actus illius potentiæ, quæ movetur ab altera, non potest esse perfectus, nisi utraque potentia sit bene disposita ad actum, uti constat in opere artificis, quod non potest esse perfectum, si vel artifex, vel instrumentum, quo ipse utitur, non sint bene disposita ad agendum. Unde oportet, ut aliquis habitus rectus tam in irascibili, quam in concupiscibili quoad ea ponatur, quæ ipsæ agunt, prout moventur a ratione. Et quia bona dispositio unius potentiæ, quatenus

movetur ab altera, sicuti prosequitur Angelicus, " Attenditur se-
„ cundum conformitatem ad potentiam moventem; ideo virtus,
„ quæ est in irrascibili: et concupiscibili, nihil aliud est, quam
„ quædam habitualis conformitas istarum potentiarum ad rationem."
Modo vero ita proprius ad rem nostram ex eodem Angelico 1. 2. quæst. 85. art. 3. " Per justitiam originalem perfecte ratio con-
„ tinebat inferiores vires animæ, et ipsa ratio perficiebatur ei
„ subjecta. Hæc autem originalis justitia subtracta est per peccatum
„ primi parentis (id etiam nos pluribus jam ostendimus) et ideo om-
„ nes vires animæ remanent quodammodo destitutæ proprio ordi-
„ ne, quo naturaliter ordinantur ad virtutem, et ipsa destitutio
„ vulneratio dicitur naturæ." Quum ergo etiam irascibilis, quatenus in homine subjicitur rationi, sit subjectum virtutis, atque etiam ipsa, originali justitia semel sublata, *remaneat quodammodo destituta proprio ordine, quo naturaliter ordinatur ad virtutem*, inde sane evidenter consequitur, ut propter originale peccatum sit inflictum irascibili vulnus infirmitatis. Infirmitatis, inquam, quatenus ipsa potentia, semel subtracta debita subjectione ejus ad rationem, evasit debilitata ad agenda opera virtutis.

Prop. IV. Propter originale peccatum inflictum est vulnus etiam potentiæ concupiscibili, quatenus ea remansit destituta suo ordine ad bonum delectabile.

Prob. prop. Non minus irascibilis, quam concupiscibilis potest esse subjectum humanæ virtutis, quatenus ea subditur rationi, sicuti loco mox citato ostendit Angelicus, ac propterea ordinate se habet ad delectabilia. Hoc ergo est, quod propter peccatum originale sublatum fuit. Hinc S. Augustinus lib. 1. *Oper. Imperf.* cap. 72. affirmat, concupiscentiam carnis, quæ concupiscit adversus spiritum, quamvis adversus illam etiam spiritus concupiscat, post peccatum: quod in paradiso perpetratum fuit, humanam vitiasse naturam, atque induxisse dissensionem, atque colluctationem inter carnem, et spiritum, sicuti etiam Sanctus Ambrosius, et S. Cyprianus tradunt. Quare in omnibus libris contra Julianum graviter etiam inde illum increpat, quia in paradiso concupiscentiam non verebatur admittere: et quidem talem, qualis nunc est in nobis. " Aut nulla ibi fuerit carnalis concupiscentia
„: (inquit lib. 4. *Cont. Julian.* num. 69.), sed ille fuerit viven-
„ di modus, ut omnia necessaria congruis membrorum officiis
„ sine ullo motu libidinis implerentur... aut... ita ibi credatur, car-
„ nalium sensuum fuisse libidinem, ut omni modo rationali subdi-
„ ta voluntati " esset.

Ita vero pergit S. Doctor num. 70. " Nunc vero quam se
„ aliter habeat, qui dimicant adversus eam, hi maxime sentiunt.
„ Ingerit se videntibus, vel audientibus aliquid, quamvis prop-
„ ter aliud videant, et audiant, ut, etiamsi tangendi non inde
„ percipit voluptatem, saltem voluptariam cogitationem inter ne-

„ cessaria , quæ ad eum non pertinet , motu obrepente furetur. „ In ipsis porro cogitationibus etiam quando nihil illecebrosum ad- „ jacet oculis , quæ non conatur etiam obsoleta , atque sopita re- „ cordationibus inquietis cum turpi delectatione refricare , et cas- „ tis, sanctisque intentionibus tumultu quodam sordidæ interpella- „ tionis obstrepere " ? Alia in eamdem rem hoc loci S. Doctor commemorat, verum ista , quæ ipsa experientia confirmat , satis esse putamus , ut omnibus eo de vulnere constet , de quo nunc loquimur.

Infectionem peccati originalis transfundi singulariter in potentiam generativam, vim concupiscibilem , et sensum tactus , S. Thomas 1. 2. quæst. 83. art. 3. S. Augustinus lib. 14. *De Civit. Dei* cap. 16. et seqq. inde colligunt, quia corruptio peccati originalis transfunditur per generationem, cui prædictæ potentiæ deserviunt.

Dices. Ignorantia , et difficultas sunt illa duo vulnera originalis peccati, quæ S. Augustinus Pelagianis frequenter objecit : ergo superflua est rei istius divisio , quæ traditur a S. Thoma.

R. , Sanctum Doctorem hanc sibi difficultatem objecisse 1. 2. quæst 85. art. 3. cui ad 5. ita respondet: *Dicendum , quod difficultas , quæ ponitur ab Augustino : includit ista tria , quæ pertinent ab appetitivas potentias , scilicet malitiam , infirmitatem, et concupiscentiam.* Explicationem D. Thomæ menti S. Augustini conformem esse, inde constat, quia ipse quoque de malitia, infirmitate , atque concupiscentia ex originali peccato provenientibus singillatim loquutus fuit , easque singillatim Pelagianis objecit.

Prop. V. Peccatum originale ex sui intrinseca ratione non consistit in sola privatione , sed includit in se aliquid positivum.

Prob. prop. S. Augustinus lib. 1. *Oper. Imperf.* cap. 25. ait: *Quod si probare idem cogeretur Apostolus* (videlicet per unum hominem peccatum in hunc mundum intrasse) *ipsam generis humani miseriam testem daret, quæ incipit a vagitibus parvulorum, et usque ad decrepitorum gemitus pervenit.* Hinc lib. 3. cap. 5. et 6. affirmat : " Grave jugum esse super filios Adam a die exi- „ tus de ventre matris eorum. " Hic autem loquendi modus , aliique similes , quos adhibet Augustinus in explicandis ærumnis humanæ naturæ ex peccato originali provenientibus, significant profecto , aliquid positivum humanæ naturæ propter originale peccatum superadditum fuisse. S. Thomas pro suo more , adhibita distinctione, singillatim explicat, simulque ostendit , qua ratione peccatum originale etiam aliquid positivum in se includat : " Duplex „ est habitus) inquit 1. 2. quæst. 82. art. 1.) : unus quidem, „ quo inclinatur potentia ad agendum , sicut scientiæ , et virtu-

„ tes dicuntur habitus : alio modo dicitur habitus dispositio ali-
„ cujus naturæ ex multis compositæ , secundum quam bene se ha-
„ bet , vel male ad aliquid, et præcipue quando talis dispositio
„ fuerit quasi in naturam versa , ut patet de ægritudine , et sa-
„ nitate : et hoc modo peccatum originale est habitus. Est enim
„ quædam inordinata dispositio proveniens ex disolutione illius har-
„ moniæ , in qua consistebat ratio originalis justitiæ , sicut etiam
„ ægritudo corporalis est quædam inordinata dispositio corporis,
„ secundum quam solvitur æqualitas, in qua consistit ratio sani-
„ tatis." Sicut ergo ægritudo corporis in se includit non solum privationem sanitatis, sed etiam positivam dispositionem inordinatam ita ægritudo totius naturæ, ex originali peccato proveniens , non solum in se includit privationem originalis justitiæ, sed etiam positivam inordinatam dispositionem , Unde , prosequitur Angelicus in resp. ad 1. " Sicut ægritudo corporalis habet aliquid de pri-
„ vatione , in quantum tollitur æqualitas sanitatis, et aliquid ha-
„ bet positive , scilicet ipsos humores inordinate dispositos ; ita
„ etiam peccatum originale habet privationem originalis justitiæ,
„ et cum hoc inordinatam dispositionem partium animæ" sicut etiam nos ostendimus in præcedentibus propositionibus.

Formale ergo, sicut scholastici dicere consueverunt , peccati originalis non consistit in sola privatione justitiæ originalis , quemadmodum etiam nonnulli Thomistæ tuentur.

CAPUT SECUNDUM.

De Vulnere, quod libero arbitrio est inflictum propter peccatum originale.

Catholica veritas sistit in medio , sicut plerumque contingit, inter duos sibi mutuo oppositos errores , scilicet Pelagianorum, qui easdem liberi arbitrii vires nunc esse voluere, ac in Adamo, et Angelis fuerunt , antequam peccarent; et Lutheranorum , Calvinistarum, atque Jansenistarum, qui liberum arbitrium propter peccatum originale non tantum viribus *attenuatum* , et *inclinatum* , sicuti decernit Trid. Concilium, sed etiam extinctum fuisse contendunt. Auctores Catholici non desunt , qui licet non tantum libero arbitrio tribuant , quantum Pelagiani tribuerunt, id tamen tribuunt, quod nullo modo tribui debet, quum velint, nunc liberum arbitrium in nobis tale esse , quale fuisset in homine condito in puris naturalibus , contra quos copiose egit Lemosius in sua *Panoplia* tract. 1. de læsione lib. arb. cap. 1. et seqq. Istos nunc omittimus , quum contra eosdem jam ostenderimus, ho-

minem propter peccatum non solum spoliatum fuisse gratuitis, sed etiam vulneratum in naturalibus. Piorem errorem primo loco refutabimus deinde alterum, quem sequutus tum Calvinum lib. 1. *Instit.* cap. 2., tum Lutherum in lib. *De Servo Arbit.* Jansenius propugnavit, atque, prout solet, Augustini auctoritate confirmare studuit. Unde lib. 3. *De Statu nat. corrupt.* cap. 2. Augustini sententiam esse dicit: " Quod arbitrium voluntatis post la-
„ psum primi hominis, antequam Divina gratia visitetur, hoc est,
„ antequam christianam suscipiat fidem, unde incipit gratia, sub
„ cupiditatibus terrenis ita arcte captivum possideatur, ut liber-
„ tas illa voluntatis, velut ferreis vinculis adstricta, nullo modo
„ possit surgere, ut bonum velit, aut faciat, sed tantummodo
„ ut captivo motu versetur in malo. "

Prop. I. Propter peccatum originale liberum arbitrium minime extinctum fuit.

Prob. prop. *Deuter.* 30. 19. inquit Deus per Moysem: *Testes invoco hodie cælum, et terram, quod proposuerim vobis vitam, et mortem, benedictionem, et maledictionem. Elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum. Josue* 24. 15. *Optio vobis datur: eligite hodie, quod placet, cui servire potissimum debeatis.* Alia multa hujus generis, quæ in medium afferre possemus, non est, cur in re tam perspicua afferamus. Supradicta generatim dicuntur de hominibus existentibus in statu naturæ lapsæ, iisque generatim tribuitur libertas electionis sive in bonum, sive in malum: error igitur Lutheri, Calvini, atque Jansenii auctoritati Scripturarum manifeste adversatur

Deinde omnia Dei præcepta, in Sacris litteris promulgata hominibus, omnino supervacanea essent, semel ac homines agendi bonum, aut malum libertatem non haberent: " Revelavit autem
„ nobis (inquit S. Augustinus lib. *De Grat. et lib. arb.* num. 2.)
„ per Scripturas suas sanctas, esse in homine liberum voluntatis
„ arbitrium: quomodo autem revelaverit, commemoro vos, non
„ humano eloquio, sed divino. Primum quia ipsa divina præcep-
„ ta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis ar-
„ bitrium, quo ea faciens ad promissa præmia perveniret. " Hinc idem S. Doctor *Cont. duas epist. Pelagian.* lib. 1. num. 5. Pelagium calumniantem tueri a nobis, liberum arbitrium propter peccatum Adæ periisse, ita refellit: " Quis autem (inquit) nos-
„ trum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum ar-
„ bitrium de humano genere? Libertas quidem periit per pecca-
„ tum, sed illa, quæ in paradiso fuit, habendo plenam cum im-
„ mortalitate justitiam." Jure ergo, meritoque Tridentini Patres sess. 6. can. 5. dixerunt anathema illi, qui *Liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, et extinctum esse dixerit.* Contra nonnullos male sentientes philosophos nostri temporis

hanc de libertate doctrinam *Theol. Natural.* lib. 2. quæst. 5. artic. 6. nos propugnavimus.

Dices. S. Aug. epist. , alias 107: nunc 217. num. 12. ait : *Quia et liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus* , In *Enchirid.* num. 9. *Nam libero arbitrio male utens homo et se perdidit , et ipsum. Sicut enim qui se occidit , utique vivendo se occidit , sed se occidendo non vivit ; nec se ipsum poterit resuscitare , quum occiderit : ita quum libero peccaretur arbitrio , victore peccato , amissum est liberum arbitrium.* Tandem lib. *De Perf. just.* num. 9. ait: *Victa enim vitio , in quod cecidit , voluntate , caruit libertate natura.* Sensit ergo Augustinus , amissam esse libertatem propter originale peccatum.

R. S. Doctorem his in locis , aliisque similibus loqui de libero arbitrio , habita potissimum ratione obligationis mandatorum Dei , ejusque dilectionis. Hinc in primo loco citato , nos liberum arbitrium peccati granditate perdidisse , absolute non affirmavit, sed ad Deum diligendum perdidisse *Quapropter* (superaddit) *ut in Deum credamus , et pie vivamus , non volentis , neque currentis , sed miserentis est Dei : non quia velle non debemus , et currere , sed quia ipse in nobis et velle operatur , et currere.* Nam in sua disputatione semper respicit S. Augustinus errorem Pelagianorum , qui uti ipse refert *Hæresi 88. in tantum inimici erant* gratiæ Dei , *ut , sine hac posse hominem facere omnia divina mandata* , falso putarent.

Verum ut manifestum omnino fiat, quid propter originale peccatum amiserit liberum arbitrium quoad implenda divina mandata , observandum est cum S. Thoma 1. 2. quæst. 109. art. 4. " Quod implere mandata legis , contingit dupliciter : uno modo „ quantum ad substantiam operum , prout scilicet homo operatur „ justa , et fortia , et alia virtutis opera : et hoc modo homo in „ statu naturæ integræ potuit omnia mandata legis implere ; alio„ quin homo non potuisset in statu illo non peccare quum, nihil aliud „ sit peccare, quam transgredi Divina mandata: sed in statu naturæ „ corruptæ non potest homo implere omnia mandata divina sine gratia „ sanante. Alio modo possunt impleri mandata legis non solum quan„ tum ad substantiam operis, sed etiam quantum ad modum agen„ di , ut scilicet ex caritate fiant: et sic neque in statu naturæ „ integræ neque in statu naturæ corruptæ potest homo absque „ gratia implere legis mandata."

In altero loco hoc unum vult S. Augustinus , videlicet post peccatum amissum esse liberum arbitrium ad vivendum spiritualiter , quatenus nemo per se a morte peccati potest resurgere, sicut qui se occidit , ad vitam non potest per se redire. Unde post multa , quæ in hanc rem disputavit S. Doctor , habita semper ratione illius impotentiæ , quæ ad resurgendum ad vitam in li-

bero arbitrio manet, ita habet: "item nequisquam, etsi non de „ operibus, de ipso glorietur libero arbitrio voluntatis. tamquam „ ab ipso incipiat meritum, cui tamquam debitum reddatur præ„ mium bene operandi ipsa libertas, audiat eumdem gratiæ præ„ conem dicentem: (a) *Deus est enim, qui operatur in nobis ve„ lle, et operari pro bona voluntate.*"

Sicuti vero in aliis multis: ita etiam in tertio loco rem eamdem semper urget S. Doctor: "Per arbitrii libertatem factum, „ (inquit) ut esset homo cum peccato, sed jam pœnalitas vi„ tiosa sequuta ex libertate fecit necessitatem. Unde ad Deum fi„ des clamat: de necessitatibus meis educ me. Sub quibus posi„ ti vel non possumus, quod volumus, intelligere, vel quod in„ tellexerimus, volumus, nec possumus implere. Victa enim vi„ tio in quod cecidit, voluntate, caruit libertate natura." Libertate, inquam, sese erigendi propriis viribus ab eo statu, in quem propter peccatum decidit.

C. S. Augustinus in lib. *Oper. Imperf. contr. Julianum* sæpe eumdem refellit, quatenus in ipsa libertate quamdam indifferentiæ potestatem reponebat, cui, sicuti inquiebat S. Doctor, fundamentum totius hæresis nitebatur.

R., recte quidem S. Augustinum eam indifferentiam refellere in Pelagianis, quam libero arbitrio ipsi tribuebant, videlicet æque ad bonum, ac ad malum, ita ut sicut liberum arbitrium suis viribus malum, ita etiam et bonum posset operari. Atque in hoc Pelagiani reponebant fundamentum negandi necessitatem gratiæ ad opera bona. Unde Juliano ad nauseam usque obtrudenti hujusmodi indiferentiam ita Augustinus lib. 6. *Oper. Imperf.* cap. 11. "Res„ pondeat et B. Papa Innocentius Romanæ Antistes Ecclesiæ, qui „ rescribens in causa vestra Episcopalibus Conciliis Africanis (a): „ *liberum*, (inquit) *arbitrium olim ille perpessus, dum suis „ inconsultius utitur bonis, cadens in prævaricationis profunda „ demersus est, et nihil, quemadmodum exinde exurgere pos„ set invenit; suaque in æternum libertate deceptus, hujus „ ruinæ jacuisset oppressu, nisi eum post Christi pro sua gra„ tia relevasset adventus.* Vides possibilitatem standi, et caden„ di sic habuisse hominem, ut si cecidisset, non eadem possibi„ litate, qua ceciderat, surgeret, culpam scilicet sequente sup„ plicio. Propter quod Christi gratia, cui miserabiliter estis ingra„ ti, quæ jacentem relevaret, advenit."

Hæc usquemodo contra Jansenium, qui supradicta loca Augustini in medium adducit. Sunt autem ejus generis alia quoque omnia, quæ ex Augustino depromit: semper enim S. Doctor sibi constans eam indifferentiam refellit, quam Pelagiani, cum exclu-

(a) Ad Philip 2. 13.

(b) Epist. 181. inter August. num. 7.

sione necessitatis gratiæ, esse volebant in nobis, quamvis naturam originali peccato corruptam habeamus. Unde frustra Jansenius loca Augustini in hanc rem accumulat.

Prop. II. Liberum arbitrium propter originale peccatum fuit attenuatum, atque diminutum.

Prob. prop. Contendebat Julianus, homini nunc esse æque liberum tam obedire Deo, quam non obedire: contra eum ita S. Augustinus lib. 3. *Oper. Imperf.* cap. 110. „Homo, qui „non cogitas, ubi sis, et in diebus malis, tamquam in bonis, „cæcus extolleris. Quando erat tale, quale describis, liberum „arbitrium, nondum homo vanitati similis factus erat, ut dies „ejus sicut umbra præterirent..... Nondum dicebatur: ego in „iniquitatibus conceptus sum: nondum dicebatur: quis enim est „mundus a sorde? nec infans, cujus est unius diei vita super „terram, postremo non dicebatur: non quod volo, sed quod „odio, illud facio: et, scio, quia non habitat in me, hoc est, „in carne mea bonum: velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum, non invenio..... Hoc malum in Adam, quando „rectus creatus est, non erat, quia natura humana depravata „nondum erat." Rursus, ut alia loca omittam, rem eamdem contra Julianum urget Augustinus lib. 6. *Oper. Imperf.* cap. 8. „Jam baptizatis enim (inquit), et eis, qui Spiritum Sanctum „acceperant, dicebat Apostolus: caro concupiscit adversus spi„ritum, spiritus autem adversus carnem: hæc enim invicem „adversantur, ut non ea, quæ vultis, faciatis. Ubi tu, qui ne„gas, liberum arbitrium vires suas perdidisse peccando, id est, „male se utendo; quid respondebis audiens, quod carne con„cupiscente adversus spiritum, non ea, quæ volunt, faciant et „fideles; non ea, quæ volunt, faciant etiam hi, quibus sunt „in baptismo dimissa peccata, non ea, quæ volunt faciant, quos „Apostolus ex auditu fidei dicit accepisse Spiritum Sanctum, „postremo non ea, quæ volunt, faciant per liberam voluntatem, quos ait idem Doctor gentium, vocatos in libertatem."

Profecto liberum arbitrium eo perfectius est, quo ad bonum agendum est magis expeditum: attenuatur autem, atque minuitur, quo minus est expeditum ad agendum bonum, et præcipue si id habeat ob difficultatem sibi interius superadditam: omnino expeditum ad bonum erat in statu integræ naturæ, in statu autem naturæ corruptæ id amissit propter contra renitentem difficultatem, quæ sibi obvenit interius: ergo liberum arbitrium propter originale peccatum fuit attenuatum. et diminutum. Hinc S. Augustinus cit. loco affirmat, liberum arbitrium in paradiso: *Integerrimas vires habuisse, atque hominem non solum nulla impossibilitate, verum etiam nulla difficultate* fuisse detentum, ne Deo serviret: nunc autem etiam baptizatos, et sanctificatos non facere, *in extinguenda vitiosa cupiditate, quæ volunt.*

Unde colligit, non esse proprium justitiæ hujus vitæ, vitium non habere: *Sed vitia non eis consentiendo minuere, eisque resistendo temperanter, et juste, et pie vivere.*

Prop. III. Si ratio habeatur etiam inferiorum virium animæ, immo et corporis, constat de vulnere iisdem inflicto ob originale peccatum.

Prob. prop. Explicando singula D. Thomæ auctoritate. „Per „ justitiam originalem (inquit S. Doctor 1. 2. quæst. 85 art. 3.) „ perfecte ratio continebat inferiores animæ vires, et ipsa ratio „ perficiebatur ei subjecta. Hæc autem originalis justitia subtrac„ ta est per peccatum primi parentis, sicut jam dictum est: et „ ideo omnes vires animæ remanent quodammodo destitutæ pro„ prio ordine, quo naturaliter ordinantur ad virtutem, et ipsa „ destitutio vulneratio dicitur naturæ. Sunt autem quatuor po„ tentiæ animæ, quæ possunt esse subjecta virtutum, ut supra „ dictum est: scilicet ratio, in qua est prudentia; voluntas, in „ qua est justitia; irascibilis, in qua est fortitudo; concupisci„ bilis, in qua est temperantia. In quantum ergo ratio desti„ tuitur suo ordine ad verum, est vulnus ignorantiæ: in quan„ tum vero voluntas destituitur suo ordine ad bonum, est vul„ nus malitiæ: in quantum vero irascibilis destituitur suo ordi„ ne ad arduum, est vulnus infirmitatis: in quantum vero con„ cupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratio„ ne, est vulnus concupiscentiæ. Sic igitur ista quatuor sunt „ vulnera inflicta toti humanæ naturæ ex peccato primi pa„ rentis."

Seq. art. Prosequitur S. Doctor explicationem effectuum peccati originalis, habita ratione ipsius corporis: „Peccatum primi „ parentis (inquit) est causa mortis, et omnium hujusmodi de„ fectuum in natura humana, in quantum per peccatum primi „ parentis sublata est originalis justitia, per quam non solum „ inferiores animæ vires continebantur sub ratione absque omni „ deordinatione, sed totum corpus continebatur sub anima abs„ que omni defectu. Et ideo subtracta hac originali justitia „ per peccatum primi parentis, sicut vulnerata est humana natu„ ra quantum ad animam per deordinationem potentiarum; ita „ etiam est corruptibilis effecta per deordinationem ipsius cor„ poris.... Unde etiam mors, et omnes defectus corporales con„ sequentes sunt quædam pœnæ originalis peccati." Hisce igitur verbis Arausicani concilii II. can. 1 huic disputationi finem imponimus: „Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, „ id est, secundum corpus, et animam, in deterius dicit homi„ nem commutatum, sed animi libertate illæsa durante, corpus „ tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore decep„ tus, adversatur Scripturæ Divinæ."

LIBER QUINTUS.

De Pœna, qua post hanc vitam peccatum originale punietur.

Ut in hac disputatione distincte procedamus, illud primo loco monemus, nos hic loqui de ea tantum pœna, quæ peccato originali, non autem actuali, debetur, indeque quærimus, cuinam pœnæ subesse debeant pueri cum peccato originali ex hac vita decendentes. Deinde, omnibus consentientibus, pœnam damni a pœna sensus distinguendam esse animadvertimus: illa enim posita est in carentia visionis Dei, et respondet illi aversioni a Deo, quæ ad ipsum peccatum consequitur; altera in pœna sensus, quæ est a cruciatu, et vermis, qui non moritur, et ignis, qui non extinguitur juxta illud Marci 9. 43. *vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur.*

In tribus capitibus hac tota de re disseremus: in 1. agemus de pœna damni, cui infantes obnoxii erunt in altera vita propter originale peccatum: in 2. de immunitate, quam habebunt, a pœna sensus: in 3. de ea beatitudine post ultimum judicii diem, quam iisdem aliqui tribuunt.

CAPUT PRIMUM.

De Pœna damni, cui infantes obnoxii erunt in altera vita propter peccatum originale.

Infantes non baptizatos, licet originali peccato infectos potiri, regno cælorum, quidam Vincentius Victor tenuit, sicut, legere est apud S. Augustinum lib. 1. *De Orig animæ* num. 10., et lib. 3. num. 19. Quare pueros, etiam sine baptismo, solvi posse culpa originali, ipse falso putavit, indeque dixit, *assiduas oblationes* pro illis fieri debere. Ejus errorum sequuti fuerunt Calvinus *Instit.* lib. 4. cap. 16., et Zuinglius *Declarat. de peccat. origin.* Ille infantibus ex parentibus fidelibus solummodo progenitis, iste autem etiam illis, qui non essent progeniti ex parentibus fidelibus, regnum cælorum tribuit, quatenus hisce infantibus non imputatur peccatum originale.

Pelagiani, qui etiam negabant originale peccatum, propugna-

runt, pueros ex hac vita decedentes absque baptismate non admitti quidem in regnum cælorum, tamen consequi vitam æternam; unde dicebant, illis necessarium esse baptisma non ad vitam æternam, sed ad regnum cælorum consequendum, propterea-que eosdem baptizandos esse affirmabant, sicut apud Augustinum legimus lib. 3. *Cont. Julian.* num. 8. Et *De Hæres.* num. 88. *Nam* (inquit) *etiamsi non baptizentur, promittunt eis extra regnum quidem Dei, sed tamen æternam, et beatam quamdam vitam suam.* Qualis esset hæc vita æterna secundum Pelagianorum sensum, disputatur ab eruditis: illud apud unumquemque certum esse debet, hanc illorum vitam æternam, medium quemdam statum fuisse inter regnum cælorum, et infernum.

Prop. Pueri ex hac vita decentes cum peccato originali puniuntur pœna damni.

Prob. prop. „Sicut Moyses (inquit Christus ad Nicodemum „*Joan.* 3. 14. et seq.) exaltavit serpentem in desserto; ita exal-„tari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, „non pereat, sed habeat vitam æternam." At parvuli non baptizati neque per se, neque per alium credunt in Christum: ergo fieri non potest, ut vitam æternam habeant, hoc est, in regnum cælorum recipiantur. Unde Augustinus merito ridet Pelagianos distinguentes vitam æternam a regno cælorum, atque rem unam eamdemque esse regnum cælorum, et vitam æternam, contra eos ostendit lib. 3. *De peccat. et remiss.* num. 6. Hac vero de causa Sacræ litteræ modo vitam æternam, modo regnum cælorum spondent illis, qui in amicitia Dei ex hac vita decessuri erunt, quemadmodum pueri baptizati revera decedunt.

Hinc Patres Concilii Palæstini Pelagium anathematizare cõëgerunt: *Infantes, etiamsi non baptizentur, habere vitam æternam;* sicut apud Augustinum legitur epist. alias 106., nunc 186. num. 27. *Hæc autem negata,* sicuti ibidem inquit Augustinus, *quid nisi mors æterna remanebit?* Et Patres Concilii Carthaginensis statuere (a), quod: *Quicumque negat, parvulos per baptismum Christi a perditione liberari, et salutem percipere sempiternam, anathema sit.* Ita etiam Patres Concilii Milevitani in sua epistola ad Innocentium (b) ajunt de Pelagianis: *Pueros quoque parvulos, etsi nullis innoventur Christianæ gratiæ sacramentis, habituros vitam æternam, nequa præsumptione contendunt.* Unde S. Augustinus *De Anima, et ejus orig.* lib. 2. num. 17. ait: „Novellos hæreticos Pelagianos justissime Concilio-„rum Catholicorum, et Sedis Apostolicæ damnavit auctoritas, „eo quod ausi fuerint non baptizatis parvulis dare quietis, et „salutis locum, etiam præter regnum cælorum." Priorum Conci-

(a) Inter August. epist. alias 90., nunc 175. num. 6.
(b) Inter August. epist. alias 90., nunc 175. num. 1.

liorum definitionibus consona est definitio Concilii Tridentini Sess. 5. in Decreto de pecc. origin. dicentis anathema illi, qui negaverit, necesse non esse expiari pueros lavacro regenarationis *ad vitam æternam consequendam.*

Dices. S. Augustinus in *Enchirid.* num. 23. ita habet: *Mitissima sane omnium pœna erit eorum, qui præter peccatum, quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt.* Sed privatio beatificæ visionis est maxima pœnarum, quia secum fert privationem maximi boni: ergo.

R. cum. S. Thoma quæst. 5. *De Malo* art. 1. ad 3. ita explicante S. Augustini locum: „Dicendum, quod gravitas alicujus pœnæ potest attendi dupliciter: uno modo ex parte ipsius „boni, quod privatur per malum pœnæ, et sic carentia fruitionis Divinæ, et visionis Dei est gravissima pœnarum: alio „modo per comparationem ad eum, qui punitur; et sic tanto „est gravior pœna, quanto id, quod subtrahitur, est magis „proprium et connaturale ei, cui subtrahitur: sicut magis dicerenus puniri hominem, si auferretur ei patrimonium suum, „quam si impediretur, ne perveniret ad regnum, quod ei non „debetur. Et per hunc modum dicitur esse mitissima omnium „pœnarum sola carentia visionis Divinæ, in quantum visio Divinæ essentiæ est quoddam bonum omnino supernaturale." Est ergo privatio visionis Divinæ maxima pœnarum, habita ratione ejus boni, cujus carentiam indicit, non vero habita ratione puerorum, quibus subtrahitur visio Divina.

C. Ex eo quod peccato originali pœna mitissima debeatur, illi debetur pœna mitior, quam peccato veniali: sed peccato veniali non debetur privatio visionis Divinæ: ergo.

R. dist. maj, si habeatur ratio voluntarii, conc., si habeatur ratio privationis gratiæ, quam inducit; neg. „Dicendum „(inquit S. Thomas loco cit. ad 9.) quod peccatum veniale „originali comparatum quodammodo est majus, et quodammodo est minus. Peccatum enim, veniale comparatum huic personæ, vel illi, magis habet de ratione peccati, quam peccatum originale, quia peccatum veniale est peccatum voluntarium „voluntate hujus personæ, non autem peccatum originale: Sed „peccatum originale comparatum ad naturam est gravius, quia „privat naturam majori bono, quam peccatum veniale privet „personam, scilicet bono gratiæ: et propter hoc debetur ei „carentia visionis Divinæ: quia ad visionem Divinam non pervenitur, nisi per gratiam, quam veniale peccatum non excludit."

C. S. Augustinus lib. *De duabus anim.* num. 14. hæc habet, quæ uniuscujusque rationi consentanea sunt: *Neminem vituperatione, suppliciove dignum, qui aut id velit, quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest.* Sed

puer non potest vitare originale peccatum: ergo si puniretur pœna subtractionis visionis Divinæ, injuste puniretur.

R. cum D. Thoma cit. loco ad 12. „Quod iste puer decedens non habet reatum ex hoc, quod fecit aliquid: hoc enim „esset peccatum commissionis, sed habet reatum ex eo, quod reatum culpæ originalis contraxit."

Unde advertendum cum eodem Angelico cit. loco in resp. ad 2. „Quod anima hujus pueri, qui sine baptismo decedit, „non punitur carentia visionis divinæ propter peccatum Adæ, „secundum quod fuit personale peccatum ejus; sed punitur „propter infectionem originalis culpæ, quam incurrit ex unione ad corpus, quod a primo parente traducitur secundum seminalem rationem. Injustum enim esset, ut derivaretur reatus „pœnæ, nisi et derivaretur infectio culpæ."

CAPUT SECUNDUM.

De ea immunitate a pœna sensus, quæ in pueris non renatis fonte baptismatis admitti debet.

Hac de re nihil ab Ecclesia definitum habemus, Petavius *Dogmat. Theol.* lib. 9. cap. 10 num. 12. una cum aliis quibusdam contra sentit: falso sane, sicuti constat ex operibus hac de re omni tempore editis. Ex Theologis recentioribus multi pro utraque parte decertant: quidam enim illorum subjiciunt pueros non baptizatos etiam pœnæ sensus, nonnulli autem hujusmodi pœnæ prorsus faciunt expertes. Antiquiorum vero plures, immo fere omnes, voluerunt, pueros non baptizatos nulla affici pœna sensus. Hinc S. Thomas quæst. 5. *De Malo* art. 2. affirmavit, dici *communiter, quod peccato originali non debetur pœna sensus.* Et S. Bonaventura in II. dist. 33. quæst. 1. ait: *Hunc modum dicendi* (videlicet non subjacere pueros pœnæ sensus) *magis approbant magistri communiter.* Quin immo Bellarminus *De Amiss. grat., et statu peccati* lib. 6. cap. 4. loquens de sententia opposita ait: *Quæ quidem sententia non videtur aperte reprobata ab Ecclesia: rejicitur tamen passim in scholis, et nobis etiam improbabilis videtur.*

Quoniam vero qui tuentur, pueros ex hac vita decendentes sine baptismate pati etiam pœnam sensus, S. Augustini auctoritati, quæ sane etiam apud veteres Theologos maximo semper in pretio fuit, potissimum nituntur, primo ostendemus, S. Doctoris auctoritate hac de re non constare.

Unum tantum hic ad rem nostram præmonendum arbitramur,

videlicet, quam maxime diferre inter se, quod hac de re Pelagiani somniabant, et quod jam ob antiquis temporibus plures Theologi tenuerunt, et nunc quoque tenent. Pelagiani enim pueros ex hac vita decendentes sine baptismate in locum, uti dicit Augustinus, *nescio quem*, tamen distinctum tum a regno cælolorum, tum ab inferno, recipi dicebant, atque in illo quadam potiri felicitate, æternaque vita gaudere. Theologi autem, qui tuentur, hujusmodi infantes non affici pœna sensus, nullum talem locum admittunt, sed solummodo volunt, non pati eas pœnas sensibiles, quas ceteri in inferno patiuntur. Hac diversitate semel posita, nunc quod primo loco volumus.

Prop. I. S. Augustini auctoritate non constat de pœna sensus, quam pueri non baptizati patiantur in altera vita.

Prob. prop. S. Augustinus lib. 3. *De Lib. Arb.* num. 66. sibi proponit difficultatem illorum, qui inter alia quærebant: „Qualis in futuro judicio deputabitur (puer), cui neque inter „justos locus est, quoniam nihil recte fecit, neque inter malos, quoniam nihil peccavit." Cui sane difficultati ita respondet: „Non enim (inquit) metuendum est, ne vita potuerit esse media quædam inter recte factum, atque peccatum, et sententia „judicis media esse non possit inter præmium, atque supplicium." Quem locum in altera vita puer ille habiturus sit, qui neque inter justos computari posset, quia nihil boni egerat, neque inter malos, quia non peccaverat, videlicet, nihil mali actu egerat, hoc vero est, quod nonnulli quærebant. Augustinus autem absolute pronuntiat, metuendum non esse, quin inter præmium, quod recte factis rependitur, et supplicium, quo male facta puniuntur, media quædam sententia judicis sit inter præmium, et supplicium, hoc est, quæ in sui ratione neque contineat præmium, quod rependitur bonis operibus. neque contineat pœnam, qua male facta puniuntur. Semel ac autem hujusmodi puero, quod spectat ad præmium, visio beatifica denegetur, quod spectat ad supplicium, pœna sensus subtrahatur, sententia judicis quoad illum erit media inter præmium, et supplicium saltem completum.

Verum quidem est, S. Augustinum in epist. ad Hieronymum, alias 28., nunc 166. num. 20. testari, in lib. 3. *De Lib. Arb.* se loquutum non esse *de damnatione eorum parvulorum, qui sine illo* (baptismate) *ex hac vita emigrant:* verum S. Augustinus quando hæc habet in epist. ad Hieronymum, non respicit ad ea, quæ nos ex lib. III. *De Lib. Arb.* desumpta in medium protulimus, neque illa scribit in loco citato epist. ad Hieronymum, sed alia, quæ in eodem libro ipse tradit, videlicet num. 68., in quo loquitur de cruciatibus corporis, quibus affliguntur pueri, *quorum per ætatem nulla peccata sunt.* Semper ergo constat ex cit. loco Augustini, videlicet lib. 3. *De*

Lib. Arb. num. 66., non vero. 68., S. Doctorem admisisse mediam quamdam sententiam inter præmium, et supplicium, et quidem habita ratione puerorum non baptizatorum: nam baptizatis præmium absolute debetur, proque iis nihil medium fingi postest inter præmium, et supplicium.

Age nunc videamus, quæ S. Doctor in eadem epist. ad Hieronymum num. 16. hac de re habet: „Sed quum ad pœnas „(inquit) ventum est parvulorum, magnis, mihi crede, coarc„tor angustiis, nec quid respondeam, prorsus invenio: non so„lum eas pœnas dico, quas habet post hanc vitam illa damna„tio, quo necesse est trahantur, si de corpore exierint sine „christianæ gratiæ sacramento, sed etiam eas ipsas, quas in „hac vita etc." Hoc loci Augustinus magnis angustiis se coartari dicit in definiendis pœnis, quas parvuli non baptizati in altera vita passuri erunt, et tamen sunt qui volunt, certum Augustino fuisse, parvulos non baptizatos subjacere pœnæ sensus, non secus ac alios. Neque Augustinus inde coarctabatur angustiis, quatenus nesciret definire majorem, vel minorem gravitatem pœnarum: „Mitissima sane omnium pœna erit eorum (in„inquit) ipse in *Enchirid.* num. 23.) qui præter peccatum, „quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt: et in „ceteris, qui addiderunt; tanto quisque tolerabiliorem ibi ha„bebit rationem, quanto minorem habuit iniquitatem." Tandem ut alia omittamus, ita in rem nostram S. Augustinus lib. 5. *Cont. Julianum* num. 44. „Ego autem non dico, parvulos „sine Christi baptismate morientes tanta pœna esse plectendos, „ut eis non nasci potius expediret.... Quis dubitaverit, parvu„los non baptizatos, qui solum habent originale peccatum, „nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium levissi„ma futuros. Quæ, qualis, et quanta erit, quamvis definire „non possum, non tamen audeo dicere, quod eis, ut nulli es„sent, quam ibi essent, expediret." Hoc in loco Augustinus affirmat: 1. parvulorum pœnam sine baptismate decedentium esse *mitissimam*: 2. in damnatione omnium *levissima* eos esse futuros: 3. se non posse definire, *quæ, qualis, et quanta* pœna illorum erit: 4. dubitari non posse, iisdem non expedire, *ut nulli essent, quam ut ibi essent.* Quænam ergo, qualis, propterea que etiam quanta erit pœna puerorum. Augustinus indefinitum reliquit, licet futuram mitissimam aliunde statuerit. Quo sane unicuique compertum esse debet, de eo, quod spectat ad qualitatem pœnæ damnatorum dubium hæsisse, licet pro certissimo haberet, non solum pœna damni, sed etiam sensus reprobos esse cruciandos.

Dices. S. Augustinus lib. 3. *Oper. Imperf.* cap. 199, docet, etiam parvulum non baptizatum *in igne æterno cum diabolo futurum.* Serm. alias 14., nunc 294. num. 3. auctoritate

Scripturarum ostendit, sententia judicis omnes ituros vel in regnum æternum, vel in ignem æternum, nullumque esse reliquum medium locum. Lib. 1. *De Peccat. merit., et remiss.* num. 55. inquit: *Nec est ullus ulli medius locus, ut possit esse nisi cum diabolo, qui non est cum Christo.* Epist., alias 107., nunc 217. num. 17. proponit Vitali 12. regulas ad fidem Ecclesiæ pertinentes: in 7. regula constituit: *Quod omnes adstabimus ante tribunal Christi, ut ferat unusquisque secundum ea, quæ per corpus gessit:* in 8. *Etiam parvulos secundum ea, quæ per corpus gesserunt, recepturos vel bonum, vel malum* (a). Sensit ergo S. Augustinus, pueros non baptizatos pœnæ sensus esse subjectos.

R., ut mens Augustini hac de re perspecta sit, esse diligenter advertendum, quid S. Doctor propugnare sibi constituerit in omnibus operibus, in quibus de damnatione puerorum ex hac vita decedentium absque baptismate loquutus fuit. Profecto hoc unum sibi proposuit, videlicet ostendere contra Pelagianos existentiam peccati originalis, illiusque ab Adamo propagationem in omnes posteros, atque effectus ejusdem peccati originalis, tam vitæ præsentis, quam futuræ habita ratione. Ceterum qua potissimum pœna pueri non baptizati afficerentur in altera vita, nunquam disputavit Augustinus contra Pelagianos, sed hoc unum tantum illis objecit, eosdem æternæ damnationi subesse, atque in æternum perire.

At sæpe dicit Augustinus, pueros igne æterno cruciari, sub jugo diaboli manere, atque in infernum detrudendos esse cum ceteris, qui erunt a sinistris. Dicit quidem, veruntamem ad excludendum illum medium locum, quem Pelagiani confingebant. Unde animadverto cum S. Thoma quæst 5. *De Malo* art. 2. ad 1. „Quod nomen tormenti, supplicii, gehennæ, et cruciatus, „vel si quid simile in dictis Sanctorum invenitur, est large ac„cipiendum pro pœna, ut ponatur species pro genere. Ideo „autem Sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem „redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant, in parvulis „nullum peccatum esse, nec eis aliquam pœnam deberi."

Hæc autem in S. Augustinum præcipue quadrant, qui magnis se angustiis coarctari dixit, si agatur de pœnis, quas damnatio parvulorum post hanc vitam habet, nec se invenire, quid respondere possit: qui affirmavit, pœnam eorumdem esse mitissimam: qui asseruit, pueros tanta pœna non esse plectendos, ut melius fuisset eis, si nati non essent: qui tradidit, parvulos in damnatione omnium mitissima esse futuros: qui licet indefinitum reliquerit, quæ, qualis, et quanta futura sit ista damnatio, ta-

(a) Inter alios etiam Cl Norisius hæc opponit in *Vind. August.* cap. 3. §. 3.

men pro certo habuit, propter eam dici non posse, melius futurum infantibus, ut non sint, quam ut ibi sint. Hæc omnia profecto ostendunt, S. Doctorem *large* fuisse loquutum, quando etiam pœnæ sensus infantes, non secus ac ceteros damnatos, fecit subjectos. Hinc ipse in pluribus suis operibus contra Pelagianos, in quibus propugnavit, infantes non baptizatos, et non potituros æterna vita, et in æternum perituros, numquam correxit, quod de qualitate damnationis illorum non uno in loco, sed in pluribus affirmaverat. Et quidem jure merito id fecit, quia nihil intererat ad dogma, pro quo pugnabat contra Pelagianos, utrum pueri pœnam sensus paterentur, vel non paterentur, sed hoc unum sufficiebat, ut essent in statu damnationis, atque nullo modo æternæ vitæ felicitate in loco quodam medio inter regnum cælorum, et infernum gauderent.

Verum illud hic non possumus omittere, videlicet eos, quos in hac disputatione contrarios habemus, atque præcipue auctoritate S. Augustini contra nos pugnant, ejusdem S. Doctoris existimationi non favere, sed obesse, quando, eum statuisse, affirmant, spectare ad fidem parvulos non baptizatos pœnæ etiam sensus subjacere. (a) Nam Ecclesia id numquam habuit uti dogma fidei, indeque negantes pœnam sensus in hujusmodi pueris numquam damnavit, quamvis jam a seculis antiquioribus usque nunc, libris editis, multi propugnaverint parvulos non baptizatos non subjacere pœnæ sensus.

Ad fidem ergo pertinere, dixit quidem Augustinus 12. illas regulas, quas in epist. ad Vitalem ipse præscripsit, atque inter eas posuit duas recensitas num. 7. et 8. Verum quod spectat ad istas illud habuit Augustinus uti dogma fidei, quod Ecclesia fidelibus credendum proponit, semperque proposuit, videlicet futurum, ut qui erunt in ultimo judicio positi ad dexteram judicis, recipiant æternam gloriam, qui autem ad sinistram, in infernum detrudantur, nullusque propterea sit pro parvulis non baptizatis medius quidam locus inter æternam beatitudinem, et æternam damnationem. Deinde in duabus præcitatis regulis nullam S. Augustinus de igne, sensibilibusque pœnis mentionem facit: quomodo ergo inferri ex iisdem possit, S. Augustinum tenuisse, spectare ad fidem, pueros affici pœna sensus, sane non video, neminemque videre posse, arbitror.

Qua autem ratione loca Augustini explicavimus, etiam ceterorum Patrum explicantur. Refutare enim Pelagianos tribuentes vitam æternam parvulis decedentibus absque baptismate, et ostendere contra illos etiam auctoritate Divinarum Scripturarum, nullum esse medium locum inter regnum æternum, et damnationem æternam, hoc sane est, quod sibi omnes proposuerunt:

(a) Vid Cl. Norisius in *Vind. August.* cap. 3. §. 5.

ceterum utrum aliqui ex iis, qui erunt ad sinistram judicis, passuri sint solam pœnam damni, an vero omnes pœnam tum damni, tum sensus, non disputarunt, atque cunctos adstantes a sinistris judicis in ignem æternum detrudendos dixerunt, quatenus igne æterno generatim exprimitur in Sacris litteris damnatio æterna, et juxta eas in numero damnatorum ille sit oportet, qui ibit in ignem æternum.

Prop. II. Parvuli ex hac vita decedentes cum labe peccati originalis non patiuntur pœnam sensus.

Prob. prop. Pœna sensus illi torquendi dicuntur in Sacris litteris, qui actualia peccata commiserunt: sed pueri hæc non commiserunt: ergo igne torqueri non debent. Prob. ma. *Apocalyp.* 18. 7. de Babylone judicanda dicitur: *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum*; His autem verbis significatur, tormentum, et luctum deberi iis peccatis, quæ sunt commissa voluntate propria. Item *Isai.* 66. 24. et *Marci* 9. 45. conjungitur pœna ignis cum verme: dicitur enim de gehenna ignis: „Ubi vermis eorum non „moritur, et ignis non extinguetur." Parvulos autem nullam pœnam pati debere a morsu vermis, hoc est, a conscientia mali operis, quæ animum pungat, et torqueat, manifestum est: ergo ad eos quoque non pertinere illud: *et ignis non extinguetur*, valde probabiliter conjicitur.

Prob. nostra prop. Auctoritate S. Greg. Nazianzeni, qui quanta in existimatione fuerit tum apud S. Augustinum, tum apud alios Patres nemo ignorat. Hic igitur in Orat. 40. paulo ante medium distinguit triplex genus hominum, qui non suscipiunt baptisma; in primo genere reponit illos, qui vel amentia, vel pravitate animi ceteris malis illud quoque adjungunt, ut baptisma non venerentur, *Eoque animo sint, ut si quidem detur, eum non gravatim accipiant, si non detur, sus deque ferant*: in altero alios, qui baptisma venerantur: *Verum moras producunt partim ob ignaviam, partim ob inexplebilem peccandi libidinem*: in tertio demum illos, *Qui propter infantiam fortasse, vel propter inopinatum prorsus, et violentum aliquem casum, quo efficitur, ut ne cupientibus quidem gratia potiri liceat.* Hac præmissa divisione, statuit, eos, qui baptisma non venerantur, in suo scelere superare alios, qui vel ob nimiam peccandi cupiditatem, vel ob socordiam retardantur a susceptione baptismatis: istos autem *in graviori crimine* esse præ ceteris, qui *propter infantiam, vel inopinatum casum* baptisma non receperunt. Hisce autem semel positis, statuit, quid in altera vita passurum sit hoc triplex genus hominum: „Futurum existi„mo, (inquit) ut primi quidem cum aliorum, scelerum, tum „etiam baptismi contempti pœnas luant: alii autem pœnas qui„dem, leviores tamen pendant, ut qui non tam animi pravita-

„ te, quam stultitia, a baptismo aberraverint: postremi denique „ nec cælesti gloria, nec suppliciis a justo judice afficiantur, ut- „ pote qui licet signati non fuerint, improbitate tamen careant, „ atque hanc jacturam passi potius fuerint, quam fecerint. Ne- „ que enim quisquis supplicio dignus non est, protinus hono- „ rem quoque meretur: quemadmodum nec quisquis honore in- „ dignus est, statim etiam pœnam promeretur." Ideo distincte explicavimus, quid de re ista senserit S. Gregorius, ne morari deberemus in refellendis iis explicationibus, quas Adversarii nostri adducunt in medium, ut sibi contrarium non esse S. Doctorem evincant. Innocentius III. cap. *Majores De Baptis., et ejus effectu* ait: quod *pœna originalis peccati est carentia visionis Dei, actualis vero peccati pœna gehennæ perpetuæ cruciatus.* Ergo peccatum originale ab actuali distinguitur, et licet tum illud, tum istud plectendum sit, istud tamen non solum pœna carentiæ visionis Dei, sed etiam gehennæ perpetuo cruciatu. Hinc etiam Eugenius IV. in litteris unionis Græcorum ait: *Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Disparitas autem hæc supra majores, vel minores sensibiles pœnas cadere non potest: quum hæc in illis quoque sit, qui in peccato actuali decesserunt: ergo cadit supra pœnam damni, et sensus.

Et re quidem vera oportet, ut pœna sit proportionata culpæ; sed pœna sensus non est proportionata culpæ originali: ergo. Prob. mi Culpa originalis est in hominibus, quatenus habent naturam destitutam eo bono, quod in sui prima origine erat a Deo: igitur hujusmodi culpæ nulla alia pœna debetur, sicut inquit S. Thomas in II. Sent. dist. 33. quæst. 2. ad 1. „ Nisi privatio illius finis, ad quem donum subtractum ordina- „ bat, ad quod per se natura humana attingere non potest. „ Hoc autem est Divina visio: et ideo carentia hujus visionis „ est propria, et sola pœna originalis peccati post mortem."

Sola, inquam: quia enim pœna proportionata esse debet culpæ; „ Ideo (sicuti pergit in sua argumentatione S. Doctor „ quæst. 5. *de Malo* art 2.) peccato mortali actuali, in quo „ invenitur aversio ab incommutabili bono, et conversio ad bo- „ num commutabile, debetur et pœna damni, scilicet carentia „ visionis Divinæ, respondens aversioni, et pœna sensus respon- „ dens conversioni. Sed in peccato originali non est conversio, „ sed sola aversio, vel aliquid aversioni respondens, scilicet „ destitutio animæ a justitia originali, et ideo peccato origina- „ li non debetur pœna sensus, sed solum pœna damni scilicet, „ carentia divisionis Divinæ."

Nimis autem confidenter affirmat Silvius 1. 2. quæst. 85. art. 6. Quæst. 2., S. Thomam pluribus in locis tenuisse qui-

dem sententiam, tunc temporis magis receptam, ad contrariam tamen declinaturum fuisse, si Summam Theologicam absolvisset. Nam S. Doctor 3. part. quæst. 1. art. 4. ad 2. ait: *Quod peccato originali in futura retributione non debetur pœna sensus.* Igitur sibi constans etiam in summa Theologica docuit, quod in aliis operibus quoad rem istam docuerat, propterea que non divinando dicitur, sed ea certitudine, qua potest, affirmatur; futurum, ut eamdem sententiam tueretur, si Theologicam Summam absolvisset.

Dices 1. *Matt.* 25. 34, præmissa mentione majestatis venturi judicis, dicitur ipse congregaturus omnes gentes, atque ab invicem illas separaturus, ut oves a dextris, hædi sint a sinistris illius: prioribus dicet: *venite benedicti etc.*, aliis; „discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, et Angelis ejus." Nunc ita: Pueri, de quibus modo loquimur, vel computandi sunt inter omnes gentes judicandas, vel non computandi: si non computandi, tunc omnes gentes judicandas esse, falso diceretur: si computandi; profecto non stabunt a dextris judicis, sed a sinistris: sed qui stant a sinistris, in ignem æternum mittendi dicuntur: ergo.

R. Utique parvulos, et adfuturos judicio, et locum habituros a sinistris judicis: tamen sicut regni æterni nomine generatim illa felicitas indicatur, qua beati donabuntur, licet hæc in omnibus æqualis futura non sit; ita etiam sub nomine ignis non solum ipsa pœna ignis, sed etiam ceteræ pœnæ inferni generatim indicantur, quamvis non omnes damnati iisdem omnibus torqueantur. Sicut ergo non obstat, ut non æquali felicitate lætentur ii omnes, qui in regnum Dei recipiuntur; ita etiam non obstat, ut non omnes damnati sustineant omnes pœnas ipsius damnationis. Deinde nonne ea forma judicii, quæ in Matt. cit. cap. describitur, ad adultos, qui propia peccata commiserunt, solummodo videtur pertinere? dicitur enim, supremum judicem vocaturum justos in vitam æternam propter opera misericordiæ, quæ ipsi fecerunt, et missurum malos in ignem propter neglecta opera misericordiæ. Profecto S. Augustinus in lib. *De octo Dulcitii quæst.* 1. quæst. num. 3. judicium Christi mittentis in ignem æternum, sicut *Matt.* cit. loco legitur, refert ad illos, qui facere neglexerunt opera bona. Qua autem ratione referat aliquando etiam ad pueros, in superiori propositione jam explicatum est a nobis. Adstabunt igitur in judicio etiam pueri non baptizati, adstabunt a sinistris judicis, non tamen ut judicandi de iis operibus, quæ in Evangelio recensentur, sed de peccato, quod in sui nativitate contraxerunt propter corruptionem naturæ, ideoque ut excludendi a cælesti regno, detrudendique in infernum, non tamen in eo torquendi pœna sensus.

C. *Math.* cap. 13., præmissa parabola et Zizaniæ in ignem proiiciendæ, et tritici transferendi in horreum, et sagenæ missæ in mare, atque congregantis pisces omnis generis, ait Christus v. 49, et 50. *Sic erit in consummatione seculi: exibunt Angeli, et separabunt malos de medio justorum, et mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, et stridor dentium.* Sed parvuli non baptizati non erunt in numero justorum: ergo. Unde Etiam *Math.* 13. 30. zizania dicitur alliganda in fasciculos ad comburendum: pueri autem non baptizati loco zizaniæ debent haberi.

R. Citata verba Evangelistæ intelligenda esse eadem ratione, ac superiora, videlicet ita ut in pœna ignis intelligatur significata non solum ipsa pœna ignis, sed etiam conditio illorum omnium, quos Angeli Dei separabunt a justis in die judicii.

Hæc explicatio non aliter, ac in superiori loco, eruitur ex Sacris litteris: nam eodem cap. 13. 43. dicit Christus, quod *tunc justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*, et v. 30. triticum esse congregandum in horreum suum. Sicuti ergo Christus nomine regni, atque horrei sui generatim designat eam beatitudinem, qua electi perfruuntur, licet non omnes æquali ratione perfruantur; ita etiam nomine camini ignis, fletus, stridoris dentium, atque combustionis non solum designat hujusmodi pœnas sensibiles, sed etiam miserum statum omnium, qui excluduntur a regno Dei, quamvis non sint omnes æque miseri, quatenus aliqui illorum pœnæ sensus non sunt subjecti.

Deinde quæro nunc ego, quosnam Christus et a malo avocare, et ad recte agendum inducere intellexit, quando docuit, quænam futura erit conditio bonorum, et malorum in die judicii? an fortasse pueros? nemo umquam dixerit: adultos itaque respexit: iis autem propter peccata actualia debetur pœna sensus. Unde non est mirandum, si Christus etiam pœnam sensus commemoravit, et quidem ignis, stridorisque dentium, quæ est magis efficax ad frangendam duritiem cordis. Hoc autem dum fecit Christus, sicuti dixit, beatitudinem esse præmium bonorum operum; ita etiam asseruit damnationem esse debitam pœnam malorum.

Quod spectat ad auctoritatem Patrum, cum D. Thoma in præced. prop. jam animadvertimus, quo illos sensu fuisse loquutos, intellegi debeat. Profecto S. Fulgentius non respexit ad quæstionem, de qua nunc agimus, quando in lib. *De Fide ad Petrum* cap. 27. dixit, infantes igne cruciandos, *firmissime tene, et nullatenus dubites:* semel ac enim ad eam respexisse ponatur, inde consequitur, quod censuit Fulgentius firmissime tenendum esse, Ecclesiam nullo modo firmissime tenuisse, quod sane non cederet in laudem tanti viri, cujus tamen auctoritatem Ecclesia summo in pretio semper habuit. Quod ergo Au-

gustinus respexit in epistola ad Vitalem, etiam Fulgentius hoc in loco voluit.

Dices II. Parvulos in hac vita affici pœnis sensibilibus, dubitare non sinunt dolores, et mors, quibus ipsi sunt obnoxii: ergo ut sensibilibus pœnis afficiantur etiam in altera, quam maxime decet. Adam deinde suo peccato meruit non solum pœnam damni, sed etiam sensus: ergo utraque pœna debetur etiam pueris non baptizatis, quum in eos peccatum Adæ transfundatur.

R. ad 1. Cum D. Thoma in II. *Sent.* dist. 33. quæst. 2. art. 1. ad 3. "Quod non est eadem ratio de pœna sensibili ante mortem, et post mortem: quia ante mortem pœna sensibilis consequitur virtutem naturæ agentis, sive sit pœna sensibilis interior, ut febris, vel aliquid hujusmodi, sive etiam pœna sensibilis exterior, ut ustio, sive aliquid hujusmodi. Sed post mortem nihil aget virtute naturæ, sed secundum justitiæ divinæ ordinem tantum, sive in animam separatam, in quam constat quod ignis naturaliter agere non potest, sive etiam in corpus post resurrectionem, quia tunc omnis actio naturalis cessabit."

Ad alterum respondet idem S. Doctor quæst. 5. *De Malo* art. 5, ad 4. "Dicendum, quod in uno peccato primi parentis omnes peccaverunt, ut Apostolus dicit *Roman.* 7., sed ad illud unum peccatum non omnes eodem modo se habent: pertinet enim illud peccatum ad Adam propter propriam voluntatem, et est actuale peccatum; et ideo ei pro hujusmodi peccato actualis pœna debebatur: sed ad alios pertinet per originem, non per actualem voluntatem; et ideo aliis pro hujusmodi peccato non debetur pœna sensus."

Nunc paucis de illo discrimine, quod versatur inter illam vitam æternam, quam pueris non baptizatis Pelagiani inde tribuebant, quia eos faciebant expertes culpæ originalis, et statum illum omnino immunem a pœna sensus, in quo eosdem pueros nos reponimus. Disputant Sapientissimi viri. utrum Pelagiani nomine vitæ æternæ intellexerint vitam supernaturalem, quæ etiam visionem Dei extra regnum cælorum contineret, an vero naturalem conditioni, et viribus naturæ proportionatam, in qua parvuli quadam naturali felicitate sine intermissione, semperque potirentur. Semel ac supernaturalem vitam eos intellexisse ponamus per se constat de illo discrimine, quod intercedit inter vitam æternam Pelagianam, et illum statum immunem a pœna sensus, quem nos tribuimus pueris non baptizatis. Si autem contendatur, nomine vitæ æternæ designare voluisse Pelagianos non vitam supernaturalem, sed naturalem, felicem tamen, atque in suo ordine beatam, quemadmodum viris sapientissimis visum fuit, et mihi quoque videtur, de eodem discrimine semper æque constat: Nam

Pelagiani inter regnum cælorum, et infernum locum quemdam medium, in quo pueri non baptizati vitam felicem, beatamque ducerent; inde confinxerunt, quia noluere, illos æternæ damnationi esse subjectos, utpote qui nullam maculam peccati originalis contraxissent. At vero hunc medium locum contra evidentem sensum Divinarum Scripturarum temere excogitatum nos una cum omnibus Patribus rejicimus, atque cum iisdem firmissime tenemus, infantes non baptizatos, eo quod originale peccatum contraxerunt, in æterna damnatione esse: quamvis in ea pœnam damni tantum, non vero sensus patiantur.

CAPUT TERTIUM.

De ea beatitudine vel felicitate, quam pueris non baptizatis nonnulli Catholici Auctores tribuerunt.

Singularem hoc in capite opinionem tum Ambrosii Catharini, tum Alberti Pighii refellendam aggredimur. Ille enim in lib. *De Statu puerorum sine baptismate decedentium*, iste *De Pecc. Orig.* controver. 1. falso putarunt, infantes sine baptismate morientes naturali beatitudine gavisuros, atque in quodam loco, adinstar terrestris paradisi victuros, Dei auctoris naturalis amore, et cognitione præditos. Salmeron quoque, et quidam nuperus auctor (a) in hanc beatitudinem puerorum consenserunt, eamque probabit etiam Ludovicus Molina, sicuti Lemosius ostendit *Panopliæ grat.* tom. 1. tract. 1. *De Læs. lib. arb. per pecc. orig.* cap. 22.

Prop. Parvulos ex hac vita sine baptismate decedentes potituros extra locum damnationis aliqua naturali beatitudine, est figmentum, quod verbo divino tum scripto, tum tradito adversatur.

Prob. prop. " Qui ista dicunt (ita recte in rem nostram Le„ mosius cit. loco) quomodo fatentur, peccatum originale veram „ esse culpam in parvulis? Ecce aperte dicunt, illos sine baptis„ mate vitam perpetuam habituros omni vitio mentis, et corpo„ ris immunem. Clamat Catholica veritas, illos vitium mentis „ habere et peccatum animæ; et tamen audimus, illos habituros „ vitam, vitamque perpetuam immunem omni vitio mentis, et „ corporis. Clamat Apostolus ad Rom. 5. v. 16. *judicium ex uno*, „ scilicet originali delicto, *in condemnationem*, et tamen e con„ tra audimus, pueros cum peccato originali decedentes non

(a) Barsanti in Opere *de renovat. cæl. et ter.*

„ condemnationem, sed vitam habere perpetuam." Joan. 3. 14. hæc legimus: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in desserto: ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ergo qui non credit in Christum, sicuti est parvulus sine baptismate decedens, vitam æternam non habet, sed perit: si autem perit, quomodo vitam aliquo modo beatam habere poterit? Hinc Apostolus *Roman.* 5. 18, inquit: *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem.*

Ea autem, quæ, habita ratione traditionis, hujus libri cap. 1. in medium protulimus, non minus faciunt, uti per se constat, contra Pelagianos, quam contra illos, quibuscum modo pugnamus. Hæc tamen alia a S. Augustino accepta superaddimus: *Non baptizatis parvulis* (inquit S. Doctor lib. 1. *De Anima, et ejus origin.* num. 11.) *nemo promittat inter damnationem, regnumque cælorum quietis, vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet quasi medium locum. Hoc enim eis etiam hæresis Pelagiana promisit.* Et lib. 2. num. 17. " Novellos Pelagianos hæreti„ cos justissime conciliorum Catholicorum, et Sedis Apostolicæ „ damnavit auctoritas, eo quod ausi fuerint non baptizatis parvu„ lis dare quietis, et salutis locum, etiam præter regnum cælo„ rum." Tandem lib. 1. *De Peccat. merit., et remiss.* num. 21. „ Potest proinde recte dici, parvulos sine baptismate de corpo„ re exeuntes in damnatione omnium mitissima futuros. Multum „ autem et fallit, et fallitur, qui eos in damnatione prædicat non „ futuros, dicente Apostolo: *judicium ex uno delicto in con„ demnationem.* Et paulo post: *per unius delictum in omnes ho„ mines ad condemnationem.*"

Et re quidem vera semel ac, parvulos ex hac vita sine baptismate decedentes potituros esse, dicamus quadam naturali beatitudine extra locum damnationis, eos baptizari quidem debere, dicendum erit, ut adoptionem filiorum habentes in regnum cælorum recipiantur, non autem ne damnentur, et pereant: sed hæc est ipsa hæresis Pelagianorum, uti jam sæpius cum S. Augustino animadvertimus: dici igitur nullo modo potest, pueros non baptizatos naturali quadam frui beatitudine. Quare uti colligit Lemosius cit. loco cap. 24., post multa, quæ in rem nostram disseruit, " Dicendum, tales parvulos sine baptismate de„ cedentes vere miseros esse, vere perire, vere perpetua morte „ adstrictos teneri, vere ire in condemnationem, vere esse dam„ natos, Ad omnia ista absolute, et simpliciter verificanda sufli„ cit, illos pœnam damni, et carentiam perpetuam divinæ visio„ nis habere propter peccatum originale, quæ vera macula; et „ culpa in ipsis est."

Quanam censura notari hæc sententia debeat, quam usque modo refutavimus, inter se non consentiunt Auctores. Nihil eam in

se habere contrarium fidei, tradit Godoy Episcopus Oxomensis 1. 2. quæst. 87. tract. 4. disput. 38, §. 8. Bellarminus *De Amiss. grat. et statu pec.* cap. 1. eamdem putat *errori Pelagianorum proximam*, multique sane maximam affinitatem illius cum errore Pelagianorum ostenderunt. Quasdam propositiones faventes naturali beatitudini parvulorum sine baptismate decedentium, easque desumptas ex opere, cui titulus: *Nodus prædestinationis dissolutus* ad Innocentium XII. quinque Gallicani Præsules detulerunt 7. Kalend. Mart. an. 1697., quorum unus fuit Jacobus Benignus Bossuetius. (a) Tamen quum Ecclesia Romana nullum hac de re judicium usque modo protulerit, propterea neque nos proferimus.

Dices. *Daniel.* 12. 2. legitur, *Quod multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant semper.* Non legimus hoc loco: *omnes, qui dormiunt, sed multi:* igitur, inquit Catharinus, sunt aliqui dormientium, qui nec in vitam æternam, nec in opprobrium evigilabunt; hos autem esse potissimum pueros absque baptismate ex hac vita decedentes, rationi consonum est: ergo. Eo vel maxime quia isti prosequitur Catharinus, *humanam naturam sine crimine habent.*

R. hoc quoque in loco Danielis, sicut in aliis pluribus, nomine multorum designari omnes. " Non autem diversum putetur „, inquit S. Augustinus lib. 20. *De Civit Dei* cap. 23. num. 2.) „, quod quum ibi positum sit: *omnes, qui sunt in monumentis,* „, hic non ait Propheta: *omnes*, sed: *multi dormientes in ter-* „, *ræ aggere* Ponit enim aliquando Scriptura pro omnibus mul- „, tos. Propterea et Abrahæ dictum est: *patrem multarum gen-* „, *tium posui te*: cui tamen alio loco: *in semine*, inquit, *tuo* „, *benedicentur omnes gentes.* Apud Apostolum quoque sub nomine multorum quandoque venire, omnes, jam animadvertimus.

Parvuli autem sine baptismate morientes habent quidem naturam sine crimine, si spectetur actuale peccatum; sed non sunt sine crimine, quatenus habent naturam peccato obnoxiam, sunt ipsi infecti peccato originali, proptereaque iræ filii.

Non est, cur alia persequamur, quæ Catharinus in sui favorem opponit: nam asserit ea ipse quidem, at levissimis probat conjecturis, et quidem si illorum potissimum ratio habeatur, quibus confictam beatitudinem puerorum refert ad illud tempus, quo universale judicium peractum jam fuerit.

(a) Vid. De Rubeis in *Tract. Theol. de pecc. orig.* cap. 74.

DISPUTAT. X.

DE PECCATO ACTUALI.

Postquam de peccato originali egimus, ordo doctrinæ postulat, ut de actuali disseramus. Hoc autem in ista disputatione ita præstabimus, ut iis omnibus omissis, de quibus Teologi Morales solent disserere, illa tantum explicemus, quæ peccatum universe, et generatim acceptum attingunt, quæque ad refutationem nonnullorum errorum tendunt. Novem libris hanc totam disputationem nostram complectemur: in 1. agemus de libertate, quæ ad merendum, vel demerendum requiritur: in 2. de relatione nostrorum operum in Deum: in 3. de operibus peccatorum, et infidelium: in 4. de concupiscentiæ motibus, quatenus ad peccatum imputari, vel non imputari debent: in 5. de ignorantia quatenus excusat a peccato: in 6. de specifica diversitate peccatorum, habita ratione offensæ Dei: in 7. de peccatis levibus, justorum habita ratione: in 8. de peccatis, quatenus eorum nullum est, quod non possit remitti: in 9. de peccato philosophico.

LIBER PRIMUS.

De Libertate, quæ requiritur ad merendum, vel demerendum.

Ne hac de re ullus æquivocationi locus supersit, libertatis varias acceptiones explicabimus, atque ostendemus, quid ad veram libertatem requiratur: quod utrumque præstabimus in duobus prioribus capitibus; in tertio de ea libertate agemus, quæ est in nobis ad merendum, vel demerendum.

CAPUT PRIMUM.

De multiplici acceptione libertatis.

Libertas 1. sumitur pro immunitate a culpa, vocaturque libertas gratiæ, ob quam justi dicuntur esse liberi: 2. pro immu-

nitate a miseria ; et hæc est libertas gloriæ : 3. pro immunitate a justitia : et hæc libertas est in iis, qui peccant non ex infirmitate, vel passione, sed ex certo proposito, de quibus dixit Apostolus *Rom.* 6. 20. *Quum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ :* 4. pro immunitate a lege, quatenus liberi dicuntur, qui sunt dispensati a servanda lege : 5. pro immunitate a coactione, ac propterea nulla vis exterior impellit ad agendum, vel non agendum, aut ad hoc, vel illud agendum. Quod sane non ita accipi debet, quatenus coactio in voluntatem agat, quum illa sit a principio exteriori, quod in potentiam animæ non potest agere, aut voluntarie non fiat, quod fit propter coactionem. Nam, sicuti inquit S. Augustinus lib. *De Spiritu, et litt.* num. 53., *Si subtilius advertamus, etiam quod quisque invitus facere cogitur, si facit, voluntate facit ; sed quia mallet aliud, ideo invitus, hoc est, nolens facere dicitur :* 6. tandem pro immunitate a quavis necessitate etiam interiori.

Libertas, quæ habet solam immunitatem a coactione, dicitur libertas spontaneitatis, quia quæ cum ea fiunt, sponte fiunt, ideoque habita ratione immunitatis a coactione, vocantur etiam voluntaria, imperfecteque libera. Quæ autem dicitur, et revera est, libertas indifferentiæ non solum a coactione est immunis, sed etiam a quavis necessitate etiam interiori, in se includit potestatem ad agendum, vel non agendum, ad prosequendum unum, vel aliud.

Quapropter tota disputatio hac de re in eo versatur, utrum ad perfectam libertatem sufficiat immunitas, a coactione, an vero requiratur immunitas etiam a quacumque necessitate, ac propterea requiratur indifferentia activa, atque potestatis ad agendum, vel non agendum, ad prosequendum unum, vel aliud, ipsaque voluntas sit ea, quæ utpote indiferens, sua activa potestate ad agendum, vel ad non agendum sese determinet, et licet determinata ad agendum simul possit non agere ; aut non determinata ad agendum simul possit agere ; hoc est cum determinatione ad unum simul retineat potentiam ad oppositum. Ad veram igitur libertatem solum requiri immunitatem a coactione, sunt qui volunt : nos vero contra eos tuebimur, non solum requiri immunitatem a coactione, sed etiam a quavis necessitate, licet ipsa sit a natura.

Est quoque illud hac in re advertendum, ne quis ambigua significatione vocum decipiatur, tum ejus, quod liberum, tum illius, quod voluntarium, seu spontaneum dicitur, non unam eamdemque rationem haberi posse : nam voluntarium est a principio intrinseco cum cognitione finis : liberum autem non solum est a principio intrinseco cum cognitione finis ; sed etiam in se includit indifferentiam ad agendum, vel non agendum. Unde omne

liberum est voluntarium, quia tam liberum, quam voluntarium habet principium intrinsecum cum cognitione finis: at non omne voluntarium est liberum, quia liberum intrinsecam ab ipsa natura determinationem excludit, cum qua ratio voluntarii simul consistit. Quare necessitas naturalis opponitur libero, non voluntario, hypothetica neque libero, neque voluntario, coactionis autem tum libero, tum voluntario.

CAPUT SECUNDUM.

De iis, quæ ad veram rationem perfectæ libertatis requiruntur.

Hoc in capite errorem Baji, Jansenii, et Quesnellii, ut antiquiores, atque etiam quosdam recentiores omittamus, refutandum aggredimur. Baji damnata propositio num. 39. hæc est: *Quod voluntarie fit, etiam si necessario fiat, libere tamen fit:* num. 6. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Jansenius *De Grat. Chris.* lib. 7. cap. 3. dicit: *Libertati arbitrii solam necessitatem coactionis... esse contrariam, omnemque actum voluntarium, seu spontaneum, hoc ipso esse liberum.* Quia vero hoc idem dixit Bajus in duabus præcitatis propositionibus; ideo ut non minus se ipsum, quam Bajum ab errore purget, lib. 6. *De Grat. Chris.* cap. 36. affirmat in condemnatione illarum: *Respectum haberi ad significationem hujus temporis, quo liberum nihil dicitur a scholasticis, nisi quod fit cum indifferentia saltem contradictionis.* Superaddit autem: existimatum fuisse: *Utramque propositionem damnandam, quia tendebant eo, ut motus illi concupiscentiæ, qui rationem antevertunt, essent liberi: quod falsum est.* Nemo non videt, hujusmodi confugia nullius momenti esse, et secundum præcipue etiam contra illum facere. Nam *De statu nat. puræ* lib. 2. cap. 14. illud contendit, motus, concupiscentiæ, non deliberatos, sed tales, ut rationem, antevertant, esse malos, atque illicitos, propterea que rationem peccati in se habere. Quesnellius id tantum libertati tribuit, quod non pertinet ad essentiam libertatis, et est solummodo proprium libertatis imperfectæ, qualis est in nobis, videlicet peccandi potestatem, ita ut liberum arbitrium nonnisi ad peccandum valeat, sicuti constat ex illius damnata propositione 38., et duabus seqq. Quin etiam ad peccandum non facit hominem liberum: nam præter efficacem gratiam ipse nullam aliam admittit. Si ergo, uti legitur in illius damnata prop. num. 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum: capax*

omnis mali, et incapax ad omne bonum; inde consequitur, ut, deficiente gratia efficaci; voluntas sit in physica quadam necessitate peccandi, sicut etiam Lutherus voluit, atque Calvinus. Nunc ergo distinctis propositionibus constituamus, quid ad rationem vere libertatis requiratur.

Prop. I. Indifferentia activa, atque potestatis ad agendum, vel non agendum, aut ad agendum hoc, vel illud necessario requiritur ad veram liberi arbitrii rationem.

Prob. prop. De indifferencia activa, loquimur quæ sit ad agendum, vel non agendum, aut ad agendum hoc, vel illud; non vero passiva. quæ sit ad patiendum, vel non patiendum: item, potestatis, quatenus habet eligendi virtutem, nulloque principio naturali determinatur: Profecto liberum arbitrium: *Nihil aliud est, quam vis electiva*; sicut inquit S. Thomas 1. part. quæst. 83. art. 4., et art. 3. ejusdem quæst. ait: Quod pro„prium liberi arbitrii est electio: ex hoc enim liberi arbitrii esse „dicimur, quod possumus unum recipere, alio recusato: quod „est eligere: et ideo naturam liberi arbitrii ex electione consi„derare oportet." Hisce omnibus nihil magis evidenti rationi consentaneum esse potest. Expendamus nunc liberum arbitrium, ipsius electionis habita ratione. Ad electionem igitur indifferentia activa, atque potestatis necessario requiritur: ergo hujusmodi indifferentia ad veram liberi arbitrii rationem necessaria est. Prob. ant. "Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod, si vult, „facit, si non vult, non facit." Inquit S. Augustinus lib. *De Spir. et litt.* num. 53. sed absque indifferentia activa potestatis, nemo, si vult, facit, si non vult, non facit: ergo. Item: "Non „est liberum, quod in potestate non habemus": ait idem S. Doctor lib. 3. *De lib. arb.* num. 8. Sed ut in potestate habeamus tam facere, quam non facere, requitur indifferentia activa, atque potestatis ad utrumque: ergo. Item: sicut inquit S. Thomas 1. 2, quæst. 6. art. 2. ad 2. "Ex hoc contingit, quod ho„mo est dominus sui actus, quod habet deliberationem de suis „actibus. Ex hoc enim quod ratio deliberans se habet ad oppsita, voluntas in utrumque potest." Et quæst. 13. art. 2. "Quum „electio sit præceptio unius respectu alterius, necesse est, quod „electio sit respectu plurium, quæ eligi possunt; et ideo in his, „quæ sunt determinata ad unum, locum non habet." Semper ergo magis magisque constat, ad electionem necessario requiri indifferentiam activam, atque potestatis. Item: "Summus domini nos„trorum actuum, secundum quod possumus hoc, vel illud eligere." inquit S. Thomas 1. part. quæst; 82. art. 1. ad 3., et lib. 1. *Cont. Gent.* cap. 68. "Dominium, quod habet voluntas „supra suos actus, per quod est in ejus potestate velle, vel „non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, et violentiam causæ exterius agentis." Sed ut possimus hoc, vel il-

lud eligere, ut sit in potestate voluntatis velle, vel non velle, requiritur indifferentia activa, atque potestatis: ergo. Alia in rem istam non superaddimus, licet multa possemus, quia de ea non minus auctoritate, quam ratione perspectum est ex illis, quæ usquemodo disseruimus.

Dices. *Nihil tam in nostra potestate est, quam ipsa voluntas est: ea enim prorsus nullo intervallo, mox ut volumus, præsto est.* Ita S. Augustinus lib. 3. *De lib. arb.* num. 7., et lib. 5. *De Civit. Dei* cap. 10. num. 1. *Nam si volumus, est; si nolumus, non est: non enim vellemus, si nollemus.* Lib. *De Spir. et litt.* num. 53. *Ac per hoc si facit, non quidem plena, et libera voluntate, sed tamen non facit sine voluntate... Unde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit, si non vult, non facit.* Ex quibus Jansenius lib. 6. *De Grat. Christi* cap. 35., et lib. 7. cap. 4. colligit, nos libere agere, semel ac a coactione simus immunes: tunc enim agimus voluntate, quæ est in nostra potestate ideoque sumus liberi.

In priori loco superaddit, falli eos, qui ad libertatem requirunt indifferentiam, atque judicium præcedens, quo voluntas agat, vel non agat: " Voluntas enim (inquit) hoc est voli-„ tio deliberata.... se ipsa libera est, et contradictionem impli-„ cat, non esse liberam: quia fit, quum volumus, non fit, „ quum nolumus; non alia volitione, sed se ipsa."

Deinde (ipse superaddit) indefferentia est potestas agendi, vel non agendi ad libitum voluntatis: si autem voluntas." Age-„ re velit, et firmiter velit, et immutabiliter velit, quodnam hic „ fingi potest detrimentum libertatis? quum hæc ipsa firmitas li-„ bertatis sit exercitium, ac testimonium libertatis ejus."

R. ex S. Augustino nihil minus colligi, posse quam quod Jansenius vellet, atque adverto: in Opere *De Lib. arb.* lib. 1. S. Doctorem ostendere, male facta hominum proficisci ex libero arbitrio, ideoque nos voluntate nostra, hoc est, nostra electione degere vitam vel miseram, vel beatam. Lib. 2. num. 47. et seqq. *liberam voluntatem, liberum voluntatis arbitrium* a Deo esse, tradit, licet homo iisdem abutatur. Lib. 3. in cit. loco sotus in eo, est ut ostendat, præscientia Dei non fieri, ut non agamus libere, sed necessitate. Sermo autem illi est non de necessitate coactionis, sed de ea necessitate, qua, semel posita præscientia Dei, juxta errorem aliquorum, interius ageremur. Hanc ipse necessitatem excludit, eique voluntatem opponit, voluntatem, inquam, a quacumque necessitate liberam, quam semper nobis præsto esse tuetur, indeque infert, id esse in nostra potestate, quod facimus, quum volumus. Nam ante citata verba ait: *Non enim posses aliud sentire, esse in potestate nostra, nisi quod, quum volumus, facimus.* Loquitur ergo non de voluntate spontanea, sed de voluntate, quæ præsupponit electionem: hæc est

enim voluntas, qua facimus, quum volumus, videlicet, qua nos determinamus ad agendum, vel non agendum, quum antea essemus indifferentes.

Lib. 5. *De Civit. Dei* cap. 10. quærit, utrum voluntatibus hominum aliqua dominetur necessitas: respondet, nostras voluntates illi necessitati non subjacere, qua fit, quod non volumus, sicuti est necessitas mortis. In confirmationem hujus rei dicit: *Nam si volumus, est; si nolumus, non est: non enim vellemus, si nollemus.* Hic tamen loquitur S. Augustinus de voluntario non libero, sed tantum spontaneo: id constat, si attendatur ad exemplum vitæ, et præscientiæ Dei, quod ipse in medium adducit. Nam vita, et præscientia Dei sub necessitate quidem non cadunt, quatenus sint ab aliquo principio, quod cogat voluntatem, et id esse faciat, quod ipsa non vellet, non tamen quatenus sint res indifferentes, quæ sub electione cadant, sicut ipsa ratio voluntarii liberi requirit.

Lib. *De Spir. et litt.* num. 53. S. Doctor de illo loquitur, qui ad agendum vi exteriori cogitur, eumque dicit voluntate quidem agere, sed *non plena, atque libera*, quia ipse noluisset, agere. Quando autem Augustinus superaddit: *Unde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit, si non vult, non facit;* refutat Jansenium, qui excludit a libero arbitrio indifferentiam activam potestatis. Nam si hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit; si non vult, non facit, requiritur, ut antequam velit, aut non velit, sit indifferens ad utrumque, et utrumque possit. Et tamen Jansenius illa verba Augustini pro se in medium adducit. Nimis ergo fidenter cit. lib. cap. 38. affirmat, eum, qui suam hac de re doctrinam *erroris insimulare ausus fuerit*, non Augustinum, non Bernardum, sed philosophiam Aristotelis *ducem, et patronam* habiturum. Nunc cetera prosequamur.

Jansenius, atque omnes Jansenistæ pro certo habent, quæ fiunt propter coactionem, libera esse nullo modo posse: nemo sane iisdem hac in re refragatur. Verum, uti inquit S. Augustinus a nobis supra citatus lib. *De Spir. et litt.* num. 53. *Si subtilius advertamus, etiam quod quisque invitus facere cogitur, si facit, voluntate facit: sed quia mallet aliud, ideo invitus, hoc est, nolens facere dicitur.* Et re quidem vera non potest coactio exterior interius voluntatem afficere, propterea que nonnulli eidem vi exteriori cesserunt, non item alii: quidam minori vi succubuerunt, alii longe majori non succubuerunt. Modo ita; quæ coactione fiunt, voluntate fiunt: sed juxta Jansenium, *voluntas se ipsa libera est, et contradictionem implicat, non esse liberam:* ergo quæ coactione fiunt, quia fiunt voluntate, libere fiunt: ergo falsum est, quod ipse propugnat cum suis, et quod cum ipso propugnant ceteri omnes, scilicet coactione destrui libertatem: ergo sibi contradicit, quando simul

asserit hæc duo, hoc est, et libertatem destrui ipsa coactione; et voluntatem se ipsa liberam esse, atque contradictionem implicare non esse liberam. Sed Jansenius in hoc principio, scilicet voluntatem se ipsa liberam esse, atque contradictionem implicare non esse liberam; reponit fundamentum illorum omnium, quæ fusse disserit, ut ostendat, ad libertatem non requiri indifferentiam activam potestatis: falso ergo principio in hac tota sua disputatione nititur.

Modo quædam de volitione: profecto si volitio ex se libera est, *quia fit, quum volumus; non fit, quum nolumus, non alia volitione, sed se ipsa;* oportet, ut volitionem præcedat indifferentia tam ad velle, quam ad nolle, alioquin esse non posset, ut quum volumus, fieret, quum nolumus, non fieret: oportet sane, ut, præveniente judicio rationis, eoque duce, volitio unum ex duobus amplectatur, ne dicatur, homines eo modo a voluntate moveri, quo ab appetitu sensitivo bruta moventur. Nam „ radix libertatis est voluntas, sicut subjectum, sed sicut causa, „ est ratio" sicuti inquit S. Thomas 1. 2, quæst. 17. art. 1. ad 2., ideoque, sicuti superaddit quæst. 24. *De Verit.* art. 1. *Ex judicio rationis homines agunt, et moventur: conferunt enim de agendis: sed ex judicio naturali agunt, et moventur omnia bruta.*

Deus sane vult non solum firmiter, sed etiam immutabiliter quæ semel ab æterno voluit, licet sint ejus conditionis, ut illa ab æterno tam velle, quam nolle potuerit. Quæ enim se velle ab æterno determinavit, undequaque sapientissime, determinavit, proptereaque semper vult ea firmiter, atque immutabiliter. Quod sane est argumentum ejus perfectissimæ libertatis. Neque enim est veræ libertatis, ut velle desinamus, quod antea volueramus. Unde, licet tam a longe, quantum creatura distat a creatore, Deum imitamur, dum in suscepto proposito inde firmiter consistimus, quia antequam illud iniremus, prout a nobis fieri poterat, omnia diligenter expendimus, nihilque propterea nobis occurrit, propter quod a pristina determinatione recedamus: tamen velle immutabiliter nullo modo convenit nobis: nam in quovis proposito nostro non possumus omnia prævidere. Hoc tamen, quod de immutabilitate diximus, nemo non novit, quoad ea intelligi debere, quæ æque recte tam agere, quam non agere possumus. Quæ ergo habet Jansenius de firmitate, et immutabilitate voluntatis ad rem nostram non faciunt. Plura alia, quæ tum Jansenius, tum discipulus illius, Vincentius Lenis opponunt, solide dissolvit *Interpres Thomisticus contra Jansenistas* P. Alexander Sebille lib. 4. et 5.

Prop. II. Necessitas, a quovis principio ea sit, opponitur veræ, perfectæque libertati.

Prob. prop., et ne ullus æquivocationi locus occurrat, dicimus, nomine necessitatis illud principium intelligere, quo,

nulla in nobis præexistente activa indifferentia potestatis ad agendum vel non agendum; ita determinamur ad agendum, ut non agere possimus, ita ad non agendum, ut agere possimus. Hisce positis, ita: necessitas, de qua nunc loquimur, determinationem ad unum secum importat: sed ad veram libertatem requiritur activa indifferentia potestatis ad agendum, vel non agendum, aut hoc, vel illud agendum, sicuti modo ostendimus: ergo necessitas, a quovis principio ea sit, veræ, perfectæque libertati opponitur.

Deinde, etiam Jansenio consentiente una cum ceteris aliis, qui eumdem cum ipso tuentur errorem, coactio opponitur libertati: ergo multo magis opponatur oportet hæc necessitas, de qua loquimur. Prob. cons. Sicuti modo ostendimus, coactio non afficit voluntatem, et non tollit indifferentiam activam potestatis: at necessitas voluntatem interius afficit, atque tollendo omnem activam indifferentiam potestatis, ita illam determinat ad agendum, ut non agere non possit, ergo necessitas magis opponitur libertati, quam coactio.

Profecto tres sunt necessitatis species, quas adversari rectæ fidei, omnes Catholici tuentur, videlicet Stoica, Manichæa, et Calvinistica, quæ inter se quidem differunt, si ad illorum principia attendatur, conveniunt tamen, quatenus et nullam in homine præsupponunt indifferentiam activam potestatis, et illum ad agendum ita impellunt, ut non agere non possit: sed hæc sane habet etiam necessitas, de qua nunc disputamus: nam ipsa quoque excludit indifferentiam activam potestatis ad agendum, vel non agendum, alioquin non esset necessitas; insuper voluntatem ita determinat ad unum, ut illud non velle non possit: ergo ejusdem est ipsa conditionis, ac necessitas Stoica, Manichæa, et Calvinistica.

Neque est, cur dicatur, necessitatis Stoicæ, Manichææ, et Calvinisticæ errorem repeti tantum debere ex parte principii, non vero ex parte effectus: nam si quod maxime innoxium principium hujusmodi necessitatis excogitari posset, illud sane esset Deus. Quamvis autem Calvinus posuerit, Deum esse principium necessitatis, tamen contra ipsum Patres Tridentini sess. 6. can. 4. anathema dixerunt. Quare etiam habita ratione effectus, triplex illa species necessitatis ab omnibus Catholicis uti adversa rectæ fidei rejicitur. Hinc S. Thomas quæst. 6. *De Malo* art. 1. ita habet: „ Quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur... Hæc autem opinio est hæretica: tollit enim „ rationem meriti, et demeriti in humanis actibus. Non enim „ videtur esse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic „ ex necessitate agit, quod vitare non possit. Est etiam annumeranda inter extraneas philosophiæ opiniones, quia non solum con-

„ traviatur fidei, sed subvertit omnia principia philosophiæ mo-
„ ralis."

Modo antequam solvamus, quæ Jansenius contra reponit, illud advertimus, libertatem voluntatis distingui oportere a libertate arbitrii: illa violentiam, atque coactionem excludit, et requirit solam rationem spontanei, seu voluntarii naturalis: secundum hunc modum libere respiramus, libereque beati esse volumus: posterior non solum excludit violentiam, atque coactionem, sed etiam quamcumque necessitatem, et requirit activam indifferentiam potestatis ad agendum, vel non agendum. Unde quod dicitur liberum respectu voluntatis, non potest dici liberum respectu arbitrii, quia id omne, quod continetur in libertate arbitrii, non continetur in libertate voluntatis. Quod igitur continetur in libertate voluntatis, quatenus voluntas nullo modo cogitur, dicitur simpliciter voluntarium, non vero liberum: quod autem in arbitrii libertate continetur, est simpliciter non minus voluntarium, quam liberum.

Hinc D. Thomas quæst. 24. *De Verit.* art. 1. ad 20. postquam advertit, eamdem esse rationem tum intellectus respectu primorum principiorum, tum voluntatis respectu ultimi finis, quia sicut intellectus sine ullo prævio examine primis principiis naturaliter assentitur; ita etiam voluntas, nulla prævia discussione, tendit in ultimum finem; superaddit, quod habemus respectu ultimi finis „ liberam voluntatem, quum necessitas naturalis „ inclinationis libertati non repugnet secundum Sanc. Augusti-„ num *De Civit. Dei*, non autem liberum judicium proprie „ loquendo, quum non cadat sub electione". Idem repetit S. Doctor quæst. 10. *De Potent.* art. 2. ad 5., et 1. part. quæst. 82. art. 1. ad 1. in quo utroque loco, sicut in priori, appellat ad ista, quæ habet S. Augustinus lib. 5. *De Civit. Dei* cap. 10. num. 1. „ Si autem illa definiatur esse necessitas, se-„ cundum quam dicimus necesse esse, ut ita sit aliquid, vel „ ita fiat, nescio, cur eam timeamus, ne nobis auferat libertatem voluntatis." Voluntatis, inquam, libertatem, quæ violentiam, et coactionem excludit, non arbitrii activam indifferentiam potestatis. „ Neque enim (superaddit S. Doctor) et vitam „ Dei, et præscientiam Dei sub necessitate ponimus (scilicet „ voluntatis) si dicamus, necesse est, Deum semper vivere, et „ cuncta præscire."

Plura congerit Jansenius lib. 6. *De Grat. Christi* cap. 6. et seqq., ut ostendat, *simplicem necessitatem, et voluntarium* quatenus non cogit voluntatem, non obesse libertati. Quare ea semper ipse falsa suppositione in tota sua argumentatione laborat, ut omne, quod voluntarium est, sit etiam liberum. Unde quum a Patribus traditum, et quidem recte, habeamus, multa eorum, quæ necessitate fiunt, quæque fiunt immutabiliter secundum naturam,

et non ex prævia electione, esse voluntaria, eorum auctoritate se confecisse falso putavit, quod ipse sensit. Talia enim Patres voluntaria quidem esse dixerunt, non libera, et si quandoque vocarunt libera; habuerunt sane rationem voluntatis, quatenus ea non cogitur, non vero liberi arbitrii, quod non solum excludit coactionem sed etiam in se necessario includit electionem, quæ simplici etiam necessitati omnino opponitur.

Unum hujus rei exemplum afferam. Jansenius *De Grat. Christi.* lib. 6. cap. 7. ut ostendat necessitatem non obesse libertati, inter alia loca Patrum hunc quoque refert Angelici Præceptoris, qui legitur quæst. 10 *De Potent.* art. 2. ad 5. *Deus sua voluntate libere amat se ipsum, licet de necessitate amet se ipsum.* Verum enim vero ea de libertate loquitur Angelicus, quæ coactionem excludit, atque ipsam voluntatem respicit, non vero liberum arbitrium: „Libertas enim voluntatis (inquit „ipse) violentiæ, vel coactioni opponitur. Non est autem vio„lentia, vel coactio in hoc, quod aliquid secundum ordinem „suæ naturæ movetur, sed magis in hoc, quod naturalis motus „impeditur; sicut quum impeditur grave, ne descendat ad me„dium: unde voluntas libere appetit felicitatem, licet necessa„rio appetat illam. Sic autem et Deus sua voluntate libera „amat se ipsum, licet de necessitate amet se ipsum. Et nece„ssarium est, quod tantum amet se ipsum, quantum bonus est." Unde S. Doctor 1. p. quæst. 19. art. 3. lib. 1. *Cont. Gent.* cap. 80., lib. 2. cap. 25., *De Verit.* quæst. 23. art. 4., et in pluribus aliis locis, illud discrimen constituit inter ea, quæ Deus vult, ut se ipsum necessario, et alia a se, libere vult.

Ad illud quoque confugit Jansenius cit. lib. cap. 7. et duobus seq., videlicet Deum, homines Beatos, et Angelos esse liberos, licet peccare non possint, fuisseque etiam Christum, licet etiam ipse peccare non potuerit. Verum contra sit.

Prop. III. Indifferentia ad bene, vel male agendum, quæ dicitur indifferentia contrarietatis, non pertinet ad essentiam, et perfectionem libertatis, sed ad imperfectionem, et defectum illius. Est tamen illa non quidem extensio quædam libertatis, qualis nunc est in nobis, sed ejusdem certum argumentum.

Prob. prior pars prop. Indifferentiam ad bene, vel male operandum pertinere ad essentiam libertatis, Pelagiani voluerunt, quos S. Augustinus pro suo more solide refutavit: eos autem et nos quoque refutabimus, simulque ostendemus, falli eos Theologos, qui licet nolint hujusmodi indifferentiam pertinere ad essentiam libertatis, tamen ejus quamdam extensionem esse volunt, si præsentis status ratio habeatur. Si indifferentia ad peccandum, vel non peccandum in essentia libertatis includeretur, Deus, Sancti Angeli, Beati, atque ipse Christus aut nullo modo, aut saltem imperfecte liberi essent, deteriorisque hac in re condi-

tionis, ac nunc sint homines, quum in illis hujusmodi indifferentia confingi non possit: sed nihil magis repugnat, quam eos non esse perfecte liberos, quia tunc carerent quadam perfectione, quæ est in hominibus: ergo. „Si liberum non est (ita S. „Augustinus lib. 1. *Oper. Imperf.* cap. 100.) nisi quod duo „potest velle, id est, et bonum, et malum; liber Deus non „est, qui malum non potest velle, de quo etiam ipse dixisti, „verumque dixisti: *Deus esse nisi justus non potest.* Siccine „Deum laudas, ut ei auferas libertatem? An potius intelligere „debes, esse beatam quamdam necessitatem, qua Deus injustus „non potest esse?" Et cap. 103. ita contra Julianum: Dicturus es, ut „video, Deum necessitate premi, ut peccare non pos„sit: qui utique non potest velle, nec vult posse peccare. „Immo vero si necessitas dicenda est, qua necesse est aliquid „esse, vel fieri; beatissima est ista omnino necessitas, qua ne„cesse est feliciter vivere, et in eadem vita necesse est non „mori, necesse est in deterius non mutari. Hac necessitate, si „necessitas etiam ista dicenda est, non premuntur Sancti Ange„li, sed fruuntur: nobis autem est futura, non præsens."

Ita vero in eamdem rem præclare habet Angelicus in II. *Sent.* quæst. 1. art. 1. ad 2. „Ad rationem liberi arbitrii „non pertinet, ut indeterminate se habeat ad bonum, vel ad „malum: quia liberum arbitrium in bonum per se ordinatum „est, quum bonum sit objectum voluntatis; nec in malum „tendit nisi propter aliquem defectum, qui apprehenditur ut „bonum: quum non sit voluntas, aut electio nisi boni, aut „apparentis boni. Et ideo ubi perfectissimum est liberum arbi„trium, ibi in malum tendere non potest. Sed hoc ad liberta„tem arbitrii pertinet, ut actionem aliquam facere, vel non „facere possit: et hoc Deo convenit: bona enim, quæ facit, „potest non facere, nec tamen malum facere potest."

Prob. altera pars. Unde ergo homo habeat, ut sit indifferens ad bonum, et malum nunc paucis contra illos Theologos, de quibus mentionem fecimus. „Angelus ergo, vel homo (in„quit S. Augustinus lib. 5. *Oper. Imperf.* cap. 38.) propterea „isto Dei munere, quod est liberum arbitrium, male uti po„tuit, quia non est Deus, hoc est, de nihilo factus est a „Deo, non de ipso Deo." Et S. Thomas quæst. 22. *De Verit.* art. 6. ait: „Nam ubi non est defectus in apprehendendo, „et conferendo non potest esse voluntas mali in his, quæ sunt „ad finem, sicut patet in Beatis. Et pro tanto dicitur, quod „velle malum non est libertas, quamvis sit quoddam liberta„tis signum." Hæc ergo indifferentia, de qua loquimur, haberi non potest, uti quædam extensio libertatis, etiamsi ad præsentem nostrum statum attendatur.

Indifferentia autem activa potestatis ad agendum, vel non

agendum, aut ad agendum hoc, vel illud veram libertatem constituit, sicuti jam ostendimus, si ergo ea tantum habeatur ad hoc, vel illud bonum agendum, nullo autem modo ad agendum tam bonum, quam malum; habebitur vera simul atque perfecta libertas: si autem indifferentia sit tam ad bene, quam ad male agendum; tunc libertas erit quidem imperfecta, attamen vera. Quare velle malum est quoddam signum libertatis, quæ est in homine, sicut ait S. Thomas, indeque etiam constat de libertate hominis, quia tam bene, quam male agere potest. Unde S. Augustinus postquam advertit, eum, qui peccat, monendum, aut objurgandum non esse, si non male facit ex sua electione, ita habet: *Voluntate ergo peccatur. Et quoniam peccari non dubium est, ne hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium.*

Prop. IV. Indifferentia activa potestatis non est extincta in nobis propter peccatum originale.

Prob. prop. *Deus reliquit hominem in manu consilii sui,* sicut *Ecclesiast.* 15. 14. legitur: *Deuteron.* 30. 15. *Considera, quod hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, et bonum; e contrario mortem, et malum:* v. 19. *Quod proposuerim vobis vitam, et mortem, benedictionem, et maledictionem: elige ergo vitam, ut et tu vivas, et semen tuum.* Psal. 31. 9. *Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non est intellectus. Roman.* 12. 21. *Noli vinci a malo.* Hinc S. Augustinus lib. *De Grat. et lib. arb.* num. 2. „Revelavit autem nobis per „Scripturas suas sanctas, esse in homine liberum voluntatis ar„bitrium. Quomodo autem revelaverit, commemoro vos, non „humano eloquio, sed divino. Primum quia ipsa Divina præ„cepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis „arbitrium, quo ea faciens ad promissa regna perveniret." Et num. 4. „Nempe ubi dicitur: noli hoc, et noli illud, et ubi „ad aliquid faciendum, vel non faciendum in divinis monitis opus „voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium." Lib. 1. *Cont. duas epist. Pelag.* num. 5. „Quis autem nostrum „dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium „de humano genere?..... Nam liberum arbitrium usque adeo „in peccatore non periit, ut per illud peccent, maxime om„nes, qui cum delectatione peccant." In re tam manifesta non est, cur ulterius immoremur.

Contra 1. reponit Jansenius. Scriptura in citatis locis loquitur de hominibus viatoribus: verum sicut ex illis locis non recte colligeretur: ergo Deus caret libero arbitrio, quia malum non potest eligere; *Ita* (ipse inquit) *nec recte concluditur, actum rationalis voluntatis solius coactionis expertem non esse liberum.*

Verum uti per se patet, atque etiam jam ostendimus, indifferentia ad malum non solum non pertinet ad essentiam li-

bertatis, sed etiam carentia illius est argumentum perfectionis ejusdem libertatis: contra vero, sicuti jam certa ratione comprobavimus, indifferentia activa potestatis ad agendum, vel non agendum, quæ sane excluditur, semel ac habeatur sola immunitas a coactione, pertinet ad essentiam libertatis, cui propterea omnino opponitur necessitas, a quovis tandem principio ea sit. Fallitur igitur Jansenius in sua paritate, atque ex citatis Scripturæ locis remanet semper comprobatum, quod nos volumus, quum etiam indifferentia tam ad bonum, quam ad malum sit certum argumentum illius libertatis, qualis nunc est in nobis.

Reponit 2. loco Jansenius, in indifferentia ad bonum, et malum non esse repositam libertatem, quia homo viator non amitteret libertatem si gratia Dei, *quod beatis in præmium jam retributum est, in hac vita constitutus amplius jam peccare non posset.* Unde colligit, quod dum Scriptura, Patres, et Concilia urgent illam indifferentiam boni, et mali: *Certum liberi arbitrii statum respiciunt..... non autem quasi continuo non esset liberum, quidquid hujusmodi flexibili in utrumlibet potestate caret.*

At si quod beati receperunt in præmium, singulari gratia Dei homini viatori tribueretur, videlicet ut indifferentiam tam ad bonum, quam ad malum amplius non haberet, libertas illius sane perficeretur; verum illa esset supra libertatem hominis viatoris. de qua sane libertate Scriptura, Patres, atque Concilia loquuntur, et nos quoque modo disputamus, ac propterea sicuti Scriptura, Patres, et Concilia certum liberi arbitrii statum respexerunt; ita et nos quoque respicimus, quin immo in tota sua disputatione etiam Jansenius respexit; nam de libertate hominis viatoris ipse quoque agit. Unde ei quidem concedimus, colligi non posse, illum non esse liberum, qui non est indifferens etiam ad malum, immo vero inde colligi debere, perfecta libertate potiri; verum una cum Scriptura, Patribus, et Conciliis contendimus, indifferentiam tam ad bonum, quam ad malum esse argumentum ejus libertatis, et quidem veræ, quæ nunc est in nobis.

CAPUT TERTIUM.

De ea ratione, qua homines libere se habent ad merendum, vel demerendum.

Tertiam Jansenii propositionem refellere nunc aggredimur. Duobus æque falsis ducti principiis Janseniani contendunt, indiffe-

rentiam activam potestatis, seu libertatem indifferentiæ ad merendum, vel demerendum non requiri: 1. quia contendunt, liberum revera esse, quod est immune a coactione, propterea-que, semel ac sit voluntarium, simul liberum esse, sicuti in præcedenti capite animadvertimus: 2. quia sub dominio concupiscentiæ, atque sub efficaci gratia, in libero arbitrio non remanet potestas ad oppositum. Prius, atque etiam partem priorem alterius in citato capite jam refutavimus, alteram vero partem refutabimus, quando de efficacia gratiæ disseremus.

Prop. In statu naturæ lapsæ libertas a necessitate requiritur ad merendum, vel demerendum.

Prob. prop., quæ constat etiam ex illis Scripturæ testimoniis, quæ modo in medium protulimus. Ea enim supponunt libertatem non solum a coactione, sed etiam a necessitate, alioquin quod iisdem inculcatur, frustra inculcaretur. Sed nunc ita; profecto quod uti bonum velle, et facere, quod uti malum nolle, et non facere debemus, in Sacris litteris nobis tam sæpe repetitum legimus, ut opus non sit hujus rei testimonia in medium afferre. Item: si bene, recteque egerimus, atque mandata divina servaverimus, nos recepturos æternam beatitudinem; sin autem contra agemus, in æternum perituros, res est ex Sacris litteris non minus comperta. Tandem futurum, ut in die judicii, qui erunt a dextera judicis, uti benedicti percipiant regnum illis paratum ob origine mundi, ideoque percipiant, quia opera bona fecerunt; qui autem erunt a sinistra, eant in ignem æternum paratum diabolo, et angelis ejus; ideoque eant, quia opera mala fecerunt, apertissima est sententia Christi: sed cum hisce tribus, ut alia ommittamus, libertas a necessitate ad merendum, vel demerendum est necessario connexa: ergo. Ei, qui in agendo quadam necessitate ducitur, frustra præscribitur, quid uti bonum facere debeat, quid vero uti malum non facere: semel ac enim in agendo quadam necessitate ducatur, non est amplius in illius potestate perficere, quod uti bonum præcipitur; et aversari, quod uti malum prohibetur. Item: frustra præmium, si bene egerit, et pœna, si male egerit, indicitur illi, qui sive bene, sive male agat, quadam semper necessitate agit: Demum semel ac tam qui bona, quam qui mala opera egerunt, ex necessitate, non vero ex libera electione, egerunt, tam illorum bonis operibus nullo certo jure præmium rependitur, quam istorum malis operibus nulla certa ratione pœna infligitur: nam ut illis certo jure præmium deferatur, oportet, ut quamvis male agere potuissent, bene egerint, ut isti, prout decet, juste puniantur, necesse est, ut, quamvis bene agere potuerint, male egerint, et sicut illi potius quam male, bene agere, ita isti potius quam bene, male agere elegerint. Hinc S. Augustinus lib. *De Nat. et grat.* num. 55. postquam hæc

in medium protulit ex S. Hieronymo lib. 2. *Cont. Jovinianum*: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur, alioquin ubi necessitas, nec corona est*; hæc superaddit: *Quis non cognoscat, quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam humanam neget esse naturam?* Et *De Grat. et lib. arb.* num. 2. „Revelavit autem nobis (inquit) per Scripturas sanctas, esse in homine liberum „voluntatis arbitrium. Quomodo autem revelaverit, commemoro vos, non humano eloquio, sed Divino. Primum quod ipsa divina præcepta homini non prodessent, nisi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens ad promissa regna „perveniret." Et num. 4. „Nempe ubi dicitur noli hoc, noli „illud, et ubi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in Divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium."

Verum ut res ista in bono lumine ponatur, atque simul occurramus cavillationibus Lutheranorum præcipue, atque Calvinistarum, adverti debet, quamvis tam ad merendum, quam ad demerendum nulla necessitate nos ducamur; tamen non una, eademque ratione esse præditos activa indifferentia potestatis tam ad merendum, quam ad demerendum. Ob eam enim indifferentiam potestatis, qua prædíti sumus ad demerendum, ex nobis ipsis malum agere possumus, atque revera agimus, proindeque demereri possumus, atque revera demeremur. Mali enim causa efficiens non datur, sed solummodo deficiens, sicuti pluribus ostendit S. Augustinus lib. 12. *De Civit. Dei* cap. 5. et seqq., atque in aliis locis, nosque etiam demonstravimus *Theol. Natural.* lib. 3. quæst. 3. art. 2., dum ageremus contra Manichæos. Id autem, quod est ex nihilo, rationem causæ deficientis potissimum habet: quidquam enim non potest reperiri, quod sit magis deficiens, quam ipsum nihil. At vero ex nobis habemus, ut ex nihilo simus: igitur ex nobis sumus causa deficiens, proptereaque mali, atque demeriti. Unde S. Augustinus lib. 5. *Oper. Imperf.* cap. 33. ostendit: *Omne, quod peccare potest, ex nihilo factum esse*, indeque creaturam rationalem peccare potuisse, *quamvis facta sit a Deo, quia de nihilo facta est, non de Deo.*

Contra vero, licet sit in homine indifferentia potestatis ad merendum, ex nobis ipsis, et quidem absque ullo præjudicio libertatis, non possumus mereri, et revera non meremur. „Liberum itaque arbitrium (inquit S. Augustinus lib. *De Corrept. et grat.* num. 2.) et ad malum, et ad bonum faciendum „confitendum est nos habere: sed in malo faciendo liber est „quisque, servusque peccati; in bono autem liber esse nullus „potest, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: *Si vos Filius „liberaverit, tunc liberi eritis.*" Hanc fidem dicit esse *veram*,

propheticam, *Apostolicam*, *et catholicam*. Sicuti vero habet S. Thomas 1. 2. quæst. 10. art. 4. „Ad providentiam Divi„nam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare: un„de omnia movet secundum eorum conditionem, ita quod ex „causis necessariis per motionem Divinam consequuntur effectus „ex necessitate, ex causis autem contingentibus sequuntur effec„tus contingentes. Quia igitur voluntas est principium activum „non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad „multa, sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad „unum determinat, sed remanet motus ejus contingens, et non „necessarius, nisi in his, ad quæ naturaliter movetur." Hac de re nunc satis: de ea enim fusius agemus in disputatione de divina gratia.

Nunc ad rem nostram contra Lutheranos, atque Calvinistas: ajunt ergo ipsi, testimoniis illis Scripturarum, quæ nos in medium protulimus, hoc unum tantum innui, videlicet, quid, auxiliante Deo, in nobis fieri possit, non vero quid ipsi facere valeamus. At vero facit quidem Deus, ut faciamus, et velle, atque perficere operatur in nobis; verum non sine nobis: „Ideo enim (in„quit S. Augustinus *De Prædest. Sanct.* num. 22.) hæc et „nobis præcipiuntur, et dona Dei esse monstrantur, ut intelli„gatur, quod et nos ea facimus, et Deus facit, ut illa faciamus, „sicut per prophetam Ezechielem apertissime dicit. Quid enim „apertius quam ubi dicit: *faciam, ut faciatis?* locum ipsum „Scripturæ attendite, et videbitis, illa Deum promittere factu„rum se, ut faciant, quæ jubet, ut fiant." Sicut etiam quando ait Apostolus *Rom.* 9. 16. *Non est volentis, neque currentis*, inquit S. Thomas 1. p. quæst. 83. art. 1. ad 2. „Non sic „est intelligendum, quasi homo non velit, et non currat libe„ro arbitrio, sed quia liberum arbitrium ad hoc non est suffi„ciens, nisi moveatur, et juvetur a Deo."

Modo nonnulla eorum expendamus, quæ Jansenius pro se in medium adducit Lib. 6. *De Grat. Christi* cap. 8. Pluribus S. Augustini locis in medium prolatis, in quibus tradit S. Doctor, liberum arbitrium, quod non potest servire peccato, esse *liberius*, et *potentius*, ex iisdem ita colligit: 1. *capitaliter* adversari Augustini doctrinæ, beatos inde tantum esse liberos, quia hoc, vel illud bonum agere possunt: 2. Beatorum liberum arbitrium esse, *Liberrimum in illo ipso affectu, et voluntate non peccandi, hoc est, in illa stabili, perpetua, et immutabili voluntate non deficiendi ex amore Dei.* Hæc ergo stabilis, perpetua, et immutabilis voluntas non deficiendi ab amore Dei, quum a coactione tantum sit immunis, sicut etiam Jansenius contendit, inde sequitur, veram esse hanc illius damnatam propositionem num. 3. *Ad merendum, et demerendum in statu na-*

turæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

At in unoquoque genere illud esse perfectius dicitur, quod caret eo defectu, quo vitiari potest. Unde mirandum non est, S. Augustinum illud arbitrium vocasse liberius, atque perfectius, quod non potest servire peccato. Nam indifferentia ad inserviendum peccato est defectus liberi arbitrii, quale est in nobis, nulloque modo pertinet ad essentiam illius, sicuti S. Augustinus contra Pelagianos semper inculcat: nosque supra ostendimus. Adversari igitur capitaliter doctrinæ Augustini, liberum arbitrium habere in se debere indifferentiam ad bonum, et malum, hoc sane est, quod Jansenius æquo jure inferre poterat, immo debebat: quod autem ipse intulit, præter omnem rationem, et etiam contra doctrinam Augustini intulit. Quod secundo loco intulit, confutatione non eget: falso enim supponit in beatis liberum arbitrium respectu immutabilis voluntatis non deficiendi ab amore Dei. Nam, sicuti ait S. Thomas 1. p. quæst. 62. art. 8 „Eorum beatitudo in hoc consistit, quod per es„ sentiam Deum vident. Essentia autem Dei est ipsa essentia bo„ nitatis. Unde hoc modo se habet Angelus videns Deum ad „ ipsum, sicut se habet quicumque non videns Deum ad com„ munem rationem boni. Impossibile est autem, quod aliquis „ quidquam velit, vel operetur, nisi attendens ab bonum, vel „ quod velit divertere a bono, in quantum hujusmodi. Angelus „ igitur Beatus non potest velle, vel agere, nisi attendens ad „ Deum, sic autem volens, vel agens non potest peccare." Quæ ergo nunc est ratio nostræ voluntatis circa bonum in communi, est etiam ratio voluntatis beatorum circa dilectionem Dei.

Eodem lib. 6. cap. 9. ita Jansenius habet. Augustinus Pelagianis objicientibus gratia e medio tolli arbitrii libertatem opponit exemplum Christi, qui licet peccare non potuerit, liber tamen in non peccando fuit. Immo vero docet, perpetuam voluntatem Christi ad non peccandum, libertati illius non obfuisse, sed profuisse. Neque putandum est (prosequitur Jansenius), Augustinum libertatem Christi in eo posuisse, ut hoc, vel illud bonum posset eligere, sed in ipsa voluntate, quatenus diligebat justitiam.

Ad ista reponimus, non ferre ordinem doctrinæ, ut nunc disputemus de causa impeccabilitatis Christi. Prout ergo ad rem nostram spectat, animadvertimus, Augustinum pro suo more sapientissime objecisse Pelagianis exemplum Christi: ex eo enim constat, gratiam, qua ad bene agendum movemur, non obesse libertati, sicut non obfuit libertati Christi posse tantum bene agere. Quare semper illuc redeundum est, indifferentiam ad peccandum esse defectum libertatis, eamque libertatem perfectiorum esse, quæ non potest tendere ad malum. Quod si præ oculis habuisset Jansenius,

profecto advertisset, multa eorum, quæ opponit, hujus firmissimi principii ratione semel habita, nullius momenti esse. Sicuti ergo habet Saraphinus Capponi in 3. p. D. Thomæ quæst. 18. art. 4. " In genere tantum bonorum ad utrumque est liberum arbitrium „ Beatorum, sicut et Christi fuit: in genere tantum malorum ad „ utrumque est liberum arbitrium damnatorum; sed in genere bo„ norum simul et malorum ad utrumque est liberum arbitrium via„ torum." Quando autem dicitur in genere bonorum ad utrumque esse liberum arbitrium Beatorum, sicut etiam in Christo contigit, id accipi debet non respectu finis, supra quem non cadit electio, sed respectu eorum, sicuti monet S. Thomas 3. part. quæst. 18. art. 4., quæ sunt ad finem, quæque subsunt electioni.

Unde si nomine justitiæ Jansenius intelligat justitiam essentialem, qua Christus secundum naturam est ipsa æterna justitia; falsum est, in ea Augustinum Christi libertatem reposuisse; si autem intelligat electionem illorum, quæ ad hanc justitiam æternam Christus ordinare poterat; verum est, in ista voluntate reposuisse Augustinum libertatem Christi.

Ejusdem lib. cap. 10. Jansenius agit de voluntate fruente summo bono, atque in hac fruitione illam esse liberam, Augustini auctoritate contendit, multaque in medium adducit desumpta ex lib. 3. *De lib. arb.*

Verum in iisdem locis, quæ Jansenius citat, hoc unum S. Doctor contendit, nos *non invitos*, sed *volentes* futuros beatos: quomodo etiam ad bonum in communi non tendimus inviti, sed volentes; similiterque non sumus inviti, sed volentes in actionibus vitæ animalis. Si ergo omne voluntarium esset liberum, in sua argumentatione Jansenius recte procederet: at quum non omne voluntarium in se habeat indifferentiam activam potestatis quæ ad libertatem necessario requiritur, sicut jam ostendimus; ideo non omne voluntarium est liberum. Talis autem conditionis est illud voluntarium, de quo hoc in loco Jansenius loquitur.

Tandem, ut cetera omittamus, ne plus, quam par est, hac in re immoremur, Jansenius provocat ad principia scholasticorum, exque iis constare contendit, quod ipse vult. Quædam tantum S. Thomæ loca nunc expendemus, quæ ab illo in medium proferuntur. S. Doctor quæst. 16. *De Malo* art. 5. ad 8. statuit, quod: *Sicut motus aversionis a Deo fuit in diabolo voluntarius; ita et quies in eo, quod voluit, est voluntaria: nam voluntarie perseverat in malo: sed tamen voluntas ejus in hoc immutabiliter manet. De Verit.* quæst 24. art. 10. ad 3. *Dicendum, quod causa peccati per se est voluntas, et per ipsam peccatum conservatur, quæ quamvis a principio ad utrumque se haberet æqualiter, tamen postquam se peccato subjecit, efficitur ei peccatum quasi naturale, et ex hoc ei immutabiliter,*

quantum est de se, manet in illo. Ex his vero, aliisque nonnullis, quæ superaddit, quæque eadem responsione solvuntur, constare putavit Jansenius, necessitatem quidem coactionis, non vero voluntariam, et simplicem repugnare libertati, ideoque tam ad demerendum, quam ad merendum in statu naturæ lapsæ non requiri libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem a coactione.

R. S. Thomam cit. quæst. 6. *De Malo* art. 5. illud statuere contra Originem, liberum arbitrium Angelorum post peccatum ad justitiam non posse redire: id autem probat, tum quia Angeli ex sui natura immobiliter perseverant *vel in aversione, vel in conversione respectu supernaturalis boni*, tum quia post primam electionem *finitur in eis status viatoris.* Ex his vero colligit, quod dæmones: *Quamvis diversa eligant per liberum arbitrium, in omnibus tamen peccant, quia in omni eorum electione permanet vis primæ electionis ipsorum.* Angelicus igitur continuationem peccati Angelorum reposuit, non in prima voluntate, sed in prima numquam postea interrupta electione, qua ipsa voluntas illorum primo peccato adhæsit. Unde in responsione ad 8. dixit, Angelos voluntate perseverare in peccato, sed tamen immutabiliter: voluntate quidem propter primam electionem, quæ in ipsis perseverat: immutabiliter vero, sicut inquit S. Thomas, *ratione jam dicta:* quæ verba prætermisit Jansenius, licet sint pauca, atque ultima totius responsionis S. Thomæ, quam ipse in medium adducit. Ratio autem ea est, tum quia Angeli semper perseverant vel in aversione, vel in conversione respectu supernaturalis boni; tum quia post primam electionem finitur in eis status viatoris.

Quæst. 24. *De Verit.* art. 10. quærit Angelicus, utrum alicujus creaturæ liberum arbitrium in malo obstinatum, vel immutabiliter firmatum nunc esse possit: respondet, hac in re tria attendenda: 1. impetum passionis: 2. inclinationem habitus: 3. falsam existimationem respectu rei, quæ singulariter eligitur. Posse hominem ipsa ratione obsistere motui passionis, et inclinationi habitus, atque corrigere falsam existimationem, pluribus ostendit, indeque colligit, hominem a peccato desistere posse. Ex quibus sane constat, eum distincte negasse in homine quamvis interiorem necessitatem ad peccandum. Ait sane in responsione ad 3., peccatum evadere homini *quasi naturale*, postquam sese illi subjecit, *et ex hoc ei immutabiliter, quantum est de se, manet in illo* verum hoc unum ex hisce verbis colligitur, hominem, semel ac sit peculiari quodam modo sub servitute peccati, *quasi naturaliter*, non vero absolute, et simpliciter, cadere in peccatum, indeque quamdam in ipso peccato habere immutibilitatem.

LIBER SECUNDUS.

De relatione nostrorum operum in Deum.

De relatione operum nostrorum in Deum hoc in libro disputabimus, veluti de principio universali, quo opera nostra in Deum referuntur. In 1. cap. agemus de illo principio, a quo profluit obligatio relationis nostrorum operum in Deum: in 2. de natura præcepti, quo nostra opera in Deum referre debemus: in 3. de necessitate relationis nostrorum operum in Deum uti finem ultimum, prout ipsa ad vitam æternam conducunt: in 4. de diversa ratione, qua opera nostra in Deum referuntur.

CAPUT PRIMUM.

De illo principio, a quo profluit obligatio relationis nostrorum operum in Deum.

Caritas quum dignitate, atque perfectione ceteris virtutibus præcellat, sitque finis præceptorum, atque radix, et principium totius meriti, ab ipsa habent opera virtuosa, ut in Deum referantur. Unde.

Prop. I. Obligatio referendi opera nostra in Deum in præcepto caritatis includitur, atque ab illo non distinguitur.

Prob. prop. *Deutoronum.* 6. 5. his verbis exprimitur præceptum dilectionis Dei: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.* Quæ expendens Angelicus 1. 2. quæst 100. art. 10. ad 2. ait. " Sub præcepto „ caritatis continetur, ut diligatur Deus toto corde, ad quod per„ tinet, ut omnia referantur in Deum. Et ideo præceptum ca„ ritatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur „ in Deum. Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex caritate „ honorare, non ex vi hujus præcepti, quod est, *honora pa„ rentes*, sed ex vi hujus præcepti, quod est: *Diliges Dominum „ Deum tuum ex toto corde tuo.* " Et quum ista sint duo præ„ cepta affirmativa non obligantia ad semper, possunt pro di„ versis temporibus obligare: et ita potest contingere, quod ali-

„ quis implens præceptum de honoratione parentum, non tunc „ transgrediatur præceptum de omissione modi caritatis." In II, „ *Sent.* dist. 40. quæst. 1. art. 5. ad 6. Et si quæratur (inquit) „ quando oporteat actum referre in finem ultimum, hoc nihil „ aliud est, quam quærere, quando oporteat habitum caritatis ex- „ ire in actum, quia quandocumque habitus caritatis in actum „ exit, fit ordinatio totius hominis in ultimum finem, et per con- „ sequens omnium eorum, quæ in ipsum ordinantur ut bona sibi." Tandem, ut alia omittamus, 2. 2. quæst. 83. art. 14. explicans Angelicus illud *Lucæ* 18. 1. *Oportet semper orare, et non deficere;* et alterum simile huic *Thessal.* 5. 17. ita habet: "De " oratione dupliciter loqui possumus, uno modo secundum se ip- „ sam alio modo secundum causam suam. Causa autem orationis „ est desiderium caritatis, ex quo procedere debet oratio, quod „ quidem debet esse in nobis continuum vel actu, vel virtute. „ Manet enim virtus hujus desiderii in omnibus, quæ ex cari- „ tate facimus. Omnia autem debemus in gloriam Dei facere, et „ secundum hoc oratio debet esse continua." Ex his omnibus abunde constat de eo, quod nunc volumus.

Dices. Etiam qui non habent caritatem, adimplere possunt saltem virtualiter præceptum relationis operum in Deum, sicuti in illo contingeret, qui in peccato gravi existeret, licet provocatus, abstineret a pejerando, ne hanc singularem injuriam Deo inferret: non includitur ergo in præcepto caritatis obligatio referendi in Deum nostra opera. Ita Sylvius in 1. 2. D. Thomæ quæst. 100. art. 10.

R, nihil minus dici posse, quam ab hujusmodi homine adimpleri virtualiter præceptum relationis operum in Deum. Nam hujusmodi obligatio in eo posita est, ut omnia nostra opera in Deum, uti in ultimum finem super omnia dilectum referamus, propterea que qui est habitualiter a Deo aversus, neque actu, neque virtute potest referre sua opera in Deum, sicuti in ultimum finem super omnia dilectum.

CAPUT SECUNDUM.

De natura præcepti relationis nostrorum operum in Deum.

Dum de natura hujus præcepti quærimus, nihil aliud quærimus, quam utrum sit illud affirmativum, an vero negativum. Antequam ostendamus, esse affirmativum, cum Angelico 2. 2. quæst. 33. art. 2. advertimus, hoc discriminis intercedere inter præcepta negativa, et affirmativa, ut illis prohibeantur actus pec-

catorum, actus autem virtutum istis præcipiantur. Unde quum actus peccatorum sint secundum se mali; neque recti, aut justi evadere umquam possint; ideo præcepta negativa obligant semper, et ad semper: præcepta autem affirmativa obligant semper, sed non ad semper, hoc est, tantummodo *pro loco, et tempore*, sicuti inquit S. Thomas.

Prop. I. Præceptum relationis nostrorum operum in Deum non aliter, ac præceptum caritatis, in quo includitur, est affirmativum, proptereaque non obligat ad semper, hoc est, quovis loco, et tempore.

Prob. prop. "Peccatum omissionis (inquit Angelicus 1. 2. „ quæst. 71. art. 5. ad 3.) contrariatur præcepto affirmativo, „ quod obligat semper, sed non ad semper; et ideo solum pro tem„ pore illo aliquis cessando ab actu peccat, pro quo præceptum „ affirmativum obligat." Et 2. 2. quæst. 79. art. 3. ad 3. ait: "Dicendum, quod sicut peccatum transgressionis opponitur præ„ ceptis negativis, quæ pertinent ad declinandum a malo; ita „ peccatum omissionis opponitur præceptis affirmativis, quæ per„ tinent ad faciendum bonum. Præcepta autem affirmativa non „ obligant ad semper, sed ad tempus determinatum, et pro il„ lo tempore peccatum omissionis incipit esse." Sed omissione transgredimur præceptum relationis nostrorum operum in Deum, sicut etiam omissione agimus contra præceptum, quo elicere debemus actum amoris erga Deum: ergo præceptum relationis nostrorum operum in Deum non aliter, ac præceptum dilectionis Dei, est affirmativum; proptereaque non obligat ad semper, hoc est, quovis loco et tempore.

Prop. II. Non peccat, qui omittit sua opera in Deum referre eo loco, vel tempore, quo non obligat præceptum relationis nostrorum operum in Deum.

Prob. prop. Peccatum omissionis committitur, quando, licet urgeat præceptum faciendi hoc, vel illud, nos omittimus facere hoc, vel illud: contra vero peccato omissionis nullus est locus, si hoc vel illud tunc omittamus facere, quando non urget præceptum faciendi hoc, vel illud: sed præceptum relationis nostrorum operum in Deum est affirmativum, proptereaque non obligat ad semper, hoc est, omni loco, et tempore, sicuti ex antecenti propositione constat: ergo non peccat, qui omittit referre sua opera in Deum eo loco, vel tempore, quo non obligat præceptum relationis nostrorum operum in Deum.

Prop. III. Quod agimus, quovis tandem modo illud sit malum, non induit novam malitiam ob defectum relationis in Deum, semel ac non urgeat præceptum ejusdem relationis: si vero urgeat; novam malitiam induit.

Prob. prop. Non agimus contra præceptum, si non urgeat obligatio ejus: ergo semel ac non urgeat præceptum relationis

operum in Deum, quod male agimus, est quidem malum, attamen non propter defectum relationis operis in Deum, sed ex alio capite, atque ex eo quod non sit relatum in Deum, novam malitiam non induit. Contra vero præceptum transgredimur, semel ac non facimus, quod, eo urgente, deberemus: igitur si quando urget obligatio relationis operum in Deum, agimus quod vel spectatum in se, vel secundum finem proximum, aut circumstantias, est malum, novam malitiam inde superinduit, quia simul conjungitur cum transgressione præcepti relationis in Deum.

Prop. IV. Si quod agitur, servato morali ordine rectæ rationis, tam in se spectatum, quam juxta proximum finem, atque circumstantias rectum est, nullam peccati malitiam inde contrahit, quia non refertur in finem ultimum, semel ac tunc non urgeat præceptum hujusmodi obligationis: contrahit vero, si illud urgeat.

Prob. prop. Tunc enim quod, servato morali ordine rectæ rationis, spectatum tam in se, quam juxta proximum finem, atque circumstantias, rectum est, suam rectitudinem semper retinet; ergo nullam labem peccati contrahit. Ant. constat: si enim hujusmodi rectitudinem non retineret, hoc inde contingeret, quia in ultimum finem supernaturalem non referretur: sed hoc opus eo tempore supponitur patratum, quo non urget obligatio relationis nostrorum operum in Deum (sicuti revera eam non urgere quovis loco, et tempore jam ostendimus): ergo tale opus nullam inde labem peccati contrahit, quia in finem supernaturalem non refertur, sed eam rectitudinem retinet, quam habet secundum mortalem ordinem rectæ rationis. Amittit vero hanc rectitudinem, si, urgente præcepto relationis operis in Deum, in eumdem non referatur, quia tunc intervenit transgressio tanti præcepti.

Prop. V. Dari potest opus, atque revera datur, quod, servato morali ordine rectæ rationis, nullam in se peccati malitiam habeat, licet in ultimum finem supernaturalem non referatur.

Prob: prop. Ilud opus juxta moralem ordinem rectæ rationis nullam malitiam peccati in se continet, quod spectatum tam in se, quam respectu proximi finis, atque circumstantiarum rectum est: sed hujusmodi opus hanc rectitudinem quandoque retinere potest, atque revera retinet, videlicet, si eo tempore fiat, quo non urget obligatio præcepti relationis in Deum, sicuti modo ostendimus: ergo dari potest opus, atque revera datur, quod, servato morali ordine rectæ rationis, nullam in se malitiam peccati habeat, licet in ultimum finem supernaturalem non referatur. "Quum ista sint duo præcepta affirmativa (videlicet, *Honora parentes*, et: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo;* inquit Angelicus 1. 2. quæst. 100. art. 10. ad 2.)

„ non obligantia ad semper, possunt pro diversis temporibus obli-
„ gare; et ita potest contingere, quod aliquis implens præcep-
„ tum de honoratione parentum, non tunc transgrediatur præ-
„ ceptum de omissione modi caritatis."

CAPUT TERTIUM.

De necessitate relationis nostrorum operum in Deum ultimum finem, ut ipsa conducant ad vitam æternam.

Sola caritas est, quæ facit opera nostra vitæ æternæ esse meritoria, indeque ad hunc finem oportet, ut ea in Deum dilectum super omnia caritate referantur.

Prop. I. Ut ad salutem æternam consequendam conducant nostra opera, licet in se recta, oportet, ut in Deum, sicuti in finem ultimum, per caritatem referantur.

Prob. prop. Quæ tradit Apostolus I. *Corint.* 13. hoc, quod modo volumus, plenissime ostendunt: 1. docet, semel ac caritas non habeatur, donum linguarum, prophetiam, scientiam, fidem, qua montes transferantur, distributionem bonorum in subsidium pauperum, atque traditionem corporis ad comburendum, ad nihil prodesse: 2. per caritatem perfici ea omnia, quæ agimus. Et re quidem vera tunc agimus propter gloriam Dei, quemadmodum nobis præcipitur in Sacris litteris, quando quod agimus per caritatem in Deum, uti ultimum finem, super omnia dilectum referimus, et ordinamus. Nam sicuti inquit Apostolus I. ad *Timot.* 1. 5. *Finis præcepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* Quare omnes virtutes (sicuti habet Angelicus in cit. locum)" Respiciunt Theologicas, sicut finem. „ Inter Theologicas autem illa plus habet de ratione finis, quæ „ propinquius se habet ad ultimum finem. Fides autem ostendit „ eum, spes facit tendere in eum, caritas unit." Unde S. Autinus in *Enchirid.* num. 32. " Omnia igitur (inquit) præcepta „ Divina referuntur ad caritatem... Quod vero ita fit vel timore „ pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad il- „ lam caritatem, quam diffundit Spiritus Sanctus in cordibus „ nostris, nondum fit, quemadmodum fieri oportet, quamvis fie- „ ri videatur." Necesse autem esse, ut opera nostra per caritatem referantur in Deum sicuti in ultimum finem super omnia dilectum, ut sint vitæ æternæ meritoria, non est, cur nunc aggrediamur ostendere. Dubitari ergo non potest, necesse esse, opera nostra per caritatem referri in Deum, sicuti in finem ulti-

mum super omnia dilectum, ut ea sint vitæ æternæ meritoria.

Quapropter neque qui, servato morali ordine rectæ rationis, facit opera, quæ spectata tum in se, tum secundum circumstantias, atque proximum finem sunt recta, neque peccator, qui incipiens resipiscere a via mala, et nondum justificatus sua opera in Deum, sicut in finem ultimum dirigit, implent, prout oportet ad salutem æternam, præceptum relationis operum in Deum. Nam neque ille, neque iste sunt prædíti caritate, aliundeque, sicuti prop. 1. præc. cap. jam ostendimus, præceptum relationis operum in Deum non distinguitur a præcepto caritatis. In hoc ergo isti duo distinguntur inter se, ut prior, totius sui operis in se spectati habita ratione, sese non opponat præcepto relationis operum in Deum, semel ac tamen illud non urgeat, quemadmodum jam explicavimus: alter vero non solum hoc facit, sed etiam prævio motu gratiæ, licet nondum inhabitantis, ad caritatem perfectam sese disponit, et consequenter ad implendum, prout par est ad vitam æternam, præceptum relationis operum in Deum.

CAPUT QUARTUM.

De diversa ratione, qua nostra opera in Deum referuntur.

Triplicem a caritate proficiscentem relationem nostrorum operum in Deum Theologi vulgo distinguunt, hoc est, actualem virtualem, et habitualem: actualis provenit ab expresso actu caritatis, virtualis perseverat virtute ob actum præcedentem caritatis, habitualis consequitur ad habitum jam inhærentem. Respectu relationis virtualis tria requiruntur: 1. ut præcesserit aliquis actus explicitus dilectionis Dei: 2. ne actu contrario sit ille revocatus: 3. ut virtute perseveret, qua excitati agere dicamur. Relatio habitualis in se non habet ipsum actum amoris Dei, qui secum fert actualem relationem, neque etiam habet eumdem actum virtualiter manentem, sicuti relatio virtualis, sed consistit in quadam dispositione referendi opera in Deum, ut in ultimam finem, quæ in habituali caritate suum fundamentum habet.

Prop. I. Non satisfit præcepto relationis operum in Deum per relationem habitualem.

Prob. prop. Sicuti advertit S. Thomas *De Virt.* quæst. 2. art. 11. ad 3. „aliud est habitualiter referre in Deum, et aliud „virtualiter: habitualiter enim refert in Deum, et qui nihil agit, „nec aliquid actualiter intendit, ut dormiens; sed virtualiter,

„ aliquid referre in Deum, est agentis propter finem ordinantis „ in Deum." Quum ergo nihil agendo, præcepta affirmativa non impleantur, ex eo quod præceptum relationis nostrorum operum in Deum sit affirmativum, et relatione habituali nihil agatur, consequens inde est, relatione habituali non posse impleri præceptum relationis operum nostrorum in Deum. Rem istam confirmat Angelicus his verbis in II. *Sent.* dist. 40. quæst. 1. art. 5. ad 6. "Non sufficit omnino habitualis ordinatio actus „ in Deum: quia ex hoc, quod est in habitu, nullus meretur, „ sed ex hoc quod actu operatur." Dubitari ergo non potest, habituali relatione non satisfieri præcepto relationis nostrorum operum in Deum.

Dices. Habitus caritatis animam nostram Deo gratam facit: ergo quæ ab hujusmodi habitu proficiscuntur, sunt grata Deo: relatio ergo habitualis, quæ est a gratia habituali, est grata Deo, eaque satisfacimus præcepto relationis nostrorum operum in Deum.

R. dist. ant., Deo gratam facit in se, conc., in suis operibus, neg. Habitus caritatis afficit animam, illamque Deo gratam facit; verum ipse non est causa efficiens, saltem immediata, relationis nostrorum operum in Deum, sicuti in ultimum finem dilectum super omnia. Singularem quidem aptitudinem ad opera meritoria inducit habitus caritatis; tamen, sicut inquit S. Thomas, quia ex hoc, quod est in habitu, nullus meretur, non habituali, sed actuali vel virtuali caritate fit, ut id meriti comparemus, quod consequitur ad relationem nostrorum operum in Deum, sicuti in finem ultimum dilectum super omnia, immo ut hæc relatio habeatur, caritas actualis erga Deum requiritur.

Prop. II. Satisfit præcepto relationis operum in Deum per relationem virtualem.

Prob. prop. "Omnia actu referre in Deum (inquit S. Tho„ mas *De Virtut.* quæst. 2. art. 11. ad 2.) non est possibile in „ hac vita, sicut non est possibile, quod semper de Deo co„ gitetur: hoc enim pertinet ad perfectionem patriæ; sed „ quod omnia virtute referantur in Deum, hoc pertinet ad per„ fectionem caritatis, ad quam omnes tenentur. Ad cujus eviden„ tiam considerandum est, quod sicut in causis efficientibus vir„ tus primæ causæ manet in omnibus causis sequentibus, ita etiam „ intentio principalis finis virtute manet in omnibus finibus se„ cundariis.... Sic igitur quum aliquis ordinat se ipsum in Deum, „ sicut in finem, in omnibus, quæ propter se ipsum facit, ma„ net virtute intentio ultimi finis, qui est Deus: unde in omni„ bus mereri potest, si caritatem habeat." Idem repetit in II. *Sent.* dist. 40. quæst. 1. art. 5. ad 2. Quum vero intrinseca ratio, qua S. Thomas excludit necessitatem actualis relationis in singulis actibus, sit per se evidens; aliunde vero nullus sit dubitationi locus, quin intentio semel habita virtualiter perseve-

rare possit, atque revera perseveret, si nihil contra obstet, non est, cur nunc alia in confirmationem propositionis nostræ in medium afferamus.

Dices. Apostolus I. *Corint.* 10, 31. ait: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Hinc *Lucæ* 18. 1. ait Christus: *Oportet semper orare, et non deficere.* Ex his vero illud consequens esse videtur, ut singulas actiones in Deum singillatim referre debeamus.

R. cum S. Thoma in II. *Sent.* dist. 40. quæst. 1. art. 5. ad 7. "Quod hoc, quod dicitur; *omnia in gloriam Dei facite,* „potest intelligi dupliciter, vel affirmative, vel negative. Si ne„gative; sic est sensus: nihil contra Deum faciatis: et hoc mo„do præceptum est. Si autem intelligatur affirmative; hoc potest „esse dupliciter: aut ita quod actualis relatio in Deum sit con„juncta actioni nostræ cuilibet, non quidem in actu, sed in vir„tute, secundum quod virtus primæ ordinationis manet in om„nibus actionibus sequentibus... et sic adhuc præceptum est; et „contingit, omissionem ejus esse venialem, aut mortalem, si„cut dictum est (videlicet propter peccatum veniale, aut mor„tale): vel ita quod ordinatio actualis in Deum sit actu conjuncta „cuilibet actioni nostræ; et sic potest intelligi dupliciter: vel „distributive, vel collective. Si distributive; sic est sensus: quam„cumque actionem facitis, melius est, si eam actu in Deum or„dinetis: et sic est consilium. Si autem sumatur collective; sic „est sensus: omnia opera vestra ita faciatis, quod nullum eorum „sit, quin actu in Deum ordinetis. Et hoc nec præceptum, nec „consilium est, sed finis præcepti; ad quod per impletionem „præceptorum pervenitur: sic enim Sancti in patria actus suos in „Deum referunt."

Illud autem Lucæ: *oportet semper orare, et non deficere* quomodo debeat intelligi, cum D. Thoma jam explicavimus hujus lib. cap. I.

Prop. III. Ut satisfiat præcepto relationis nostrorum operum in Deum, certis quibusdam temporibus actualis relatio requiritur.

Prob. prop. Præceptum relationis nostrorum operum in Deum includi in præcepto caritatis, hujus lib. cap. 1. jam ostendimus. Quo sane fit, ut quoties urget actuale præceptum caritatis, urgeat quoque obligatio actualis relationis nostrorum operum in Deum. Modo non aggredimur definienda nostræ vitæ statuta tempora, quibus obligamur elicere actum caritatis erga Deum, multoque minus illos refutare, qui hujusmodi obligationem ita restrinxerunt, ut eam ad nihilum quodammodo redegisse videantur. Quæ ab Alexandro VII. an. 1663., ab Innocentio XI. an. 1679., ab Alexandro VIII. 1690. proscriptæ sunt propositiones, ob oculos haberi debent hac in re. Quod nunc volumus, hoc unum sa-

ne est; sicut certis quibusdam temporibus vitæ nostræ obligat actuale præceptum caritatis erga Deum; ita etiam obligare præceptum actualis relationis operum nostrorum in Deum.

Sicut ergo præceptum caritatis considerari potest etiam quatenus negativum, licet in se spectatum sit affirmativum, et secundum priorem rationem obligat semper, et pro semper, quatenus eo id omne prohibetur, quod opponitur dilectioni Dei secundum alteram, licet non pro semper, tamen semper obligat hoc est, nunquam nos a dilectione eximit, cujus propterea actum licet non omni tempore, tamen certis quibusbam temporibus debemus elicere: ita etiam præceptum relationis operum nostrorum in Deum considerari potest etiam quatenus negativum, licet in se spectatum sit affirmativum: secundum priorem rationem obligat ad semper, et pro semper, quatenus numquam in malum finem potest aliquid referri; sed quia est affirmativum, eoque, sicut aliis affirmativis præceptis, præcipitur actus virtutis, obligat ad actualem relationem operum in Deum, non quidem pro semper, hoc est, quovis loco, et tempore, sed tamen semper, videlicet quibusdam certis, determinatisque temporibus.

LIBER TERTIUS.

De operibus infidelium, atque peccatorum, quæ ex sui objecto sunt bona, aliundeque nullum in se vitium vel propter circunstantias, vel propter finem proximum habent

Antiquum errorem e Bajo, Jansenio, et Quesnellio renovatum refutandum aggredimur. Joannes Hus, sicuti constat ex illus 15. propositione damnata in concilio Constantiensi, statuit immediatam divisionem operum nostrorum esse, quod aut virtuosa, aut vitiosa sint, quia vitium, seu peccatum mortale inficit *universaliter* actus hominis vitiosi. Lutherus, sicuti legere est apud Ripaldam Disput. 6: adv. Bajanos n. 6., asseruit, opera extra fidem facta, licet recta videantur, esse *sub peccato, et maledicto*. Calvinus lib. 3. *Instit.* cap. 14., docuit opera tam infidelium, quam peccatorum, licet justitiæ, continentiæ, temperantiæ opera, tamen ob *impuritatem cordis*, aut *impuritatem conscientiæ esse vitia, et execrabilia judicio Dei*. Bajus censuit, quævis opera bona a caritate perfecta profluere, quæ vero ab illa non profluunt, mala, vitia, peccata, falsamque obedientiam esse: pronuntiavit. De hoc absque ulla ambiguitate constat ex illius propositionibus

proscriptis num. 16., 25., 34., 35., 40. Jansenius *De Statu nat. lapsæ* lib. 3. cap. 14. tradit, hominem *ante gratiam* non posse facere *ne unum quidem opus justitiæ moralis*, atque *ante gratiam* inductam *necessitatem peccandi in omnibus actibus*. Cap. 15. triplici genere argumentorum aggreditur ostendere; *non posse unum opus bonum legis fieri ante gratiam*, sequent. quoque capitibus rem eamdem adstruit. Quesnellius Baji, et Jansenii vestigia pressit, sicuti constat ex illius damnatis propositionibus num. 44. usque ad 49. inclusive. In quatuor capita gratia claritatis hunc librum dividemus: in 1. de medio illo amore disputabimus, qui inter laudabilem caritatem, et vitiosam cupiditatem intercedit: in 2. de ea singillatim virtute, quæ esse potest in hominibus, licet sint affecti vitiosa cupiditate: in 3. singulariter de operibus infidelium, atque peccatorum: in 4. de disputatione S. Augustini de virtutibus contra Pelagianos.

CAPUT PRIMUM.

De medio illo amore, qui inter laudabilem caritatem, et vitiosam cupiditatem intercedit.

Medium amorem inter laudabilem caritatem, et vitiosam cupiditatem Bajus prop. 38. Jansenius *De Statu nat. lapsæ* lib. 3, cap. 19., Quesnellius prop. 44. et seq. distincte negarunt: immo vero negavit ante illos Joannes Hus, sicuti constat ex illius prop. 16. proscripta a Patribus Constantiensibus. Hoc falsum doctrinæ caput primo loco refutabimus, quia est fons, atque principium ceterorum, quæ potea refellemus.

Illud nunc advertimus: nullo modo supponi, vel ut melius dicam, confingi posse, medium quemdam statum hominis, in quo neque amicus, neque inimicus Dei ipse sit, hoc est, neque laudabilem caritatem, neque vitiosam cupiditatem habeat; sed per hoc quod vel laudabilem caritatem, vel vitiosam cupiditatem habeat, duci illum semper debere in suis actionibus vel amore Dei, vel vitiosa cupiditate, quoadusque in illo, vel in ista habitualiter perstiterit, hoc sane esse quod negamus, et falsitatem hujusmodi suppositionis modo detegemus.

Quia vero infra sumus ostensuri, grave peccatum a levi differre, atque istud esse posse, atque revera quandoque esse in homine habitualiter justo, habitualique caritate prædito; ideo nunc ea de vitiosa cupiditate disputare instituimus, que opponitur caritati, atque ostendemus hominem eadem irretitum non semper secundum illam agere. Hic ergo nomine vitiosæ cupiditatis eam in-

telligimus; quæ est tam in habituali peccatore, quam in Ethnico singulariter propter infidelitatem: tum iste, tum ille vitiosa cupiditate semper duceretur, si quod ageret; eidem conforme esset vel secundum se spectatum, vel secundum circumstantias, vel secundum proximum finem, aut inde semper actu peccaret, quia opera sua semper in Deum, uti ultimum finem, non referret. Hac tota de re duabus nunc propositionibus.

Prop. I. Qui est irretitus vitiosa cupiditate, quandoque agere potest, atque revera agit, quod secundum nullam sui rationem est conforme vitiosæ cupiditati.

Prob. prop. Christus *Matt.* cap. 5. 46. et seq. ait: *Si enim diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? nonne et publicani hoc faciunt? Et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis; nonne et Ethnici hoc faciunt?* Profecto intus diligere eos, qui nos diligunt, et nostris fratribus signa dilectionis exhibere, est sane res virtuosa, quam Christus commendat in publicanis, et ethnicis recta fide, atque caritate destitutis, Apostolus *Rom.* 2. 14. et seq. affirmat, gentes, quæ legem non habent, naturaliter facere ea, quæ sunt legis, quia ipsi sunt sibi lex, indeque ostendere, se habere opus legis scriptum in cordibus suis, suamque conscientiam sibi perhibere testimonium. Ex his autem duo colliguntur: prius est, gentes contra ac eorum cupiditas vitiosa ferebat, ea fecisse, quæ sunt legis, et quidem rectæ, justæque legis: alterum; fecisse id omne ductas hujusmodi principio, quod et vitiosæ concupiscentiæ adversabatur, et rectæ conscientiæ consonum erat. Est ergo manifestum ex Sacris litteris, hominem in suis actionibus eum finem sibi proponere posse, et aliquando revera proponere, qui suæ vitiosæ cupiditati non solum non est conformis, sed etiam adversatur.

S. Augustinus lib. *De Spir. et litt.* num. 48. expendens citata Apostoli verba animadvertit plura, quæ in rem nostram faciunt: 1. in infidelibus talia nos facta novisse, quæ secundum justitiæ regulam *merito, recteque laudamus*: 2. quia non usque adeo *in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde merito dici etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere*: 3. hæc, quæ faciunt, nihil quidem illis ad salutem æternam prodesse, tamen mitius esse puniendos, quia ea servando, quæ sunt legis, minus peccaverunt.

Verum totius hujusce rei intima principia ab Angelico tradita expendamus. Peccatum mortale, sicuti ipse advertit 2. 2. quæst. 10. art. 4. gratiam gratum facientem omnino quidem tollit, attamen naturæ bonum prorsus non corrumpit. Nam nomine boni naturæ, (a) quod minuitur propter peccatum, intelligitur incli-

(a) S. Thomas 1. 2. quæst. 85. art. 1. et 2.

natio naturalis ad virtutem, quæ homini convenit, prout est rationalis: inde enim habet, ut secundum rationem. ac propterea secundum virtutem operetur. At propter peccatum non fit, ut homo desinat esse rationalis: unde propter illud minuitur quidem inclinatio ad virtutem, attamen non ipsius principii, sed termini habita ratione, quatenus ponitur impedimentum, ne inclinatio ad virtutem suum terminum, qui est bonum virtutis, assequatur. Hoc autem impedimentum, licet propter alia atque alia peccata semper augeatur: tamen principium intrinsecum inclinationis ad virtutem semper manet, indeque potest producere suos effectus. Quapropter, sicuti addit idem Angelicus 2. 2. quæst. 10. artic. 5. " Quum infidelitas sit quoddam peccatum mortale, infide„ les quidem gratia carent, remanet tamen in eis aliquod bonum „ naturæ. Unde manifestum est, quod infideles non possunt ope„ rari bona opera, quæ sint ex gratia, scilicet opera meritoria; „ tamen bona opera, ad quæ sufficit bonum naturæ, aliquater ope„ rari possunt. Unde non oportet, ut in omni opere suo pec„ cent.

At quum virtus dicat ordinem ad bonum, videamus, utrum in infideli, vel peccatore possit esse virtus, qua bonum aliquod operetur. " Fides (inquit Angelicus in II. *Sent.* dist. 41. quæst. 1. „ art. 2. ad 2.) dirigit intentionem in finem ultimum; sed ratio „ naturalis, vel prudentia potest dirigere in aliquem finem pro„ ximum, et quia ille finis proximus est ordinabilis in finem ul„ timum, etiamsi actu non ordinetur; ideo in infidelibus, quorum „ actus per vim rationis in talem finem diriguntur, possunt ali„ qui actus esse boni, sed deficientes a perfecta bonitate, secun„ dum quam actus est meritorius." Unde 2. 2. quæst. 23. art. 7. „ advertit, aliam esse virtutem, quæ respicit primum, præcipuumque bonum hominis, quæque sine caritate haberi non potest; aliam vero, quæ respicit singulare bonum. Hoc autem bonum singulare, si non sit verum bonum, tunc ipsa virtus non erit virtus vera, sed habebit quamdam similitudinem virtutis, sicuti in avaris non est virtus vera illa prudentia, qua camulandi pecunias nullam rationem prætereunt." Si vero (superaddit Angelicus) illud bonum „ particulare sit verum bonum, puta conservatio civitatis, vel „ aliquid hujusmodi, erit quidem vera virtus, sed imperfecta, ni„ si referatur ad finale, et perfectum bonum."

Tandem, ut alias rationes a D. Thoma inculcatas in suis operibus nunc omittamus, cum ipso 2. 2. quæst. 23. art. 6. ad 1. advertimus, " Quod actus alicujus caritate carentis potest esse du„ plex: unus quidem secundum hoc, quod caritate caret, utpo„ te quum facit aliquid in ordine ad id, per quod caret caritate: „ et talis actus semper est malus :... alius autem potest esse actus „ caritate carentis non secundum id, quod caritate caret, sed se„ cundum quod habet aliquod aliud bonum Dei, vel fidem, vel

„ spem, vel etiam naturæ bonum, quod non totum per peccatum „ tollitur. Et secundum hoc sine caritate potest quidem esse aliquis „ actus bonus ex suo genere, non tamen perfecte bonus, quia deest „ debita ordinatio ad ultimum finem." Ex his autem omnibus unicuique perspectum esse arbitror, eum, qui est irretitus vitiosa cupiditate, agere posse etiam non conformiter ad hujusmodi cupiditatem, et quandoque revera agere.

Dices: I. Omnem arborem bonam facere fructus bonos, malam vero malos, immo arborem bonam non posse facere fructus malos, neque malam fructus bonos, Christus *Matt.* 7. 17. et seq. distincte pronuntiavit. Apostolus *Roman.* 14. 23. ait: *Quod non est ex fide, peccatum est.* II. *Corint.* 3. 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est,* et ad *Philip.* 2. 13. *Deus est, qui operatur in nobis velle, et perficere pro bona voluntate.* Joannes ep. 1. cap. 2. 15. *nolite,* inquit, *diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est caritas Patris in eo: Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Ex his vero constat, nihil medium esse posse inter laudabilem caritatem, et vitiosam cupiditatem.

R. ex his omnibus nihil minus colligi posse, quam quod nos modo contendimus. Christus citato loco monuit omnes, ut sibi caverent a falsis prophetis, qui licet deferrent vestimenta ovium, erant intrinsecus lupi rapaces. Quoniam vero solus Deus corda hominum scrutatur; ideo superaddit, illos a nobis cognosci posse ex eorum fructibus, quia arbor mala malos, bona autem bonos fructus facit. Unde loquitur Christus de iis, qui ducti nequitia sui cordis operantur. Hoc autem contra nos nullo modo facit.

Apostolus *Roman.* cap. 14. illud primo loco statuit, absque immunditia omnia posse manducari, post nonnulla vero alia superaddit: *Qui autem discernit,* videlicet inter cibos mundos, et immundos, putans quidem illos posse manducari, non vero istos, et tamen manducaverit etiam istos, cum esse damnatum, quia *non ex fide: omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.* Quare, sicut advertit S. Thomas lect. 3. in cap. 14. epist. ad *Romanos,* hoc in loco fides potest accipi dupliciter, uno modo quatenus est virtus, alio quatenus sub nomine fidei venit conscientia: "Et hæ „ duæ acceptiones (inquit) non differunt nisi secundum differen„ tiam particularis, et universalis. Id enim quod universaliter fide „ tenemus, puta usum ciborum esse licitum, vel illicitum, cons„ cientia applicat ad opus factum, vel faciendum. Dicitur ergo, ideo „ eum, qui discernit, et manducat, esse condemnatum, quia hoc „ non est ex fide, immo est contra fidem, id est, contra veritatem „ fidei, et contra conscientiam facientis." Augustinus autem illud Apostoli omne, quod non est ex fide, peccatum est, refert qui-

dem lib, *De Continent.* num. 26. ad virtutem fidei, at eo sensu, ut nulla sit vera, et perfecta virtus sine fide. Unde lib. 4. *Cont. Julianum.* num. 17. "Sed absit (inquit), ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus: absit autem, ut sit justus vere, nisi vivat ex fide. Justus enim ex fide vivit." Virtus autem perfecta, cujus exercitatio conducat ad vitam æternam, dari non potest sine recta fide in Deum.

Alia duo loca desumpta et II. epist. ad *Cor.* et altera ad *Philip.* hoc unum probant, opera bona ex officio, atque objecto non fieri sine motione, et concursu Dei conditoris naturæ. S. Augustinus epist. alias 144., nunc 130. num, 2. narrat quemdam Polemonem hominem gentilem, suadente Xenocrate, vitium ebrietatis exuisse, simulque quærit, qua id virtute contigerit: ita vero respondet: "Quamquam ergo ille non Deo fuerit aequisitus, sed tantum a dominatu luxuriæ liberatus; tamen ne id ipsum quidem, quod melius in eo factum est, humano operi tribuerim, sed divino. Ipsius namque corporis, quod est infimum bonum, si qua bona sunt, sicut forma, et vires, et salus, et si quid hujusmodi est, non sunt nisi ex Deo creatore, et perfectore naturæ: quanto magis animi bona alius nullus donare potest."

S. Ioannes illis verbis monet omnes fideles, ne diligant mundum, et ea, quæ sunt in mundo, hoc est, ne inordinato affectu erga illa ferantur, et contra eam rationem, quam Deus constituit. Opes, resque inanes, quæ spectant ad concupiscentiam oculorum, delectationes, et voluntates, quæ dicuntur concupiscentia carnis, dignitates, gloria, et honores, quæ inducunt superbiam vitæ, sunt media, quibus mundus ad se nos facile pertrahit. Omnia ista in se vitium habent, propterea que Apostolus monet, quod est in mundo, esse concupiscentiam tum carnis, tum oculorum, et superbiam vitæ. Hic autem nos iis de operibus loquimur, quæ nullum in se vitium habent, aut nos ad malum non pertrahunt.

Dices II. cum Jansenio lib. 3. *De Statu Nat. lapsæ* cap. 19. non omnia tamen, quæ ipse hoc in loco ex Augustino promit, in medium afferemus, sed præcipua. S. Augustinus lib. 9. *De Trinit.* cap. 7. statuit, unumquemque facere, quod prius dixit in corde suo: hoc autem verbum concipi *amore sive creaturæ, sive creatoris... ergo aut cupiditate, aut caritate.* Lib. 8. *De Trinit.* cap. 7. inquirit, *quid sit vera dilectio, immo vero quid dilectio:* eam autem in hoc reponit, *ut inhærentes veritati juste vivamus.* Nihil ergo medium ponit Augustinus inter caritatem, et cupiditatem.

R. S. Augustinus lib. 9. *De Trinit.* cap. 8. num. 13. loqui de amore, qui versatur circa objectum, in quo ratio finis ultimi reponitur, indeque, postquam dixit, verbum concipi amore sive creatoris, sive creaturæ, inde intulit, aut cupiditate, aut caritate: cupiditate quidem si in creatura, caritate vero, si finis ultimus ponatur in Deo. Unde superaddit: *Non quo non sit amanda creatu-*

ra; sed si ad creatorem referatur ille amor, non jam cupiditas, sed caritas est. Tunc enim est cupiditas, quum propter se amatur creatura. Quæ autem nos opera peccatorum, et infidelium peccata esse negamus, ad illum ultimum finem non referuntur, quem respicit vitiosa cupiditas, sed habent in se quamdam rationem virtutis imperfectæ propter finem proximum, quem respiciunt, aliundeque ad malum ultimum finem mala cupiditate non referuntur.

Lib. 8. *De Trinit.* cap, 7. num. 10. loquitur S. Doctor de dilectione proximi perfecta, atque supernaturali: unde postquam dixit: *Hæc est autem vera dilectio, ut inhærentes veritati juste vivamus*, statim superaddit: *Et ideo contemnamus omnia mortalia præ amore hominum, quo volumus, eos juste vivere. Ita enim et mori pro fratribus utiliter parati esse poterimus, quod nos Dominus Jesus Christus exemplo suo docuit.* Profecto qui vitiosa cupiditate detenti diligunt alios, non habent dilectionem hujus generis: attamen in ipsa dilectione illorum nihil vitii continetur, semel ac secundum rectam rationem ad alios diligendos ipsa honestate morali ducantur, et quem finem, duce ratione, respicit moralis honestas, ipsi quoque uti finem proximum respiciant.

Instat Jansenius. S. Augustinus lib. 2. *De Peccat. merit. et remiss.* cap. 18. hæc habet: *Quamquam voluntas mirum si potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit: aut enim justitiam diligimus, et bona est.... aut si omnino non diligimus, mala est.* Hinc apud S. Augustinum lib. *De Grat. Christi* cap. 21. definitio bonæ voluntatis, ab eodem alibi sæpe repetita, *quod non aliud sit bona voluntas, quam caritas.* Et in lib. 14. *De Civit. Dei* cap. 7. ait: *recta voluntas est bonus amor, voluntas perversa malus amor.* Hinc apud illum occurrit frequens comparatio arboris bonæ, quæ facit bonos fructus, cum bona voluntate, et arboris malæ, quæ facit fructus malos, cum mala voluntate. Et in lib. *De Grat. Christi* cap. 20. ait, quod *non solum homo potest habere caritatem, qua sit arbor bona, sed potest etiam cupiditatem, qua sit arbor mala.* Ex his autem semper magis constat, eum, qui est irretitus vitiosa cupiditate, nihil boni agere posse.

At vero S. Augustinus lib. 2. *De peccat. merit., et remiss.* cap. 18 num 29. refellit Pelagianos effutientes, bonam voluntatem esse a Deo, dici inde posse, quia bona voluntas non esset in homine, si ipse homo non esset; ut autem homo sit, a Deo habet: iis autem contra reposuit S. Augustinus, ex illorum principio consequi, ut etiam mala voluntas esset a Deo: *Quia nec ipsa esse posset in homine, nisi homo esset, in quo esset: ut autem homo sit, Deus auctor est.* Postquam ergo ostendit num. 30. bonam voluntatem esse a Deo, hæc superaddit: *Quam-*

quam voluntas mirum si potest in medio consistere, ut nec bona, nec mala sit. Aut enim justitiam diligimus, et bona est; et si magis diligimus, magis bona, sin minus, minus bona est: aut si omnino non diligimus, non bona est; qui autem est vitiosa cupiditate detentus, dum ob rectum finem proximum id agit, quod spectatum in se, et secundum circumstantias rectum est, aliquo modo justitiam diligit, videlicet eam, quæ juxta moralia principia rectæ rationis est digna laude, licet non sit digna æterno præmio. Non facit ergo contra nos, quod Jansenius ex citato Augustini loco in medium producit.

Sed neque etiam facit, quod ipse commemorat desumptum ex lib. *De Grat. Christi* cap. 21. num. 2., et ex lib. 14. *De Civit. Dei* cap. 7. num. 2. Ex iis enim colligitur, nullum dari statum medium, in quo quis neque laudabilem caritatem, neque vitiosam cupiditatem habeat, quia bona voluntas nihil aliud est, quam caritas, et si voluntas bona sit, bonus est amor, si perversa, malus est amor, sicut inquit S. Augustinus, atque etiam per se constat, quia voluntas malo habituali amore ducitur, semel ac prava cupiditate detineatur; recto vero amore, si laudabilem caritatem habeat. Nullum ergo talem medium statum dari posse, uti rem certam hujus libri initio præmisimus. Hoc sane est, de quo nunc disputamus, videlicet, utrum ille, qui laborat vitiosa cupiditate, præter eam aliquando agere possit, et revera agat, atque id operetur, quod juxta moralia principia rectæ rationis in se spectatum, et secundum circumstantias, proximumque finem rectum est. Posse autem tale quid agere illum, qui est irretitus vitiosa cupiditate, iis principiis S. Augustini, et Thomæ jam comprobavimus; quibus nemo non assentiri debet, semel ac non velit, hominem privari ratione propter vitiosam cupiditatem. Quare statum medium inter vitiosam cupiditatem, et laudabilem caritatem neque admittimus, nec ab aliquo admitti posse tuemur, actionem vero mediam, quæ neque a vitiosa cupiditate, neque a ladabili caritate sit, admittimus, atque revera admittendam esse tuemur. Quia hujusmodi actio non est a vitiosa cupiditate, nullam peccati rationem in se habet, moralemque honestatem habet naturalis ordinis; quia non est a laudabili caritate, nihil in se habet meriti supernaturalis.

Pluribus sane in locis comparationem instituit S. Augustinus inter arborem bonam, et voluntatem bonam, sicuti inter arborem malam, et voluntatem malam, recteque inde infert, a mala voluntate proficisci, quod est malum: a bona enim illud proficisci non potest; et a bona, quod est bonum; quum repugnet, ut a mala proficiscatur, sicut arbor mala malos fructus facit, bona bonos. Verum quid ista ad nos? Utique si voluntate, quatenus est mala, operamur, male ope-

ramur, si quatenus bona, bene operamur, et nonnisi bene operari possumus, si secundum bonam voluntatem, sicut nonnisi male si secundum malam operemur, quemadmodum arbor mala, quatenus mala, nonnisi malos; et bona, quatenus bona, nonnisi bonos fructus producit. At vero quando ii, qui sunt irretiti vitiosa cupiditate, id agunt, quod spectatum tam in se, quam secundum circumstantias, proximumque finem est rectum, non agunt profecto secundum vitiosam cupiditatem, sicut etiam non agunt secundum laudabilem caritatem, quando ea præditi agunt præter præcepta legis, et Deum leviter offendunt. Esse in homine, qui detinetur vitiosa cupiditate, principia intrinseca, quibus aliquando non secundum vitiosam cupiditatem agere possit, et quandoque revera agat, non est, cur nunc repetamus. Quare paritas inter arborem malam et voluntatem malam in hoc posita est, ut sicut fructus mali nonnisi a mala arbore proveniunt; ita etiam mala opera nonnisi a voluntate mala: ceterum arbor mala, quæ necessitate naturæ operatur, semper malos fructus producit, secus autem voluntas mala, quæ non agit necesitate naturæ, sed lumine rationis semper regitur. Hinc S. Augustinus lib. *De Spir. et litt.* num. 48. *Sicut enim* (inquit) *non impediunt a vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.*

Quando autem Patres, sicuti S. Augustinus lib. 14. *De Civit. Dei* cap. 28., S. Leo Magnus Serm. 3. *De Jejun. septimi mens.* cap. 3., S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 18., S. Gregorius M. lib. 18. *Moral.* cap. 9., et alii tradunt, duos tantum amores distingui debere unum terrenum usque ad contemptum Dei, alterum cælestem usque ad contemptum sui, propterea que hominem delectari aut *infimis*, aut *summis*; duas tantum civitates admittendas esse, videlicet, Babylonem, et Jerusalem, pugnant contra Pelagianos propugnantes quemdam statum hominum in hac vita medium inter peccatum et justitiam, mediam quamdam beatitudinem inter beatitudinem æternam, et pœnas æternas, ideoque mediam civitatem inter Babylonem, et Jerusalem. Hos sane errores Patres refutarunt, et præ ceteris refutavit Augustinus, sicut ostendit De Rubeis in *Tract. Theol. de carit.* cap. 56. et 58. quando asseruere, duos tantum amores distingui debere, hominem delectari aut infimis, aut summis, nullam inter Babylonem et Jerusalem mediam esse civitatem.

Hæc ergo, et alia similia, quæ urgent Patres contra Pelagianos, immerito sane, ac præter omnem rationem, et pro se, et contra nos Jansenistæ in medium adducunt, quum ad rem nostram, de qua agimus, nullo modo faciant, aut facere pos-

sint. Neque enim nunc disputatur, utrum medius quidam status hominis dari possit inter gratiam, et pecatum, inter æternam beatitudinem, et damnationem, sed utrum qui tenetur vitiosa cupiditate, est in statu peccati, civis Babylonis, atque finem ultimum ponit in rebus creatis, non in Deo, aliquando id agere possit, et revera agat, quod, licet beatitudinem æternam nullo modo mereatur, tamen quia neque ex vitiosa cupiditate proficiscitur, neque in rem creatam uti in ultimum finem refertur, neque secundum circumstantias, aut proximum finem moralibus principiis rectæ rationis adversatur, peccatum nullo modo dici possit, proptereaque sit rectum, licet imperfecte, quemadmodum jam explicavimus.

Prop. II. Propter vitiosam cupiditatem non fit, ut homo in quibuscumque suis operibus semper peccet ob deficientiam relationis illorum in Deum.

Prob. prop. Est jam ostensum a nobis, præceptum relationis operum in Deum esse affirmativum, indeque obligare semper, sed non pro semper, hoc est, quovis loco, et tempore: tamen non secus ac alia affirmativa præcepta, etiam præcepti negativi, quod obligat ad semper, rationem in se continet, quatenus eodem simul prohibetur id omne, quod ipsi adversatur: sicuti etiam affirmativo præcepto dilectionis Dei, quatenus includit negativum, id omne prohibetur, quod illi oponitur. Quibus positis, ita: præceptum relationis operum in Deum non aliter, ac præceptum dilectionis Dei, non obligat ad semper, seu quovis loco, et tempore: ergo si non impleatur eo loco et tempore, quo non obligat, tunc nulla fit transgressio præcepti ergo etiam ille, qui est irretitus vitiosa cupiditate, non peccat contra hujusmodi præceptum, semel ac illud non impleat eo loco, et tempore, quo non obligat: ergo ipse quoque, licet vitiosa cupiditate irretitus, quovis loco, et tempore non agit contra illud: ergo propter vitiosam cupiditatem non fit, ut homo semper peccet in quibuscumque suis operibus ob deficientiam relationis illorum in Deum. Si ergo ratio habeatur præcepti relationis operum in Deum, quatenus est affirmativum, etiam homo detentus vitiosa cupiditate contra illud non peccat quovis loco, et tempore.

Sed neque etiam peccat quovis loco, et tempore, quatenus idem præceptum includit negativum. Nam, qui est irretitus vitiosa cupiditate, quandoque agere potest, atque revera agit, quod secundum nullam rationem sui, hoc est, quod spectatum tum in se, tum secundum circumstantias, et proximum finem, non est conforme vitiosæ cupiditati, immo illi adversatur, sicuti in priori propositione jam ostendimus: sed quod tale est, neque opponitur, neque opponi potest præcepto relationis operum in Deum, quatenus illud est negativum, proptereaque prohibet,

quod est in se malum, sibique adversatur: ergo, qui est detentus vitiosa cupiditate, quandoque agere potest, atque revera id agit, quod præcepto relationis operum in Deum, etiam quatenus consideratur illud uti negativum, nullo modo opponitur: ergo pro semper, seu quovis loco, et tempore contra præceptum relationis operum in Deum, etiam quatenus illud consideratur uti negativum, is sane non peccat, qui est vitiosa cupiditate detentus. Semper ergo magis magisque constat, contra præceptum relationis operum in Deum non semper peccare illum, qui est detentus vitiosa cupiditate.

Dices. *Joan.* 15. 4. ait Christus: „Sicut palmes non potest „ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite; ita et vos ni„si in me manseritis." Non manet profecto in Deo, qui dum agit, sua intentione ad Deum nullo modo tendit, aliundeque habitu est aversus a Deo · ergo.

Hinc S. Augustinus lib. 19. *De Civitat. Dei* cap. 25. *Proinde* (inquit) *virtutes, quas* (humana mens) *sibi habere videtur, per quas imperat corpori, et vitiis ad quodlibet adipiscendum, vel tenendum, nisi ad Deum retulerit, etiam ipsæ vitia sunt potius, quam virtutes.* Ad rationem ergo virtutis relatio in Deum semper requiritur.

S. Thomas in II. *Sent.* dist. 40. quæst. 1. art. 5. ad 7. ait: „Si autem intelligatur affirmative (scilicet illud: *Omnia in glo„riam Dei facite*) hoc potest esse dupliciter, aut ita quod ac„tualis relatio in Deum sit conjuncta actioni nostræ cuilibet, non „quidem in actu, sed in virtute, secundum quod virtus primæ „ordinationis cadit in omnibus actionibus sequentibus.... et sic „adhuc præceptum est, et contingit, omissionem ejus esse ve„nialem, vel mortalem sicut dictum est." Relatio autem virtualis non potest in illo esse, qui est vitiosa cupiditate detentus.

R. Christum hoc loci loqui de fructibus, qui producuntur ab illis, qui in eo manent, ac propterea de fructibus, quibu vita æterna comparatur. Inter hos autem fructus opera, de quibus modo loquimur, locum non habent, neque possunt habere

S. Augustinus in cit. loco illud ostendere sibi proponit: *Quod non possint ibi veræ esse virtutes, ubi non est vera religio.* Iis ergo de virtutibus loquitur, quæ conducunt ad vitam æternam. Unde post citata, verba statim superaddit: *Nam licet a quibusdam tunc veræ, et honestæ putentur esse virtutes, quum ad seipsas referuntur, nec propter aliud expetuntur: etiam tunc inflatæ, et superbæ sunt, et ideo non virtutes, sed vitia judicanda sunt. Sicut enim non est a carne, sed super carnem, quod facit vivere; sic non est ab homine, sed super hominem, quod facit beate vivere.* Virtutes igitur, quæ non

referuntur ad Deum, dici non posse veras virtutes S. Augustinus putavit recteque putavit. Eas autem dixit esse inflatas, et superbas, propterea que vitia dici debere, tamen semel ad se ipsas referantur, hoc est, in eis finis ultimi ratio ponatur: tunc enim quæ in se spectatæ erant virtutes, evadunt vitia. Verum quid hac in re senserit Augustinus, et in præcedenti propositione jam ostendimus, et infra data opera ostendemus.

In eo autem, qui detinetur vitiosa cupiditate, virtualis relatio in Deum præsupponi non potest, quum illam actu non habuerit, quando præceptum urgebat. Verum omissio relationis virtualis non est peccatum distinctum ab illo, quod commisit, quando, instante præcepto relationis in Deum, suum opus in Deum actu non retulit. „Dicendum (ita S. Thomas in II. *Sentent.* „dist. 41. quæst. 1. art. 2. ad 4.) quod non obligamur ad „hoc, quod quilibet actus actu dirigatur in finem illum, in „quem non potest nisi fides dirigere: quia præcepta affirmativa „non obligant ad semper, quamvis semper obligent; et ideo „non oportet, ut actus infidelium, qui in finem illum non est „ordinatus, semper sit peccatum, sed solum pro tempore illo, „in quo tenetur actum suum in finem ultimum referre."

CAPUT SECUNDUM.

De ea virtute, quæ potest esse etiam in illis, qui detinentur vitiosa cupiditate.

Ea est natura virtutis, ut ad bonum referatur: finis autem rationem boni singulariter habet. Quare sicuti duplex est finis, ita etiam bonum est duplex, videlicet, ultimum, atque universale, et proximum, ac particulare. Ultimum, et universale bonum, ad quod tendimus per caritatem, est frui Deo: bonum autem proximum, et particulare hominis potest esse duplex: unum quidem vere bonum, quatenus spectatum in se ad universale, et ultimum bonum, quod est Deus, referri potest; alterum apparens, quod abducit ab ultimo bono.

Quare etiam virtutes, quæ natura sui ordinantur ab bonum, aliæ sunt veræ, perfectæque virtutes, aliæ aliquo modo veræ, sed imperfectæ, aliæ apparentes, quæ exterius tantum exhibent quamdam speciem virtutis. Virtus vera, atque perfecta respicit universale, et ultimum bonum, quod est Deus, eaque sine caritate non potest haberi: virtus aliquo modo vera, sed imperfecta respicit bonum particulare, quod ex natura sui in bonum universale, et ultimum referri potest: virtus apparens ea est,

quæ tendit ab bonum falsum, quod abducit ab ultimo vero bono (a).

Nomine falsi boni hic non intelligimus, quod est secundum se vitiosum, sed illud, quod licet spectatum in se ad rectum finem referri possit, tamen ab operante non refertur, sed ad pravum. Hinc si ethnicus subveniat indigenti in cultum falsi numinis, peccator vero ut illum secum pertrahat ad malum, in opere, quod spectatum in se est bonum, uterque peccat.

Veræ, perfectæque virtutes non possunt esse in homine vitiosa cupiditate detento, quum præsupponant fidem, spem, atque caritatem: quod ergo nunc disputatur, hoc unum est, utrum virtutes imperfectæ, quæ respiciunt bonum particulare in se rectum, et nullo pravo fine vitiatum, in hujusmodi homine esse possint, et quandoque revera sint.

Prop. Virtus imperfecta esse potest, et quandoque revera est in homine vitiosa cupiditate detento.

Prob. prop. D. Thomas in II. *Senten.* dist. 41. quæst. 1. art. 2. postquam tradidit, in actibus infidelium esse non posse illam bonitatem, qua fiant meritorii, affirmat, in eis: *Remanere tamen bonitatem aliam vel virtutis politicæ, vel ex circumstantia, vel ex objecto, et ideo non oportere, quod omnis eorum actus sit malus, sed solum quod sit deficientis bonitatis.* Et 2. 2. quæst. 23. art. 7. inquit: „Si accipiatur virtus secundum quod est in ordine ad aliquem finem particularem; sic potest aliqua virtus dici sine caritate, in quantum ordinatur ad aliquod bonum particulare. Sed si illud particulare bonum non sit verum bonum, sed apparens, virtus etiam, quæ est in ordine ad hoc bonum, non erit vera virtus, sed falsa similitudo virtutis.... Si vero illud bonum particulare sit verum bonum, puta conservatio civitatis, vel aliquid hujusmodi, erit quidem vera virtus, sed imperfecta, nisi referatur ad finale, et perfectum bonum." Unde quæst 14. *De Verit.* art. 14 distinguit duplex bonum; unum, quod est proportionatum naturæ humanæ; alterum, quod illam excedit, et est supernaturale. „Et hæc duo bona (inquit), si de actibus loquamur, non differunt secundum substantiam actus, sed secundum modum agendi. Utpote iste actus, qui est dare eleemosynam: est bonum proportionatum viribus humanis, secundum quod ex naturali dilectione, vel benignitate homo ad hoc movetur: excedit autem humanæ naturæ facultatem secundum quod ad id inducitur ex caritate, quæ mentem hominis Deo unit. Ad hoc ergo bonum, quod est supra naturam humanam, constat non pose liberum arbitrium sine gratia.... Illud autem bonum, quod est naturæ humanæ propor-

(a) Vid. S. Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 4. et quæst. 23. art. 7.

„ tionatum, potest homo per liberum arbitrium explere." Quare 2. 2. quæst. 23. art. 7. ad 1. recte animadvertit, quod „Ac- „ tus alicujus caritate carentis potest ese duplex: unus quidem „ secundum hoc, quod caritate caret, utpote quum facit ali- „ quid in ordine ad id, per quod caritate caret, et talis actus „ semper est malus....: alius autem potest esse actus caritate „ carentis non secundum id, quod caritate caret, sed secun- „ dum quod habet aliquod aliud donum Dei, vel fidem, vel „ spem, vel etiam naturæ bonum, quod non totum per pecca- „ tum tollitur.... Et secundum hoc potest quidem sine caritate „ esse aliquis actus bonus ex suo genere, non tamen perfecte „ bonus, quia deest debita ordinatio in ultimum finem."

Ex his autem omnibus non solum D. Thomæ auctoritate, sed etiam ratione de eo evidenter constare arbitramur: quod nunc volumus. Illud unum tantum advertimus, totius rei istius, singularumque partium ejus primum principium intrinsecum, quod etiam loco fundamenti ceterorum principiorum haberi debet, illud esse, quod edocti non minus auctoritate, quam ratione Ss. Præceptorum Augustini, et Thomæ hujus lib. cap. 1. prop. 1. inculcavimus.

Dices I. Cum Gregorio Ariminensi in I. dist. 1. quæst. 3. art. 2. Quamvis peccatum non mereatur præmium, sed pœnam, tamen ad illud quandoque præmium indirecte consequitur, videlicet, quando quis agit aliquid propter assequutionem alicujus finis, quem a Deo recipit. Tunc quidem finis potest dici præmium secundum intentionem operantis, non tamen respectu Dei, qui illum aliquando confert non in præmium, sed in pœnam. *Hinc* (inquit Gregorius) *Romanis gloria imperii sibi a Deo concessa dicitur merces actuum suorum apud Augustinum, non quod pro illis præmiandis data sit, sed quod ab illis pro suis actibus tamquam merces quæreretur.*

Hoc totum confirmatur ex iis, quæ habet S. Augustinus lib. 5. *De Civit. Dei* cap. 15. in quo tradit, Romanos eo modo recepisse mercedem, quo illi quoque receperunt, qui fecere aliquid boni, ut viderentur ab hominibus. Et eodem lib. cap. 13. ait: *Qui* (Romani) *causa honoris, laudis, et gloriæ consuluerunt patriæ, in qua ipsam gloriam requirebant, salutemque suam ejus saluti præponere non dubitaverunt: pro isto uno vitio, id est, pro amore laudis pecuniæ cupiditatem, ac multa alia vitia comprimentes.*

R. Illud nos a Gregorio quærere, utrum sit bonus, vel malus ille finis, de quo ipse loquitur: si bonus; a Deo est: si malus; a Deo esse non potest: rursus si bonus; non potest esse effectus peccati, et in pœnam peccati, retribui a Deo: si malus; neque etiam indirecte præmium peccati esse, dici po-

test: nam quod est malum, respectu Dei neque indirectam rationem præmii potest habere.

Nunc interpretationem illius expendamus, qua sententiam S. Augustini explicare contendit. Porro S. Doctor epist. alias 5., nunc 138. num. 17. quoad propositum nostrum de Romanis ita habet: „Quam primi Romani (rempublicam) constituerunt, au„xerunt virtutibus, etsi non habentes veram pietatem erga Deum „verum, quæ illos etiam in æternam civitatem posset salubri „religione perducere; custodientes tamen quamdam sui generis „probitatem, quæ posset terrenæ civitati constituendæ, augendæ, „conservandæque sufficere. Deus enim sic ostendit in opulen„tissimo, et præclaro regno Romanorum, quantum valerent „etiam civiles sine religione virtutes." Quibusdam igitur operibus Romanorum virtutis, probitatisque rationem tribuit Augustinus, quæ quum ad augendam terrenam civitatem contulerint, Deum inde ostendisse dicit, quantum valerent etiam civiles sine religione virtutes. Hæc neque ambigua, neque obscura sunt, sed talia, quæ neminem dubitare sinunt, sensisse Augustinum, in ethnicis fuisse virtutes, quas Deus donavit aliquo præmio.

Lib. 5. *De Civit. Dei.* cap. 15. hoc unum vult S. Doctor, quod semel ac Romanis: *Non erat Deus daturus vitam æternam.... si neque hinc eis terrenam gloriam excellentissimi imperii concederet, non redderetur merces bonis actibus eorum, id est, virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur.* Inde autem confirmat, hanc mercedem virtutibus Romanorum reddi debuisse, quia de iis, qui bene agunt, ut glorificentur ab hominibus, dixit Christus: *amen dico vobis perceperunt mercedem suam,* non quidem propter præmium, quod a Deo receperint, sicut in Romanis contigit propter virtutem illorum, sed propter delectationem inanis gloriæ.

Quando autem S. Augustinus in eodem lib. cap. 13. dicit, Romanos *pro isto uno vitio, id est, pro amore laudis pecuniæ cupiditatem, et multa alia vitia compressisse,* ad ea videtur respexisse, quæ in præcedenti cap. 12. num. 6. tradiderat, videlicet, Romanorum non omnes, vel plures fuisse tales, quales Cato commemorat apud Sallustium: nam sicuti ibidem habet S. Augustinus, *Per quosdam paucos, qui pro suo modo boni erant, magna administrabantur, atque illis toleratis, ac temperatis malis, paucorum bonorum providentia res illa crescebat.* Maximam ergo multitudinem Romanorum respexit Augustinus, quando generatim dixit, Romanos uno vitio alia vitia compressisse. Est enim vulgaris hic loquendi modus, semel ac de maxima multitudine alicujus nationis agatur. Hæc nostra explicandi ratio conformis est iis, quæ alibi S. Doctor hac de re distincte, et absque ulla ambiguitate profert, sicut jam ostendimus.

Quia vero quæ Jansenius Gregorium sequutus lib. 4. *De Natura lapsa* cap. 6. in rem istam superaddit, sunt fere eadem, ac superiora Gregorii, non est, cur illa refellamus.

Dices II. cum Jansenio. Vidit enim ipse contra se facere ea quoque, quæ tradit S. Augustinus, epist. 144., alias 130., lib. *De Patentia.* lib. *De Grat. Christi*, et lib. *De Spirit., et littera*, itaque sua interpretatione curavit eludere. Quare singula distincte expendamus.

Jansenius ergo ut evincat ab exemplo Polemonis, de quo loquitur S. Augustinus epist. 144., alias 130., nihil contra se posse colligi, 1. opponit, opus Polemonis non fuisse bonum, quia defuit in illo *circumstantia* ultimi finis. Hac vero circustantia deficiente, nullum opus posse dici bonum, conatur ostendere, pluribus S. Augustini locis in medium prolatis. Tamen ipse quoque concedit, bonum esse non occidere, non adulterari, *licet sit melius recto fine* ab iisdem abstinere: 2. Advertit, esse etiam donum Dei, ut *alicujus animus ex imperiosæ illius libidinis jugo ad continentiam reflectatur*; tamen hoc, et alia similia dona Deum non operari in Philosophis, et in Christianis peccatoribus *per illam gratiam, quæ ad opera vere, et omni ex parte bona necessaria est.* Claris. Norisius in *Vind. August.* cap. 3. §. 4. continentiam Polemonis philosophi *Divinæ gratiæ* deputandam esse, colligit ex verbis S. Augustini, atque ex eo animadvertendum monet, *actus bonos infidelium ex Divina gratia derivatos ex subsequuta prava operum circumstantia ut plurimum vitiari, ac amittere bonitatem, quam in sua ipsorum productione ex Dei numere habebant.*

Verum primo videamus, quid tradat de Polemone S. Augustinus epist. alias 130., nunc 144. num 2. Ait ergo illum, quem Xenocrates *De fruge temperantiæ disputando, non solum ebriosum, verum etiam tunc ebrium ad mores alios repente convertit.... non Deo fuisse acquisitum, sed tantum a dominatu luxuriæ liberatum.* Statim vero superaddit, id Divino operi esse tribuendum, Divino, inquam, operi non Christi Salvatoris, sed *Dei creatoris, et perfectoris naturæ*, a quo quum sint bona corporis, multo magis bona animi ab eo solum esse possunt. Si ergo homo, qui non erat acquisitus Deo, dono ipsius Dei, tamen ut creatoris, et perfectoris naturæ, ad alios mores conversus fuit, inde consequitur, virtutem imperfectam esse posse, et quandoque revera esse in homine vitiosa cupiditate detento. Nam fructus Divini doni nonnisi virtuosus esse potest.

Quum vero jam demostraverimus, non obligare ad semper præceptum relationis nostrorum operum in Deum, non est, cur nunc refellamus Jansenium simpliciter negantem, opus Polemonis non fuisse bonum, quia relatio in ultimum finem illi

deerat. Licet enim in opere Polemonis ista deesset; tamen illud Augustinus tribuit virtuti Dei creatoris, et perfectoris naturæ.

Quod Jansenius secundo loco reponit, ipsi damus, videlicet Philosophis, et Christianis peccatoribus, dum tamen utrique in sua vitiosa cupiditate absque ullo interiori sensu mutationis obstinate perseverant, Deum hujusmodi dona non tribuere per illam gratiam, quæ ad opera vere, et omni ex parte bona necessaria est. Tribuit ea tamen, sicuti ex Augustino animadvertimus, quatenus est creator, et perfector naturæ.

Conversionem ergo Polemonis Divinæ gratiæ, quæ est donum supernaturale, tribui posse, S. Augustinus nullo modo putavit: nam postquam tradidit, Polemonem Deo acquisitum non fuisse, ita habet: *Ipsius namque corporis, quod est infimum nostrum, si qua bona sunt, sicut forma, et vires, et salus, et si quid ejusmodi est, non sunt nisi a Deo creatore, et perfectore naturæ, quanto magis animi bona nullus alius donare potest?* Sistit ergo Augustinus intra ordinem naturæ, cujus Deus est creator, atque perfector, quando agit de conversione Polemonis. Quod autem peccatores donis Dei supernaturalibus sæpe abutantur, verum est: at hoc ad rem nostram non facit. Sermo enim nunc est de homine tum ethnico, tum peccatore, quatenus uterque est supernaturali gratia Dei destitutus.

Pergit Jansenius cit. lib. 4. *De Statu nat. lapsæ* cap. 5. ea explicare, quæ in lib. *De Patient.* habet S. Augustinus de Schismatico homine, qui tormenta pertulit, ne Christum negaret. Coactus igitur auctoritate Augustini ipse quoque fatetur, patientiam schismatici fuisse donum Dei, *donum tamen, quod non necessario animi mutationem a malo ad bonum secum trahit. Hoc enim donum non fit nisi interna gratia.*

Non fit sane nisi interna gratia, attamen tali, quæ per se non trahit secum mutationem animi. Verum hoc de errore contra ipsum data opera agemus. S. Augustinus lib. *De Patient.* num. 23. quærit, quid sentiendum sit de illo, qui ab Ecclesia schismate sejunctus gravia mala patitur, potius quam Christum neget; respondet, quod *Nullo modo ista* (mala) *culpanda sunt, immo vero et hæc laudanda patientia est.* Num. 24. iterum quærit, utrum ista patentia donum Dei sit: respondet numer. 25. *Proinde sicut negandum non est: hoc esse donum Dei; ita intelligendum est, alia esse dona filiorum illius Jerusalem, quæ sursum libera est mater nostra..... alia etiam, quæ possunt accipere etiam filii concubinarum, quibus Judæi carnales, et schismatici, vel hæretici comparantur.* Si ergo laudanda mala, quæ sustinet homo Schismaticus, potius quam Christum neget, si laudanda patentia illius, si ea est donum Dei, est sane inde consequens, virtutem imperfectam etiam in homine vitiosa cupiditate detento quandoque esse.

Insistit Jansenius loco citato, atque urget, *parvi momenti* esse, quod Augustinus in lib. *De Grat. Christi* tradit de Rege Assuero: „Translatio illa cordis, (inquit ipse) quæ divina „internaque potestate facta est, non aliud fuit, quam quod „Regina poposcerat, ut scilicet Deus *transferret cor illius in „odium hostis*.... Ex quo non video, qua ratione conficiatur, „illam ejus voluntatem fuisse omni ex parte bonam: quum ni„hil aliud probet, quam id in eo factum esse, quod quotidia„na experientia in hominibus impiissimis docet fieri, ut volun„tates eorum variis fluctibus reciprocentur."

At non est sane parvi momenti, sed maximi, quod de Rege Assuero Augustinus refert. Nam cit. lib. *De Grat. Christi* num. 25. principii loco statuit, *insanire hominem*, qui putaverit, Regem Assuerum in alium jam fuisse mutatum, quando Deus *trastulit indignationem ejus in lenitatem*. Ex hoc autem infert: *Non lege, atque doctrina insonante forinsecus, sed interna, et occulta, mirabili, ac ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum non solum veras revelationes, sed bonas etiam voluntates*. Bonas, inquam, voluntates etiam in iis, qui vitiosa cupiditate detinentur, qualis erat Assuerus. Agit autem tunc Deus, uti *creator, et perfector naturæ*, quemadmodum ex Augustino jam animadvertimus, non uti supernaturalis auctor gratiæ.

Tandem cit. loco Jansenius duplici ratione contendit eludere, quod tradit S. Augustinus in lib. *De Spir. et litt.* contra errorem illius: 1. opponit, Augustinum hypothetice ponere, verba Pauli etiam de Ethnicis intelligi posse: 2. Augustinum ad eam doctrinam respicere, quam sæpe inculcat contra Julianum, videlicet in opere vere et plene bono tam officium, quam finem spectandum esse; et hac de causa aliqua opera infidelium, atque impiorum uti bona quidem habuit ex officio, non tamen ex fine, adeoque uti vera bona non habuit.

Quamvis hujus lib. cap. 1. Jansenii errorem ex hoc Augustini loco refelli jam ostenderimus, nunc tamen de eo nonnulla oportet, ut superaddamus. Quam ergo hypothesim ponit Augustinus, simul probat, atque confirmat. Hypothesis, quam ponit in cit. lib. num. 48. hæc est: verba Pauli: *Rom.* 2. 14. gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, facere, spectare potius ad illos, qui et impii sunt, et Deum veraciter non colunt: quam ad alios quos Christi gratia justificat. Ad priores spectare inde autumat, quia illorum quædam facta *vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito, recteque laudamus*. Superaddit quidem S. Doctor, si ad finem attendamus, debitam justitiæ laudem illa *vix* promereri, tamen statim advertit, quod: *Non usque adeo in anima humana ima-*

go Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint: unde merito dici possit etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere. Tandem post nonnulla alia ita colligit: *Sicut enim non impediunt a vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.* Proptereaque dicit, filios gehennæ magis minusque puniendos, prout magis minusque peccaverint. Confirmat ergo S. Augustinus suam hypothesim, atque ita quidem confirmat, ut etiam in gentibus admittat talia opera, quæ secundum justitiæ regulam merito recteque laudamus, ut supponat, eas in impietate sua facere aliqua legis, vel sapere, ut simpliciter statuat, esse in illis aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.

Quare S. Augustinus, uti in hoc loco sese explicat, bona opera infidelium ad salutem æternam nihil quidem prodesse voluit, tamen ea esse revera bona, nullo autem modo peccata, putavit indeque intulit, filios gehennæ ita esse puniendos, prout *in ipsa impietate damnabili magis alius alio minusve peccaverit.*

CAPUT TERTIUM.

De medio illo opere, quod neque a laudabili caritate, neque, a vitiosa cupiditate proficiscitur.

Hic recolenda sunt, quæ præmisimus initio capitis præcedentis: nunc autem illud animadvertimus, Pelagianos commentos fuisse medium quemdam statum hominum inter peccatum, et justitiam, quæ ducit ad æternam vitam, civitatem mediam inter Babylonem, et Jerusalem, medium quemdam ultimum finem inter rem creatam non sine peccato dilectam, et Deum cognitum lumine fidei, dilectumque super omnia amore caritatis. Contra hos errores Pelagianorum inter ceteros præcipue pugnavit S. Augustinus, sicuti etiam ex solo illius lib. 4. *Cont. Julian.* videre est. Catholica autem Ecclesia tenet, nullum dari hujusmodi medium statum, nullam mediam civitatem inter Babylonem, et Jerusalem, nullum medium ultimum finem. Quod igitur nunc disputatur a nobis, hoc est, utrum, qui in statu peccati existit, seu vitiosa cupiditate laborat, estque civis Babylonis, et non Jerusalem, ac finem ultimum non in Deo, sed in re creata constituit, quandoque agere possit, et revera agat aliqua bona opera, quæ careant

quidem fructu æternæ vitæ, tamen quia non sunt peccata, damnationem æternam non mereantur.

Prop. Qui vitiosa cupiditate laborant, quandoque agere possunt, atque revera agunt aliqua opera ex officio bona, quæ aliunde ex fine, vel circumstantiis in se nullam labem peccati continent.

Prob. prop., De cujus veritate inde constat, 1., quia dum agit homo, aliquando sibi proponere potest, et revera proponit finem non conformem suæ vitiosæ cupiditati, 2. quia non fit propter vitiosam cupiditatem ut homo semper peccare debeat, aut revera inde peccet. quia sua opera in Deum non refert: 3. quia virtus imperfecta esse potest, et revera quandoque est etiam in hominibus viliosa cupiditate affectis: quæ sane tria in duobus præcedentibus capitibus jam ostendimus. Ex his autem tribus illud per se consequi, quod modo volumus, nemo videre non debet.

Nunc autem ita. Juxta Jansenistas una, atque eadem est ratio tum laudabilis, tum vitiosæ cupiditatis, videlicet, quia inter illas nullus medius amor intercedit, homo, inquiunt ipsi, aut virtuosæ operatur propter laudabilem caritatem: aut vitiosæ propter vitiosam cupiditatem: quod sane utrumque falsum est. Nam qui est laudabili caritate præditus, aliquando præter eam agit, licet propterea in caritate esse non desinat: ergo etiam qui est vitiosa cupiditate detentus, præter eam aliquando operatur, quin tamen desinat esse in vitiosa cupiditate: ergo sicut ille agens, licet præditus laudabili caritate, levia peccata aliquando committit; ita iste agens irretitus vitiosa cupiditate, aliquando opera agit ex officio bona, quæ nullam peccati labem in se continent. Ut enim ea recolamus, quæ ex lib. S. Augustini *De Spirit et litt.* num. 48. in fine cap. præc. in medium protulimus, S. Doctor loquitur de illis operibus bonis, quibus illud unum tantum deest, ut sint relata in Deum, sicut in finem ultimum, alioquin inepte dixisset, nihil ea prodesse ad vitam æternam: per se enim constat, ad vitam æternam prodesse non posse, quæ secundum aliquam rationem sunt vitiosa: loquitur, inquam, de illis operibus, quæ nullam in se peccati rationem habent: superaddit enim, propterea futurum, ut in judicio Dei magis, minusve puniatur, prout *in ipsa impietate damnabili magis alius alio, minusve peccaverit.* S. Fulgentius *De Incarn. et Grat. Chr*, cap. 26. "Quod „si quibusdam (inquit) cognoscentibus Deum, nec tamen sicut „Deum glorificantibus cognitio illa nihil prosit ad salutem, quo„modo hi potuerent esse justi apud Deum, qui sic in suis mo„ribus, atque operibus aliquid bonitatis servant, ut ad finem „christianæ vitæ, caritatisque non referant. Quibus aliqua qui„dem bona, quæ ad societatis humanæ pertinent æquitatem, „inesse possunt, sed quia non caritate Dei fiunt, prodesse non „possunt." Docet igitur S Fulgentius, eos quoque, qui suis

moribus Deum non glorificant, aliquid servare bonitatis, quod tamen ad finem ultimum vitæ christianæ non referunt. Unde non aliter ac S. Augustinus præceptor illius loquitur de bonitate illorum operum, quibus hoc unum tantum deest, ut in Deum ultimum finem referantur: alioquin non fuisset, cur diceret, talia opera ab ipsis non referri ad finem christianæ vitæ: nam quæ aliqua etiam solummodo ex parte sunt mala, ad finem Christianæ vitæ non possunt referri; multoque minus erat, cur superadderet, ea, utpote destituta caritate, non prodesse, quamvis pertinerent ad æquitatem humanæ societatis. S. Leo Magnus. *De Quadrag. Ser.* 7. cap. 3. ita habet: "Quid hoc opere (scilicet „ caritate erga pauperes) fructuosius? quid hac humanitate fe„ licius? quæ utique laude sua fraudanda non esset, si propter „ ipsam naturæ communionem juvando homini ab homine præ„ beretur. Sed quia quod non ex fidei procedit fonte ad præ„ mia æterna non pervenit, alia est conditio operum cælestium, „ alia terrenorum." Similia tradit S. Gregorius M. Homil. 27. *in Evangel.* num. 1. Istorum autem Patrum, atque etiam aliorum doctrinam paucis expressit Angelicus 2. 2. quæst. 23. art. 1. ad 1. "Dicendum, quod actus alicujus caritate carentis potest „ esse duplex: unus quidem secundum hoc, quod caritate caret, „ utpote quum facit aliquid in ordine ad id, per quod caret ca„ ritate, et talis actus semper est malus... alius autem potest es„ se actus caritate carentis non secundum id, quod caritate ca„ ret sed secundum quod habet aliud donum Dei, vel fidem, vel „ spem, vel etiam naturæ bonum, quod non totum per pecca„ tum tollitur. Et secundum hoc sine caritate potest quidem esse „ aliquis actus bonus ex suo genere, non tamen perfecte bonus, „ quia deest debita ordinatio ad ultimum finem." Ex hisce om„ nibus aperte constat de eo, quod nunc volumus.

Jansenius lib. 2. *De Statu nat. lapsæ* cap. 16. postquam constituit, aliud esse uti rebus, aliud frui, et nos non quærere propter se id, quo utimur, quærere autem propter se illud, quo fruimur, affirmat, et cum veritate quidem affirmat, S. Augustini, et Ecclesiæ Catholicæ doctrinam esse, hominem re creata uti tantum debere, solo autem Deo frui. Id confirmat pluribus S. Augustini locis in medium prolatis. Ex his vero omnibus constare contendit, peccari a nobis, semel ac ea, quibus tantum uti possumus, in Deum, quo unice frui debemus, uti in finem ultimum non referantur, propterea que omnia opera illorum, qui vitiosa cupiditate laborant, esse peccata.

Eodem lib. cap. 25. illud inculcat auctoritate Augustini, voluntatem rationalem, quæ sine amore stare non potest, aut diligere Deum, aut diligere creata: si Deum diligat; amor illius est bonus: si creata, malus; ac propterea quum voluntas, quando agit, ab ipso suo amore ducatur, actiones illius malæ sint, oportet, si

malus est amor, quatenus fertur erga creata; bonæ autem, si bonus est amor, quatenus fertur erga Deum. Unde animadvertit, dixisse S. Augustinum lib. 14. *De Civit. Dei* cap. 28. *Fecerunt civitates duas amores duos, terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei, cælestem vero amor Dei usque ad contemptum sui.*

R. hæc duo, Quæ Jansenius tanto apparatu verborum inculcat, et locis ex S. Augustini operibus undequaque petitis confirmat, ad rem nostram non facere. De priori videamus: " Dicen„ dum (ita S. Thomas in II. *Sentent.* dist. 41. quæst. 1. art. 2.) „ quod fides dirigit intentionem in finem ultimum; sed ratio na„ turalis, vel prudentia potest dirigere in aliquem finem proxi„ mum: et quia ille finis proximus est ordinabilis in finem ulti„ mum, etiamsi actu non ordinetur; ideo in infidelibus, quorum „ actus per vim rationis in talem finem, diriguntur, possunt ali„ qui actus esse boni, sed deficientes a perfecta bonitate, se„ cundum quam actus est meritorius." Id autem quod de homine infideli dicitur, est etiam dicendum de fideli, qui vitiosa cupiditate detinetur. Quapropter quando uterque istorum agit, quod spectatum in se rectum est, et honestate virtutis ducitur ad agendum, utitur, non fruitur rebus creatis, quum in illis constituat tantum rationem proximi finis, non vero ultimi, ad quem fruitio respicere debet, rationem, inquam, proximi finis, qui in se habet, ut in ultimum referri possit. Ut autem ratio ultimi finis in re creata, ponatur, hoc sane est, quod una cum Angustino Christiana religio vetat. Quod si in ipsa honestate rationem ultimi finis ille uterque, de quo loquimur, reponeret, jam non amplius vera honestate in agendo duceretur, sed falsa, quæ rectæ rationi adversatur. Semel ac tamen non reponat rationem ultimi finis, sicut nunc supponitur, actio illorum eam semper bonitatem retinet, quam habet ex proximo fine, ideoque est expers cujusvis peccati. Nam, uti superaddit Angelicus cit. loco ad 3. "Si„ cut aliquid participat bonitatem, ita etiam Deo est acceptum. „ Et ideo actus illi enunciantur Deo accepti simpliciter, qui me„ ritorii sunt, completam bonitatem habentes. Sed tamen etiam „ actus alii, secundum quod sunt boni ex genere, vel circumstan„ tia Deo placent, non tamen sicut remunerabiles æterno præ„ mio."

Qua ratione; quove tempore obliget præceptum relationis nostrorum operum in Deum, hujus disput. lib. 1. satis abunde explicavimus, atque ostendimus, quovis loco, et tempore non obligare præceptum relationis operum in Deum, propterea que opera illorum, qui vitiosa cupiditate detinentur, ob defectum relationis eorumdem in Deum, non esse semper mala.

Veniamus ad alterum Amor profecto respicit bonum aut verum, aut apparens: est sane malus, si bonum apparens respiciat;

bonus, si verum. "Est autem duplex bonum, (inquit S. Tho-
„ mas quæst. 24. *De Verit.* art. 14.); quoddam, quod est hu-
„ manæ naturæ proportionatum; quoddam vero, quod excedit hu-
„ manæ naturæ facultatem. Et hæc duo bona, si de actibus lo-
„ quamur, non differunt secundum substantiam actus, sed se-
„ cundum modum agendi; utpote iste actus, qui est, dare elee-
„ mosinam, est bonum proportionatum viribus humanis secundum
„ quod ex naturali dilectione, vel benignitate homo ad hoc mo-
„ vetur: excedit autem humanæ naturæ facultatem secundum quod
„ ad hoc homo inducitur ex caritate, quæ mentem hominis Deo
„ unit. Ad hoc ergo bonum, quod est supra naturam hu-
„ manam, constat, liberum arbitrium non posse sine gratia:
„ quia cum per hujusmodi bonum homo vitam æternam me-
„ reatur, constat, quod sine gratia homo mereri non potest
„ Illud autem bonum, quod est naturæ humanæ proportionatum,
„ potest homo per liberum arbitrium explere." Auctoritate, atque ratione jam ostendimus, non oportere, ut ille, qui vitiosa cupiditate detinetur, semper secundum illam agat, quoniam nunquam in eo extinguuntur principia rationis, quibus ad recte agendum incitatur, aliundeque, sicuti etiam jam ostendimus, præceptum relationis nostrorum operum in Deum non obligat quovis loco, et tempore. Unde si homo, vitiosa cupiditate detentus, subveniat indigenti motus sola dilectione naturali, non meretur sane vitam æternam, attamen quod agit, si ad honestatem operis attendatur, ad culpam illi imputari non potest, sicut etiam ad culpam imputari non potest ob defectum relationis in Deum: semel ac illud præceptum non urgeat, sicut revera quandoque non urget. Tunc sane in homine, vitiosa cupiditate detento, est amor sui usque ad contemptum Dei propter ipsam vitiosam cupiditatem, estque civis Babylonis, non tamen propter opus, quod agit ductus honestate illius, quam uti finem proximum sui operis respicit. Sicuti ergo initio diximus, ad rem nostram non faciunt, quæ Jansenius ex Augustino disserente de duobus sibi oppositis amoribus in medium protulit. Uno verbo: Augustinus et ceteri Patres inde statuunt, duos tantum dari sibi invicem contrarios amores, unum mundum, alterum immundum, unum, qui ad civitatem Jerusalem, alterum, qui ducit ad civitatem Babylonis, quia duo tantum esse possunt status hominum in hac vita, videlicet, aut sunt conjuncti Deo per caritatem, aut aversi propter peccatum, et vel Babylonis, vel Jerusalem cives: ceterum quemadmodum non negant, hominem justum facere aliqua, uti sunt levia crimina, quæ ab amore mundo non profiscuntur, propter quæ tamen justi esse non desinunt; ita etiam non negant, ab homine vitiosa cupiditate irretito quædam fieri, quæ ab amore immundo non proveniant, uti sunt opera rectæ rationi consentanea, propter quæ tamen vitiosam cupiditatem non exuunt.

Quapropter ultro ego concedo nonnullis Theologis, quæ bona opera egerunt infideles, eos virtute divina egisse; attamen non gratia Dei, semel ac ipsi nomine gratiæ intelligant supernaturale donum, quemadmodnm vulgo solet intelligi Nam S. Augustinus Doctor præstantissimus, quod opere Xenocratis Polemo vitium ebrietatis exuerit, divino quidem auxilio tribuit, uti jam vidimus, epist. alias 130. nunc 144. num. 2., et quidem Dei, *creatoris, et perfectoris naturæ*, a quo quum sint, inquit, bona corporis, etiam animi bona nullus alius donare potest. Quod autem de Polemone dixit S. Augustinus, idem dicendum esse ego arbitror de aliis infidelibus respectu quorumdam bonorum operum, quæ agunt.

S. Thomas 2. 2. quæst. 136. art. 3. quærit, utrum patientia haberi possit sine gratia, atque resolvit, a caritate, quæ diligit Deum super omnia, proficisci eam patientiam, qua toleratur amissio temporalium bonorum propter bonum gratiæ, indeque colligit, patientiam haberi non posse sine auxilio gratiæ, quia caritas *non potest haberi nisi per gratiam*. Hæc in eodem art. contra sibi opponit secundo loco, videlicet "aliqui non existentes in statu gratiæ magis abhorrent mala vitiorum, quam corporalia mala: unde quidam Gentilium leguntur multa mala tolerasse, ne patriam proderent, aut aliquid inhonestum committerent; sed hoc est vere patientem esse: ergo videtur, quod patientia possit haberi sine auxilio gratiæ." Quid ad hæc S. Præceptor? Confirmiter ad doctrinam S. Augustini ait: "Dicendum, quod bonum politicæ virtutis commensuratum est naturæ humanæ; et ideo absque auxilio gratiæ gratum facientis potest voluntas humana in illud tendere, licet non absque auxilio gratiæ Dei." Quæ sane gratia, quum non sit gratum faciens, esse tantum potest Dei auctoris, et perfectoris naturæ.

CAPUT QUARTUM.

De disputatione S. Augustini de virtutibus contra Pelagianos.

Si audiantur Bajani, atque Jansenistæ, sua, et Augustini una, eademque sententia est. Nunc paucis videamus, utrum hæc res revera ita sese habeat. Quibusdam distinctis propositionibus hoc totum conficiemus.

Prop. I. Etiam in infidelibus esse virtutes *veras*, Juliani Pelagiani sententia fuit.

Prob. prop. S. Augustinus lib. 4. *Cont. Julian.* num. 16, inter alia Juliano illud objicit, quod affirmaret, infideles abundare *veris virtutibus*. Num. 17. ita contra illum: *Ac per hoc*

Christus gratis mortuus est, si homines sine fide Christi ad fidem veram, ad virtutem veram, ad justitiam veram; ad sapientiam veram, quaumque re alia, quacumque ratione perveniunt. Num. 24. *Tibi virtutes sine fide sic placent, ut eas veras prædices, eisque bonos esse homines.* Num. 48. ita eumdem urget: *Homo contentiose, virtus donatur vera per gratiam, non quæ vocatur, et non est.* In infidelibus ergo esse virtutes, Julianus contendebat, atque nomine veræ virtutis eam intelligebat, qua homo per se ad perfectionem assurgeret, non secus ac mediante gratia facit.

Prop. II. Julianus in eo quoque erravit, ut veritatem virtutum ex honestate officii solummodo repeteret.

Prob. prop. ex S. Augustino, qui lib. 4. *Cont. Julianum.* num. 19. in medium allatis iis, quæ tradebat Julianus, ita contra ipsum insurgit: "An placet tibi, ut veras virtutes avarorum esse dicamus, quum lucrorum vias prudenter excogitant, quum pro acquirenda pecunia sæva, atque aspera multa fortiter tolerant, quum varias cupiditates, quibus sumptuose vivitur, temperanter, sobrieque castigant, quum abstinent ab alieno, et de suo sæpe amissa contemnunt, quod videtur ad justitiam pertinere, ne jurgiis, et judiciis plura consumant"? In hac tota avarorum agendi ratione sese prodere prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atque justitiam, Augustinus Juliano opponit, "Si ad cognoscendum, utrum veræ sint, hoc tantummodo intuendum, quod agitur, nec causa quærenda est, cur agatur." Non solum ergo in eo Julianus erravit, ut *veras* virtutes admitteret in infidelibus, sed etiam in altero, ut veritatem virtutum ex honestate officii solummodo repeteret.

Prop. III. S. Augustinus contra Julianum propugnavit, illam tantum virtutem esse veram, quæ in Deum tendit, sicuti in ultimum finem.

Prob. prop. *Sed absit,* (inquit S. Augustinus lib. 4. *Cont. Julian.* num. 17.) *ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus. Absit autem, ut sit justus vere, nisi vivat ex fide.* Num. 19. *Si ergo ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis immortalem fides, quæ in Christo est, promittit, nihil prosunt homini virtutes; nullo modo veræ possunt esse virtutes.* Num. 48. *Homo contentiose, virtus donatur vera per gratiam, non quæ vocatur et non est. De Nupt. et concup.* lib. 1. num. 4. *Absit ergo, pudicum veraciter dici, qui non propter Deum veram fidem connubii servat uxori.* Augustinus igitur contra Julianum propugnavit, veram virtutem esse illam, quæ in Deum tendit, sicuti in ultimum finem.

Prop. IV. S. Augustinus contra Julianum propugnavit, virtutes non solum ex officio, sed etiam ex fine esse pensandas, atque contra ipsum statuit, vitia esse illas virtutes, quæ ad pravum finem referuntur.

Prob. prop. Eumdem ergo Julianum ita refellit S. Aug. lib. 4. contra eumdem num. 19. "Jam tamen cernis, ut arbitror, „ consequens esse, ut vera sit virtus, avarorum prudentia, qua „ excogitant genera lucellorum; et avarorum justitia, qua gra- „ vium damnorum metu facilius sua nonnumquam contemnunt, „ quam usurpent aliquid alienum; et avarorum temperantia, qua „ luxuriæ quoniam sumptuosa est, cohibent appetitum, soloque „ necessario victu, tegumentoque contenti sunt; et avarorum for- „ titudo, qua... cognovimus quosdam irruptione barbarica ad ea „ prodenda, quæ habebant, nullis hostium tormentis potuisse „ compelli. Ergo virtutes istæ tali fine turpes, atque deformes, „ et ideo nullo modo germanæ, veræque virtutes, tibi tamen ita „ veræ videntur, et pulchræ, ut &c." Ita vero in eamdem rem habet S. Doctor num. 21. "Noveris itaque, non officiis, sed fi- „ nibus a vitiis discernendas esse virtutes... Quum itaque facit „ homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc „ facit, propter quod facere debet, peccare convincitur. Quæ tu „ non attendens, fines ab officiis separasti, et virtutes veras of- „ cia sine finibus appellandas esse dixisti. Ex quo te tanta absur- „ ditas sequitur, ut veram cogaris appellare justitiam, etiam cu- „ jus dominam reperis avaritiam. Siquidem manus abstinere ab „ alieno, si officium cogites, potest videri esse justitiæ: sed quum „ quæritur, quare fiat, et respondetur, ne plus pecuniæ litibus „ pereat; quomodo jam hoc factum veræ poterit esse justitiæ, „ quum serviat avaritiæ"? Unde post multa alia S. Doctor ita colligit: "Quidquid autem boni fit ab hominibus, et non prop- „ ter hoc fit, propter quod fieri debere, vera sapientia præci- „ pit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum „ est." Est ergo perspicuum, S. Augustinum propugnasse contra Julianum, virtutes non solum ex officio, sed etiam ex fine esse pensandas, proptereaque illas virtutes, quæ ad pravum finem referuntur, esse vitia.

Ex his omnibus, etiam me tacente: nemo non videt, quæ S. Augustinus hac tota de re diserait contra Pelagianos, ad præsentem nostram quæstionem non facere. Nam virtutes imperfectas esse posse, et quandoque revera esse etiam in Ethnicis, indeque eos agere posse, et quandoque revera agere, quod, licet non conferat ad vitam æternam, tamen spectatum tam in se, quam secundum proximum finem, atque circumstantias est rectum et cujusvis criminis expers, hoc sane est, quod contra Bajanos, et sequaces illorum propugnamus. At vero S. Augustinus de virtute vera, atque perfecta, quæ Deum uti finem ultimum respicit, et ad vitam æternam conducit, adversus Julianum agit, eamque, contra ac ille tuebatur, in homine Ethnico esse non posse, demonstrat. Statuit deinde contra eumdem, virtutes pensandas esse non solum ex officio, sed etiam ex fine, atque il-

lud potissimum urget Juliani errore semel posito, futurum, ut prudentia, fortitudo, temperantia, et justitia, quas avari adhibent ad divitias cumulandas, essent veræ virtutes. Quia vero loquitur cum Juliano de virtutibus veris, atque perfectis, quæ ducunt ad vitam æternam, ideo affirmat, Deum earum ultimum finem esse debere. Augustini ergo ratio cum Pelagianis longe diversa est a nostra cum Bajanis, proptereaque ipsi immerito, et contra sententiam Augustini nobis opponunt, quæ tradidit S. Doctor disserens tam de virtutibus veris, atque perfectis, quam de illarum ultimo fine.

LIBER QUARTUS.

De motibus concupiscentiæ tum quatenus in hac vita iisdem subiicimur, tum quatenus propter illos non evadimus obnoxii peccato.

Quosvis motus concupiscentiæ non contingere in nobis sine peccato, tradidit tum Lutherus in prop. 3. a Leone XI. damnata, in qua affirmat, ipso fomite peccati animam, licet expertem actualis culpæ, retardari ab ingressu cælorum, tum Calvinus lib. 3. *Instit.* cap. 3. §. 12., tum Bajus prop. 50. et 75., in quibus statuit, prava desideria, et pravos motus concupiscentiæ, esse contra illud præceptum: non concupisces, licet ratio non consentiat, et homo tum illa, tum istos patiatur invitus. Baji sectator, sicut in aliis erroribus, ita in hoc quoque fuit Jansenius. Nam *De Statu nat. puræ* lib. 2. cap. 14. pro suo more Augustini auctoritate compertum esse, contendit, concupiscentiæ motus non minus tunc esse malos, quando ratio illos refrænat, quam quando, non regente ratione, in actus pravos prorumpunt: "Quæ „ omnia (inquit postquam plura loca Augustini in medium pro„ tulit) satiatissime probant, constantissime hoc sentire Augusti„ num, quod concupiscentiæ inhiantis motus non minus mali sint, „ quum eos ratio in gyrum virtutis flectit, ac regit, quam quum „ sine moderatione in immunditias relexantur. Moderatio enim „ ista non concupiscentiæ, quæ frenatur, sed virtutis frænantis „ est bonum." Modo non loquimur de motibus concupiscentiæ, uti dicitur, in abstracto, sed de motibus concupiscentiæ rationem prævenientibus, quibus obsistit ratio, statim ac illos advertit. Semel ac ratio eisdem obsistat ad culpam ipsi non imputantur, immo vero merendi occasionem præbent. Quæ autem nos reos coram Deo faciunt, hujusmodi occasionem nobis præbere nunquam possunt. Utrumque errorem in duobus capitibus refutabimus.

CAPUT PRIMUM.

De concupiscentiæ motibus, quatenus in hac vita iisdem subiicimur.

Quod in hoc utroque capite dicemus de inordinatis concupiscentiæ motibus, quæ bonum sensibile, sensibilemque delectationem respiciunt, dicendum esse statuimus etiam de motibus, qui tendunt ad bonum quodammodo spirituale, spiritualemque delectationem. Nam in hac corrupta natura in nobis insurgunt inordinati motus non solum quoad gulam, et luxuriam, sed etiam quoad cetera peccata, quæ a Theologis dici capitalia consueverunt. "Illa ergo peccata (inquit Angelicus 2. 2. quæst. Quæst. 118. art. „ 6.) dicuntur carnalia, quæ perficiuntur in delectationibus carnalibus „ illa vero dicuntur spiritualia, quæ perficiuntur in spiritualibus „ delectationibus absque carnali delectatione." Hujusmodi sunt, excepta gula, et luxuria, alia quinque peccata capitalia. Quod ergo nunc statuemus de inordinatis motibus gulæ, et luxuriæ, quæ proprie veniunt sub nomine concupiscentiæ, etiam de inordinatis motibus tendentibus ad alia quinque peccata capitalia intelligendum volumus.

Appetitus igitur; seu inordinati motus concupiscentiæ majoris gratia claritatis ita cum Scholasticis distingui debent: alii dicuntur primo primi, qui præcedunt omnem advertentiam rationis, et in appetitu sensitivo excitantur: alii secundo primi, qui non contingunt sine aliqua advertentia, atque deliberatione, licet non plena, sed imperfecta, alii demum sunt plene deliberati propter plenam advertentiam rationis. De motibus primi generis nunc disputamus.

Prop. Etiam in statu perfectionis sensualitas spiritui, et rationi non omnino subiicitur; proindeque in quocumque statu hujus vitæ subjecti sumus motibus sensualitatis.

Prob. prop. Apostolus erat homo procul dubio perfectus; tamen se subjectum esse concupiscentiæ motibus, dolens testatur in epist. ad *Roman.* 7. 14. et seqq. *Ego autem* (inquit) *carnalis sum venundatus sub peccato.* Hujus autem rei rationem statim affert dicens: *Quod enim operor, non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio.* Quomodo autem ipse faceret malum, quod non volebat, explicat his verbis: *Nunc autem jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum... invenio igitur legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet: condelector enim legi Dei*

secundum interiorem hominem. Video autem in membris meis aliam legem repugnantem legi mentis meæ, et captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. His autem explicat, quod facit, se facere invitum, sed illud fieri a peccato in se inhabitante: scilicet invitum facere, quatenus patiebatur motus pravos, qui præveniebant rationem illius, quique proficiscebantur a peccato, hoc est, a concupiscentia, proindeque dicebat, se sentire in suis membris aliam legem repugnantem legi mentis suæ, qua captivabatur legi peccati existenti in suis membris. Rem eamdem magis magisque explicat Apostolus *ad Galat.* 5. 16. et seq. his verbis: *Dico autem: spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis.* Opera deinde carnis recenset, quæ libidinis varias species complectuntur. Hinc S. Augustinus lib. 6. *Cont. Julian.* num. 60. concupiscentia, "inquit, ac„tu manet, non quidem abstrahendo, et illiciendo mentem ejus„que consensu concipiendo, et pariendo peccata, sed mala, qui„bus mens resistat, desideria commovendo. Ipse quippe motus „actus est ejus, quamvis, mente non consentiente, desit effec„tus. Inest enim homini malum, et præter istum actum, id est, „præter hunc motum, unde surgit hic motus, quem motum di„cimus desiderium." Et S. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 8. "In statu autem naturæ corruptæ (inquit) indiget homo gratia „habituali sanante naturam ad hoc, quod omnino a peccato abs„tineat, quæ quidem sanatio primo fit in præsenti vita secun„dum mentem, appetitu carnali nondum reparato. Unde Apos„tolus ad *Romanos* 7. 25. in persona hominis reparati dicit: „*Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati.*" Et in *Compendio Theolog.* cap. 18. animadvertit, semel sublata propter originale peccatum subjectione voluntatis ad Deum, consequens inde fuisse, ut etiam subjectio virium inferiorum ad rationem, et corporis ad animam tolleretur. "Unde consequutum „est (inquit), ut homo sentiret in inferiori appetitu sensibili „concupiscentiæ, iræ, et ceterarum passionum inordinatos mo„tus non secundum ordinem rationis, sed magis ei repugnantes... „Et hæc est repugnantia carnis ad spiritum, de qua loquitur Scrip„tura. Nam quia appetitus sensitivus, sicut et ceteræ sensitivæ „vires per organum corporeum operatur, ratio autem absque „aliquo organo corporeo; convenienter quod ad appetitum sen„sitivum pertinet, carni deputatur."

Quoniam hunc singulariter errorem, quem modo refutavimus argumentis ab auctoritate petitis, Beguardi confirmare non sunt ausi, quæ vero aliunde pro se in medium afferebant, sunt nullius momenti, quod utrumque constat ex Alvari Pelagii opere *De Planctu Ecclesiæ*, ad alia nunc progrediamur.

CAPUT SECUNDUM.

De iis motibus concupiscentiæ, qui non imputantur ad culpam.

Eos ipsos concupiscentiæ motus, quibus etiam justos esse subjectos in præcedenti cap. propugnavimus, ad culpam nobis non imputari, in cap. isto tuebimur contra alterum errorem, de quo mentionem modo fecimus.

Prop. Illi inordinati motus concupiscentiæ, qui rationem advertentem omnino præveniunt, nobisque invitis, excitantur, neque gravis, neque levis peccati reos faciunt, semel ac iisdem obsistamus.

Prob. prop. *Ecclesiast.* 18 30. hæc leguntur: *post concupiscentias tuas non eas.* Hac autem ratione loquendi non prohibentur motus concupiscentiæ, sed præsupponuntur, propterea que omnes monentur, non quidem ut non habeant illos, sed ut iisdem non obsequantur. Unde S. Augustinus lib. 5. *Cont. Julian.* num. 11. "*Alioquin* (inquit) *frustra dictum est: post concupiscentias* „ *tuas non eas;* si jam quisque reus est, quod tumultuantes, „ et ad mala trahere nitentes sentit eas, nec eas sequitur, si non „ eis traditur, exercens adversus eas gloriosa certamina, si vi- „ vit in gratia." Apostolus *Roman.* 6. 12. inquit: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Quæ contra Julianum ita urget S. Augustinus lib. 2. *Oper. Imperf.* cap. 226. "Nam tu dic nobis, cur non ait: „ non sit peccatum in vestro mortali corpore; sed ait: non reg- „ net? Nisi quia ista concupiscentia, quæ non potest nisi esse „ in carne mortali, in eis regnat, qui desideriis ejus ad mala „ perpetranda consentiunt, et ab ea victi pertrahuntur majori im- „ petu, quia lege prohibentur, si gratia non juvantur: in eis „ autem, qui, Deo donante, faciunt, quod præceptum est, id „ est, communotæ, atque instanti non obediunt, ... inest quidem, „ sed non regnat. Probatur autem inesse, dum concupiscuntur ma- „ la: et probatur non regnare, dum justitiæ delectatione vin- „ cente non fiunt." Et Serm. alias 6. *De Verbis Apost.*, nunc 155. num. 1. "Hoc enim peccati nomine appellat, (videlicet con- „ cupiscentiam) unde oriuntur cuncta peccata, id est, ex carna- „ li concupiscentia... Huic ergo illicitæ delectationi si resistamus „, si non consentiamus, si membra, velut arma, non ministre- „ mus, non regnat peccatum in nostro mortali corpore. Pecca- „ tum enim ante regnum perdit, et sic perit." Et lib. 1. *Oper. Imperf.* cap. 71. ita contra Julian. *Quid litigas de concupiscentia litigante, hoc est, de lege in membris, repugnante lege mentis?*

Lex peccati dicitur quia suadet peccata.„ Peccatum dicitur, quia peccato facta est, appetitque peccare. Reatus ejus regeneratione solutus est, conflictus ejus ad agonem relictus est. His autem verbis expressit S. Augustinus, quod in Concilio Tridentino sess. 5. declaratum habemus, videlicet, concupiscentiam in baptizatis relictam esse *ad agonem :* nocere non posse *non consentientibus et viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus.* Superioribus autem similia habet S. Doctor lib. 1. *De Civit Dei* cap. 25. ut alia prætereamus: *Si illa* (inquit) *concupiscentialis inobedientia, quæ adhuc in membris moribundis habitat, præter nostræ voluntatis legem, quasi lege sua, movetur; quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis ?*

Quoniam vero Bajus in defensionem sui erroris illud præceptum Exodi semper urget, hoc est : *Non concupisces*, explicationem ejusdem ab Augustino traditam nunc expendamus. Lib. *De Perfect justit.* num. 18. explicans quod habet Apostolus *Roman.* 7. 16. inquit : "Quum vero non sinit regnare peccatum in „ suo mortali corpore ad obediendum desideriis ejus, nec ex„ hibet membra sua arma iniquitatis peccato; inest quidem pec„ catum in membris ejus, sed non regnat, quia non obeditur de„ sideriis ejus. Et ideo dum quod non vult, agit, id est, non „ vult concupiscere, et concupiscit; consentit legi, quia bona „ est. Hoc enim vult et ipse, quod lex : quia vult ipse non con„ cupiscere, et lex dicit: non concupisces. In hoc, quoniam vult, „ quod et lex vult, procul dubio consentit legi: concupiscit ta„ men, quia non est sine peccato : sed jam non ipse operatur „ illud, sed id, quod in illo habitat peccatum." Videatur S. Thomas 1. 2. quæst. 80. art. 3., et 2. 2. quæst. 154. art. 5., quæst. 3. *De Malo* art. 3. ad 8., et quæst. 7. art. 6. ad 7. et 8.

Dices 1. S. Augustinus lib. *De Spir. et litt.* num. 65. asserit cum, qui nullos patitur concupiscentiæ motus, adimplere illud præceptum: *non concupisces* : putavit ergo illos non sentiri a nobis sine peccato.

R. hoc in loco S. Augustinum tradere, existimari posse *ad vitam jam immortalem* pertinere illud : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua*, ad hanc autem : *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus :* ad illam: *non concupisces;* ad istam : *post concupiscentias tuas non eas.* Quapropter ex istis hoc sane colligitur, præceptum tum dilectionis, tum de non concupiscendo ad vitam jam immortalem inde singulariter retulisse S. Doctorem, quia in ea Deus perfecte diligitur, nullusque est locus concupiscentiæ motibus : ad hanc autem alia duo, quia in eadem, non vero in immortali, curare summopere debemus, ne peccatum regnet in nostro corpore, concupiscentiæque mo-

tibus assentiamur. Ceterum in ista quoque præcipitur omnibus, ut Deum diligant toto corde, atque non concupiscant.

C. S. Augustinus Serm. alias 5. *De Verbis Apostoli*, nunc 156. num. 8. ita habet: „Si autem concupiscis quidem, quod „lex vetat, quum dicit: *non concupisces*; servas autem aliud, „quod item lex jubet: *Post concupiscentias tuas non eas*; „mente spiritualis es, carne carnalis." *De Civit. Dei* lib. 19. cap. 4. num. 3. „Neque enim (inquit) nullum est vitium, „quum sicut dicit Apostolus: *Caro concupiscit adversus spiritum.* Mens ergo Augustini fuit, concupiscentiæ motus esse malos, atque contra illud præceptum: *Non concupisces.*

R. S. Augustinum in priori loco distinguere hominem *totum carnalem* ab homine, qui corpore quidem est carnalis, mente autem spiritualis. Totum carnalem dicit esse illum, qui indulget motibus concupiscentiæ, eosdemque sequitur; corpore autem carnalem, et mente spiritualem; qui sentit quidem motus concupiscentiæ; tamen illis non obtemperat. Unde (inquit) „Aliud „est non concupiscere, aliud post concupiscentias suas non ire. „Non concupiscere omnino perfecti est: post concupiscentias „suas non ire, pugnantis est, luctantis est, laborantis est." In altera vita, in qua erunt homines omnino perfecti, nullum futurum locum concupiscentiæ motibus, subinde dicit; in ista autem iisdem semper locum esse, idque confirmat verbis Apostoli, qui licet non esset omnino perfectus, sicut beati in patria, erat tamen ea singulari perfectione præditus, quæ in Sanctis, quoad usque hic vivunt, esse potest.

In altero loco vitium esse concupiscentiam, tradit S. Doctor secundum mentem Apostoli: verum superadit: „Cui vitio con- „traria virtus est, quum sicut idem dicit: *Spiritus concupis- „cit adversus carnem*..... Quid autem facere volumus, quum „perfici volumus finem summi boni, nisi ut caro adversus spi- „ritum non concupiscat, nec sit in nobis hoc vitium, contra „quod spiritus concupiscat? Quod in hac vita, quamvis veli- „mus, quoniam facere non valemus, id saltem in adjutorio Dei „faciamus, ne carni concupiscenti adversus spiritum, spiritu „succumbente, cedamus, et ad perpetrandum peccatum nostra „consensione pertrahamur. Absit ergo: ut quandiu in hoc bel- „lo intestino sumus, jam nos beatitudinem, ad quam vincendo „volumus pervenire, adeptos esse credamus. Et quis est adeo „sapiens, ut contra libidines nullum habeat omnino conflictum?" Hæc Augustinus in rem omnino aliam, ac nostra modo sit. Tamen per hoc, quod concupiscentiæ consentiamus, ad peccatum nos pertrahi dicit.

Jansenius lib. 2. *De Stat nat. purœ* cap. 14. congerit S. Augustini loca desumpta ex libris illius contra Julianum, quibus confirmare contendit hanc suam argumentationem, quam

proponit in initio ejusdem capitis: „Fieri non potest, ut desi-„deria peccandi in creatura rationali sint bona, vel licita, sed „omnium hominum judicio turpia, et mala: motus autem con-„cupiscentiæ non sunt aliud, quam quædam desideria peccato-„rum: non possunt igitur esse bona, vel licita creaturæ ra-„tionali, sed potius mala, et illicita: quod si illicita sunt, et „turpia, et mala, non possunt habere auctorem Deum."

Contra communem, veramque rationem loquendi, motus concupiscentiæ Jansenius desideria vocat: nam inclinatio, propensio, determinatio voluntatis quoad assequutionem rei alicujus desiderium proprie dicitur: unde prava desideria in se spectata culpæ imputantur, non vero motus sensualitatis, semel ac voluntas illos omnino respuat. Verum nunc ad rem nostram, atque illud expendamus, quam præter omnem rationem Jansenius in comprobationem sui erroris ea multa in medium adducat, quæ S. Augustinus contra Julianum de concupiscentia, ejusque motibus disputavit. Julianus ergo contendit: concupiscentiam esse bonam, atque ita quidem bonam, ut ea fuerit in paradiso ante peccatum primi hominis, semperque in posteris futura fuisset, si ille non peccasset: unde concupiscentiam *in genere suo, et in specie* laudabat, et solummodo *excessum* illius reprehendebat, sicuti tradit S. Augustinus lib. 3. contra eumdem num. 64. Quare S. Doctor lib. 4. num. 64. illum vocat *laudatorem* concupiscentiæ, et lib. 3. *Oper. Imperf.* cap. 56. libidinem, qualis nunc est, *ad certamen provocantem corda castorum, tamquam formosum lignum* in paradiso ab ipso collocatum dicit, indeque cap. 57. ita ad Julianum: *Imple paradisum pomis libidinum.* S. Augustinus igitur concupiscentiam esse quoddam malum contra Julianum in suis operibus strenue propugnavit, atque hoc inde etiam evidenter evicit lib. 4. *Cont Julian.* num. 3. et seqq., lib. 5. num. 25. et seqq. iterum num. 61. et seqq., quia refrenandi sunt motus illius, ne ad illicita ducant. Concupiscentiam autem malam esse tam in conjugatis, quam in non conjugatis, Augustinus quidem semper dicit; ea tamen conjugatos *bene uti*, non conjugatos *melius non uti*, affirmat lib. 4. *Cont. Julian.* num. 9.

At vero si concupiscentia mala est, ea remanere non deberet in regeneratis, sicut opponebat Julianus apud S. Augustinum lib. 6. contra eumdem num. 49., motusque illius mali sint oportet, sicut Jansenius contendit. Verum, sicut inquit S. Augustinus lib. 6. *Cont. Julian.* num. 49. *Reatus ejus regeneratione solutus est, conflictus ejus ad agonem relictus est. Debellandum hoc malum est, non negandum: vicendum est, non defendendum. Postremo si ei consentis; malum agnosce peccando; si ei resistis: malum agnosce pugnando.* Sunt ergo mali, sunt illiciti, sunt turpes concupiscentiæ motus, non sunt a Deo,

sed, sicuti ipsa concupiscentia, ex peccato originis, cujus reatus regeneratione solutus est, conflictus ad agonem est relictus. Eis autem si mente cerviatur, sine excusatione peccatur: e contrario autem, sicuti docet S. Augustinus lib. 1. *De Civit. Dei* cap. 25. quanto magis absque culpa sunt in corpore non consentientis, si absque culpa sunt in corpore dormientis? Auctoritate igitur S. Augustini abuti Jansenium hac quoque in re, sicut in aliis multis, nimis perspectum est.

LIBER QUINTUS.

De ignorantia, quatenus a peccato excusat.

Duplicem errorem hoc in libro refellemus, hoc est, et ignorantiam invincibilem in se spectatam, nulla habita ratione illorum, circa quæ versatur, non excusare a peccato, itemque singulariter ignorantiam invincibilem quorumvis præceptorum legis naturæ a peccato non excusare. Duobus distinctis capitibus illos refutabimus.

CAPUT PRIMUM.

De ignorantia invincibili in se spectata, nulla habita ratione illorum, circa quæ versatur, quatenus ipsa a peccato excusat.

Ignorantiam inter effectus peccati originalis recensendam esse, et nos supra ostendimus, et S. Augustinus urgere contra Pelagianos nunquam destitit. Prout nostra nunc interest, adverti debet, ignorantiam distingui invincibilem, et in invincibilem; illa studio, et diligentia vinci potest ista non potest. Qua ratione Jansenistæ volunt, motus indeliberatos concupiscentiæ, quibus ipsa ratio nullo modo assentitur, esse peccatum, eadem statuunt, ignorantiam quoque invincibilem esse peccatum. Jansenius *De Statu nat. lapsæ* lib. 2. cap. 4. fatetur, esse generale pronuntiatum Scholasticorum, quod fit propter invincibilem ignorantiam, non esse peccatum: *Quæ sane doctrina* (inquit) *quamvis humanæ rationi, quæ nititur, valde plausibilis esse videatur; difficile tamen est eam cum Augustini doctrina conciliare, quam contra Pelagianos constanter asseruit.* Hæc ex Luthero Jansenius hausisse videtur: ait

enim ille in cap. 1. Geneseos: *Scholastici dicunt, invincibilem ignorantiam reddere excusabiles: tanta cæcitas est in Papæ scholis, et Ecclesiis.*

Prop. Ignorantia invincibilis a peccato excusat, ideoque non sunt peccata, quæ ob illam fiunt.

Prob. prop. De veritate hujus propositionis constat ex iis omnibus, quæ de nostra libertate ad merendum, vel demerendum contra Jansenium fuse disseruimus. Semel ac enim ponatur, ad merendum, vel demerendum requiri libertatem, sicuti revera riquiri jam ostendimus, inde necessario consequitur, ob ignorantiam invincibilem nos excusari a peccato, quia quod propter illam facimus, nolentes facimus. Augustinus lib. 3. *De Lib. Arb.* num. 52 refellens illos, qui querebantur ob peccatum Adæ, nasci obnoxios *ignorantiæ cæcitati, et difficultatis cruciatibus*, inter alia illis hæc reponit: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras.* Hæc autem expendens S. Thomas quæst. 3. *De Malo* art. 7. ad 7. ita habet: „Dicendum, quod ignorantia, quæ est omnino in„voluntaria, non est peccatum: et hoc est, quod Augustinus „dicit: non tibi deputatur ad culpam, si invitus ignores: per „hoc autem, quod addit: sed si scire neglexeris; dat intelligere, „quod ignorantia habet, quod sit peccatum ex negligentia „præcedente." Profecto si ignorantia invincibilis non est peccatum, quia ipsa est involuntaria, oportet etiam, ut quæ fiunt propter ipsam, non sint peccata, utpote involuntaria. Unde S. Augustinus cit. lib. num. 49. contra eos, qui quærebant aliam causam peccati præter voluntatem, ita habet: „Sed quæ „tandem esse poterit ante voluntatem causa voluntatis? aut enim „et ipsa voluntas est, et a radice ista voluntatis non recedi„tur; aut non est voluntas, et peccatum nullum habet." Num. 50. „Quæcumque est ista causa voluntatis, si non ei potest „resisti, peccato ceditur: si autem potest; non ei cedatur, et „non peccabitur.... An tanta fallacia est, ut caveri omnino non „possit? Si ita est, nulla peccata sunt: quis enim peccat in „eo, quod nullo modo caveri potest?" Hinc S. Thomas 1. 2. quæst. 76. art. 3. ita absolute pronuntiat: *Si vero sit talis ignorantia, quæ sit omnino involuntaria: sive quia est invincibilis, sive quia sit ejus, quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omnino excusat a peccato.* Unum vel alterum ex utroque S. Doctore superaddam, licet multa alia possem. Lib. *De Duabus animab.* num. 12. et seqq. S. Augustinus contra Manichæos ostendit, id non esse peccatum, quod propria voluntate, libereque non committitur. Num. 15. ita definit peccatum: *Ergo peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod justitia vetat; et unde liberum est abstinere: Quamvis si liberum non sit, non est voluntas. Sed malui grossius, quam scrupolo-*

sius definire. Et post alia inquit: *Quis dubitet tunc esse peccatum, quum et velle injustum est, et liberum nolle?* Neque est cur Jansenistæ reponant, omnes propria voluntate, ea tamen contenta in Adami voluntate, peccasse. "Sicut enim (inquit „ S. Thomas in II. *Sentent.* quæst 30. artic. 2.) est quoddam bo„ num, quod respicit naturam, et quoddam, quod respicit per„ sonam; ita etiam est quædam culpa naturæ, et quædam per„ sonæ. Unde ad culpam personæ requiritur voluntas personæ, „ sicut patet in culpa actuali, quæ per actum personæ commit„ titur: ad culpam vero naturæ non requiritur nisi voluntas in „ natura illa."

Dices I. Jansenius *De Statu nat. lapsæ* lib. 2. cap. 2. hoc ostendere sibi proponit, videlicet *Ignorantiam, etiam quæ necessitatis est, non voluntatis, hoc est, invincibilem, non carere peccato, ut dogma fidei ab antiquis traditum.* In comprobationem hujus rei advertit, Patres Synodi Palestinæ Pelagium coegisse, ut hunc Cælestii errorem ejuraret: sicut ex S. Augustino novimus lib. *De Gestis Pelagii* num. 42., videlicet: *Oblivionem, et ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem.* Ex hoc autem Jansenius duo in rem suam animadvertit: prius est: Pelagianos in hac sua propositione de ignorantia invincibili fuisse loquutos, quum vincibilem ignorantiam ad peccatum deputari, ipsi quoque tuerentur: alterum; S. Augustinum nunquam reprobasse hoc judicium latum a Patribus Palestinis, sicuti constat ex illius citato libro. Superaddit Jansenius hæc, quæ habet Critobolus, qui partes Pelagianorum sustinebat, apud S. Hieronymum lib. 2. *Adver. Pelagianos*: *Videris* (ille inquiebat) *accusare naturam, ac per hoc invidiam referre in Deum, qui tales homines condidit, ut oblivione, et ignorantiæ peccato carere non possint.... ubi autem aufertur possibilitas, aufertur et vitium.* Ex quibus ista Jansenius in cit. cap. 2. Ecce audis talem naturam, ut oblivione, et ignorantia *carere non possit*, ideo„ que culpam retorqueri in Deum: audis *impossibilitatem*, seu „ *ablatam possibilitatem* vitandi. Quod certissimum est adversus „ ignorantiam invincibilem dirigi."

R., Jansenium hac quoque in re, sicuti sæpe facit, disputata contra Pelagianos pro se in medium adducere, licet in illis agatur de alio capite doctrinæ, ac ipse agit. S. Augustinus Pelagianis negantibus originale peccatum, ignorantiam, et difficultatem, quibus sumus a nativitate nostra subjecti, sæpissime objecit, easque esse pœnas peccati originalis contra illos firma argumentatione collegit. Id sane præstitit lib. 3. *Cont. Julian.* num. 36., lib. 4. num. 99., lib. 6. num. 49., et aliis multis in locis, in quibus disputavit de peccato originali contra Pelagianos. Ipsi vero ut ab hac argumentatione sese expedirent, reponebant, ignoran-

tiam, et oblivionem non subjacere peccato, hoc est, sub peccato non contineri, atque non esse effectum illius, quoniam eæ non eveniunt secundum voluntatem, sed secundum necessitatem, atque ita ex miseriis hujus vitæ desumptum argumentum in confirmationem peccati originalis, se eludere posse falso putabant. Hac vero de causa Pelagium negantem originale peccatum hunc errorem Cælestii ejurare Palestini Patres cögegerunt videlicet: *Oblivionem, et ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem.* Unde adverto, Pelagianos inter alios multos errores hunc quoque, de quo contra Jansenium modo decertamus, non fuisse sequutos: nam oblivionem, et ignorantiam non subesse peccato, inde conabantur evincere, quia non eveniunt secundum voluntatem, sed secundum necessitatem. Unde Jansenius contra se ipsum advertit, Pelagianos de invincibili ignorantia fuisse loquutos.

Illud sane oportebat, ut ipse adverteret, Pelagianos ad eam invincibilem ignorantiam respexisse, quæ est in natura, et cui omnes subjecti nascuntur non secundum voluntatem, sed secundum necessitatem, quemadmodum etiam ad eamdem Patres contra illos respexerunt. Neque enim inter Patres, atque Pelagianos unquam quæstio fuit, utrum ignorantia invincibilis esset peccatum vel non esset, vel utrum a peccato excusarentur, aut non excusarentur, quæ ob ignorantiam invincibilem fiunt, sed tota decertatio inter illos in eo posita erat, ut Patres velent, ignorantiam una cum ceteris malis esse in humana natura propter peccatum originis, adeoque ex illa constare de peccato originis; contra Pelagiani negantes originale peccatum ajebant, ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundum voluntatem evenit, sed secundum necessitatem. Quod ergo est discriminis inter ignorantiam ipsius naturæ propriam, omnibusque communem propter peccatum originale, et inter ignorantiam invincibilem unius, alteriusve rei, quæ est in uno, non autem in altero, est sane etiam inter id, de quo disputat Jansenius, et inter illa, quæ Patres de ignorantia disputarunt cum Pelagianis.

Ex iis autem, quæ apud Hieronymum habet Critobolus agens partes Pelagianorum, eadem illa duo colliguntur, quæ modo inculcavimus, videlicet 1., Pelagianos loquutos fuisse de ignorantia naturæ; ajebat enim Critobolus Attico secum disputanti: " Vide-
„ ris accusare naturam, ac per hoc invidiam referre in Deum,
„ qui tales homines condidit, ut oblivione, et ignorantiæ peccato
„ carere non possint." Unde Atticus Critobolo objecit ea loca Apostoli, in quibus inter vitia, quæ propter originale peccatum naturam infecerunt, etiam ignorantia commemoratur: 2. Uti jam diximus, Pelagianos inter alios errores hunc quoque Jansenii, quem modo refutamus, non adoptasse: pro certo enim habuerunt, quod *ubi aufertur possibilitas, aufertur et vitium.*

Quæ Jansenius cit. lib. 2. *De Statu nat. lapsæ* cap. 3. in eamdem rem S. Augustini loca in medium adducit, nostra explicatione non egent: nam si etiam prout a Jansenio referuntur, solummodo legantur, unicuique facile constare potest, id, quod Jansenius vellet, nullo modo ex iisdem colligi posse.

CAPUT SECUNDUM.

De ignorantia invincibili, habita ratione præceptorum naturæ.

Prout nunc nostra interest, advertimus, ignorantiam distingui in ignorantiam juris, et facti, iterumque in ignorantiam juris positivi divini, et ignorantiam juris naturalis. Jansenius, nulla habita ratione hujusmodi distinctionis, lib. 2. *De Statu nat. lapsæ* cap. 2. et 3. absolute, atque simpliciter docuit, ignorantiam invincibilem non excusare a peccato, atque auctoritate potissimum Augustini id ostendere, conatus fuit. At cap. 5. ejusdem lib. nunc recensitæ distinctionis ignorantiæ rationem habet, atque ait, doctrinam Augustini intelligendam non esse de ignorantia facti; atque esse *verosimilius* neque etiam de ignorantia juris positivi divini intelligi debere, sed spectare ad ignorantiam juris naturalis. Hujus igitur legis naturalis ignorantia (inquit ipse in fine capitis) sive sit vincibilis, ut in gravioribus delictis, præsertim quibus proximus læditur, contingere solet, sive sit in invincibilis, ut in iis forsitan, quæ magis a principiis distant, conclusionibus naturalibus, et in variarum occursu subito circumstantiarum plerumque accidit, non excusat a peccato delinquentes." Quoad hæc quoque posteriora præcepta legis naturæ dari non posse ignorantiam invincibilem, sunt sane nonnulli, qui tuentur: revera autem dari posse, una cum Angelico, et maxima parte doctorum nos tenemus: hac tamen de re non est, cur modo agamus. Duo igitur tantum advertimus, antequam aggrediamur ostendere, quod modo volumus: prius est: quæ argumenta Jansenius ex S. Augustino depromsit ad ostendendum, ignorantiam invincibilem esse peccatum, et ea, quæ fiunt propter illam, a peccato non excusari, sit quid probarent, illud simul probarent, ignorantiam quoque tum juris divini tum facti esse peccatum: alterum vero est: ab Alexandro VIII. damnatam fuisse hanc propositionem num. 2. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturalis, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.*

Prop. Ignorantia invincibilis a peccato excusat, quamvis ver-

setur circa ea præcepta legis naturæ, quæ pendent ab aliis primis.

Prob. prop. Veritas hujus propositionis constat ex iis argumentis, quæ in præcedenti propositione in medium protulimus. Nam ignorantia invincibilis sive juris, sive facti sit, sive juris positivi divini, sive naturalis, aut aliquorum præceptorum juris naturalis, semper æque, atque una, eademque ratione facit, ut quod agimus, nobis voluntarium non sit, ideoque ad culpam non possit imputari. Hinc S. Augustinus Pelagio ajenti ignorantiam esse culpandam, non quatenus proficiscitur ex originali peccato, sed quatenus homo id scire negligit, quod, adhibita diligentia, posset, ita respondet in lib. *De Nat. et Grat.* num. 19. *Aliud est enim non curasse scire, quæ negligentiæ peccata etiam per sacrificia quædam legis videbantur expiari: aliud intelligere velle, nec posse, et facere contra legem non intelligendo quid fieri vellet.* Hoc autem aliud, et aliud S. Augustini eo tendit, ut ignorantia vincibilis deputetur ad culpam, quæ expiata fuisse videtur, sicuti dicit Augustinus, oblatione quorumdam sacrificiorum legis, non vero invincibilis. Unde lib. 83. quæst. quæst. 24. *Nec peccatum autem*, (inquit) *nec recte factum imputari cuiquam potest, qui nihil fecerit propria voluntate. Est igitur et peccatum, et recte factum in libero voluntatis arbitrio.* Et *Retract.* lib. 1. cap. 13. num. 5. semper magis, atque magis confirmat, quod alibi dixerat, videlicet: *Usque adeo peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Modo ita paucis: etiam Jansenius consentit, ignorantiam invincibilem esse illam, quæ studio, et diligentia vinci non potest: alia autem ab ista neque est, neque esse debet notio ignorantiæ invincibilis, sive sit ignorantia facti, sive juris positivi divini, sive juris naturalis. Sicut ergo, Jansenio quoque consentiente, hujusmodi ignorantia sive sit facti, sive sit juris positivi divini a culpa excusat, nullaque alia de causa excusat, vel excusare potest, nisi quia est involuntaria; ita etiam ignorantia juris naturalis a peccato excusare debet ob eamdem rationem, scilicet quia semel ac sit invincibilis, non est minus involuntaria, quam ignorantia facti, et juris positivi divini.

Jansenius lib. 2, *De Nat. lapsa* cap. 5. illud inculcat, pluribus S. Augustini locis in medium prolatis, homini, antequam legem scriptam reciperet, imputatum fuisse peccatum, quod ignorabat, et per legem scriptam ipse postea cognovit juxta illud Apostoli: *Roman. 3. 20. per legem cognitio peccati:* ex hoc autem, et quidem juxta doctrinam Augustini, ignorantiam præceptorum legis naturæ a peccato non excusare, se ostendisse putavit.

Cap. 6. idem Jansenius sibi proponit *indagare radicem arcanam* hujus doctrinæ, videlicet intrinsecam rationem detegendam

aggreditur, propter quam ignorantia invincibilis non excusat a peccato in iis, quæ sunt quovis modo contra legem naturalem. Hanc autem in duplici isto principio constituit: 1. Scientia juris divini, atque factorum non est connaturalis homini, sicut scientia juris naturalis: hinc est, ut ignorantia invincibilis illorum non sit vitiosa, præceptorum vero legis naturæ sit vitiosa, ac propterea, semel ac agitur contra præcepta legis naturæ, semper committitur peccatum, licet ea sint ignorata invincibiliter. Quum enim hujusmodi ignorantia sit pœna peccati; *quidquid ex illa cæcitate fit sine peccato non fit*, inquit Jansenius: 2. Si dicamus (idem prosequitur), ignorantiam invincibilem aliquorum præceptorum legis naturæ excusare a peccato, idem quoque de cæcitate affirmandum erit. *Nam etiam in illorum aliquibus ita ad nonnullas regulas veritatis agnoscendas omne lumen mentis extinctum est, ut quamvis et velint, et conentur obnixissime eas videre, non possint.*

Verum a Jansenio illud nunc ego quæro, quo tandem principio ductus in cit. cap. 5. statuat, Augustinum docuisse quoad legis naturæ præcepta ignorantiam invincibilem a peccato non excusare. Nam S. Doctor, nulla facta distinctione tum facti, tum juris, tam positivi divini, quam naturalis, absolute, simpliciterque pronuntiat; ad peccatum non imputari, quod fit propter ignorantiam, quæ vinci non potest; neminem in eo peccare, quod cavere non potest: peccatum esse voluntatem retinendi, vel consequendi, quod justitia vetat, et unde liberum est abstinere: (quæ sane definitio peccata contra legem naturæ potissimum respicit), tandem, ne omnia jam dicta repetamus; tunc esse peccatum, quum et velle injustum est, et liberum nolle.

Congerit quidem Jansenius in cit. cap. S. Augustini loca sane plura, in quibus tradit S. Doctor, in lege naturæ homini imputatum fuisse peccatum, quod tunc non noverat: novit autem postea, lege sibi promulgata. Verum anne Augustinus in uno saltem illorum locorum, quæ Jansenius in medium adducit, affirmat, homines peccati invincibili ignorantia laborasse: ignoravisse quidem affirmat; ita vero ignoravisse, ut ignorantiam, qua detinebantur, vincere non potuerint, non solum non dicit, sed ne levissime quidem indicat aliquo modo. Satis est legere loca Augustini, et etiam prout ea excripsit Jansenius, ut hac de re constet unicuique. Neque enim nos nunc in iis exscribendis immorari debemus. Profecto quando causa peccati est ignorantia culpabilis, quia vincibilis, tantum abest, ut, quæ propter illam fiunt, excusentur a peccato, ut ipsa quoque sit peccatum. Talis vero fuit illorum, qui propter pravas cupiditates, quibus oppressi tenebantur, peccatum ignorabant, propterea que imputatum fuit illis ad culpam. Hinc S. Augustinus peccata ignorantia hujusmodi hominum ad culpam illis imputata fuisse statuit, quamvis alibi sæ-

pe docuerit, non imputari ad peccatum, quod fit propter ignorantiam, quæ vinci non potest. Nunc de duobus aliis, quæ Jansenius habet cap. 6.

Ex priori illud unum sane consequitur, facilius contingere posse, ut invincibiliter ignorentur a nobis, quæ spectant ad legem positivam divinam, atque veritatem factorum, quam quæ sunt legis naturæ. Aliqua autem etiam istorum ignorari posse invincibiliter, Jansenius quoque nobiscum supponit.

At quum hujusmodi ignorantia sit pœna peccati, quidquid ex illa cæcitate fit, sine peccato non fit. Ita ne vero? Profecto Jansenius in suo errore sibi conformis, sicuti contendit, inordinatos concupiscentiæ motus rationem prævenientes, et ab ipsa advertente rejectos, esse peccata, quia ipsi ad peccatum inclinant; ita etiam vult, quæ invincibiliter ignorantur, non ignorari sine peccato, quia ignorantia est pœna peccati, proptereaque esse peccata, quæ quovis modo fiunt ob cæcitatem illius. At quemadmodum motus concupiscentiæ, licet etiam ipsa concupiscentia sit ex peccato, non sunt peccatum, semel ac ratio illos non sequatur, sed repellat; ita etiam quæ invincibiliter, propterea que contra voluntatem, ignorantur, non sunt peccata, licet ignorantia non minus, quam concupiscentia, sit effectus peccati, et ad peccatum facile inducat.

De altero nunc videamus. "Bonum naturæ, quod per peccatum diminuitur, (inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 85. art. 2.) est naturalis inclinatio ad virtutem, quæ quidem convenit homini ex hoc ipso, quod rationalis est: ex hoc enim habet, quod secundum, rationem operetur, quod est agere secundum virtutem. Per peccatum autem non potest ab hominibus totaliter tolli, quod sit rationalis, quia jam non esset capax peccati: unde non est possibile, quod prædictum naturæ bonum totaliter tollatur." Falsum est ergo in obcæcatis lumen mentis ita extinctum esse, ut nonnullas regulas veritatis agnoscere non possint, quamvis velint, et obnixissime conentur. Sed quod S. Thomas subinde superaddit, ad majorem hujus rei claritatem, advertatur oportet: "Dupliciter igitur (inquit) potest intelligi ejus diminutio (scilicet boni naturæ) uno modo ex parte radicis, alio ex parte termini. Primo quidem modo non diminuitur per peccatum, eo quod peccatum non diminuat ipsam naturam, sed diminuitur secundo modo, in quantum scilicet ponitur impedimentum pertingendi ad terminum." Et secundum hanc rationem inquit: "Manifestum est, quod diminui quidem potest in infinitum, quia in infinitum possunt impedimenta opponi, secundum quod homo potest in infinitum addere peccatum peccato; non tamen potest totaliter consumi, quia semper manet radix talis inclinationis."

LIBER SEXTUS.

De specifica diversitate peccatorum, habita ratione offensæ Dei, ipsorumque gravium peccatorum majori, vel minori gravitate.

Dari peccata, quæ ex sui natura levia sint, atque non omnia peccata gravia esse æqualiter gravia, sed alia magis, alia minus, in duobus hujus libri capitibus propugnabimus.

CAPUT PRIMUM.

De specifica distinctione peccatorum, habita ratione offensæ Dei.

Hanc distinctionem specificam, de qua nunc loquimur, in eo reponimus, ut per aliqua peccata Deus offendatur graviter, per alia leviter quemadmodum a Patribus traditum habemus. Dari ergo peccata, quæ secundum se spectata, sunt levia, nunc ostendemus. Unde advertimus, peccatum habere posse, ut sit leve tum propter parvitatem materiæ, tum propter defectum advertentiæ, tum etiam propter ipsum objectum, circa quod versatur. Quod est leve secundum hanc postremam rationem proprie opponitur gravi peccato, sicuti advertit S. Thomas 1. 2. quæst 77. art. 8. ad 1., atque proprie dicitur peccatum ex genere suo leve. Quapropter, sicuti prosequitur Angelicus, " Quum voluntas „ fertur in aliquid, quod secundum se repugnat caritati, per „ quam homo ordinatur in ultimum finem, illud peccatum habet „ ex suo objecto, quod sit mortale: unde est mortale ex genere... „ Quandoque vero voluntas peccantis fertur in id, quod in se con„ tinet quamdam inordinationem, non tamen contrariatur dilec„ tioni Dei, et proximi, sicuti verbum otiosum, risus superfluus, „ et alia hujusmodi, et talia sunt peccata venialia ex suo genere."

Wicleffus 3. part. *Sermonum* serm. 33., sicuti apud Waldensem legitur in *Doctrinali fidei* de Sacram. pœnit. cap. 155. docuit, peccatum grave esse *quodcumque peccatum præsciti, et ex opposito omne peccatum prædestinati esse veniale.* Lutherus hunc quoque errorem adoptavit, tradiditque, nullum esse peccatum natura sua veniale, sed omnia damnabilia, quod autem venialia sint, Dei gratiæ tribuendum esse (a). Idem sensit Calvinus

(a) Vid. Natalis ab Alex. Hist. Eccl. sec. 15. et 16. cap. 2. art. 10. §. 2.

lib. 2. *Instit.* cap. 8. §. 59., et lib. 3. cap. 4. §. 20. Bajus simpliciter asseruit, *nullum esse peccatum ex sua natura veniale, sed omne peccatum mereri pœnam æternam*, sicuti constat ex illius damnata prop. 20.

Prop. Non omnia peccata sunt gravia ex sui natura, sed aliqua dantur, quæ quidem non ex non imputatione, sed ex sui natura sunt levia.

Prob. prop. *Matt.* 7. 3. ait Christus; "Quid autem vides „festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vi„des"? Ex his autem constat, eamdem differentiam intercedere inter ipsa peccata, ac inter festucam, et trabem, adeoque quædam peccata esse levia ex sui natura, sicuti etiam festuca est levis, quædam vero ex sui natura gravia, sicuti etiam trabs est gravis. Hinc secundum præceptum Christi Domini etiam justi orant Deum, ut sibi dimittat sua debita. Et S. Jacobus in sua epist. 3. 2. ait: *In multis offendimus omnes;* et S. Joannes in I. epist. 1. 8. ait: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, et veritas in nobis non est.* Quum igitur dubitari non possit, ea peccata, quæ committuntur a justis sine jactura justitiæ, quam habent, esse levia, constat ex Sacris litteris dari peccata ex sui natura levia. Levia, inquam, ex sui natura, non vero ob parvitatem materiæ, vel propter defectum advertentiæ, quia tam S. Jacobus, quam S. Joannes respiciunt peccatum spectatum in se, et habita ratione objecti, circa quod versatur. Unde S. Augustinus Serm. 188. num. 2., alias inter Homil. 50. "Ceterum non me latet, (inquit) vitam istam „mortalem, et in carne corruptibili constitutam sine peccatis esse „non posse. Sed illa quotidiana, et levia habent sua lavacra „quotidiana. Hoc est, quod pectus tundimus, et dicimus in ora„tione Domino Deo nostro: *dimitte nobis debita nostra, sicut „nos dimittimus debitoribus nostris.* Non enim sine causa hoc „dicimus.... Videte, qualis fuerit Joannes Apostolus. Supra pec„tus Domini discumbebat.... et tamen ait: *si dixerimus, quia „peccatum non habemus, nos ipsos decipimus, et veritas in „nobis non est.*" Et lib. *De Spir. et litt.* num. 48. "Non im„pediunt a vita æterna justum quædam peccata venialia, sine „quibus hæc vita non ducitur."

Fatemur sane etiam in justis, quam habent, justitiam adhuc retinentibus, ea quoque levia peccata dari, quæ sunt talia vel propter parvitatem materiæ, vel propter defectum advertentiæ: quod sane contra oppositum errorem semper facit; tamen quum gravitas, vel levitas peccatorum, *quæ attenditur penes objecta, sit prima, atque præcipua*, sicut advertit Angelicus 1. 2. quæst. 73. art. 3., ideo ad levitatem peccatorum ex parte sui objecti potissimum respeximus.

Dices I. *Ezechiel.* 18. 20. hæc leguntur: *Anima, quæ pec-*

caverit, ipsa morietur. Roman. 6. 23. *Stipendia peccati mors. Jacobi* 2. 10. *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Hic nonnulli Patres illud *Matt.* 5. 19. *qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis, et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum*, ita acceperunt, ut putaverint, eum, de quo hoc loci loquitur Christus, detrudendum in gehennam ignis. Ex his vero constat, nullum peccatum ex sui natura dici posse leve.

R. ad hæc omnia paucis. *Ezechiel.* cit. loco hoc unum inculcatur, eum, qui peccaverit, laturum esse pœnam peccati. Unde subditur: filius non portabit iniquitatem patris, et pater non portabit iniquitatem filii. *Morietur ergo, qui peccaverit, si* tamen, (uti statim innuitur v. 24.) *peccando sese averterit a justitia sua, et fecerit iniquitatem secundum omnes abominationes.*

Apostolus *Roman.* 6. de eo genere peccati loquitur, quod nonnulli contraxerant propter infirmitatem carnis, atque exhibuerant membra sua servire immunditiæ, et iniquitati ad iniquitatem. Hujus profecto gravissimi peccati stipendium est mors.

S. Jacobus respicit eam præceptorum transgressionem, quæ ex sui natura est peccatum grave. Unde statim subdit v. 11.: *Qui enim dixit: non mœchaberis, dixit: et non occides. Quod si non mœcaberis, occides autem, factus es, transgressor legis;* adeoque talis, qui propter suum grave peccatum pœnam æternam mereatur.

Tandem locus *Matt.* commode intelligi potest eo sensu, quo nonnulli Patres intellexerunt. Christus enim in eodem v. 19. statim superaddit: *Qui autem fecerit, et docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum*: subindeque v. 20. *Nisi abundaverit* (inquit) *justitia vestra plusquam Scribarum, et Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Justitia vero illorum talis erat, ut dicerent quidem, sed non facerent, sicuti *Matt.* 23. 3. legitur. Profecto qui non servat ea præcepta legis, quæ docet alios, a regno cælorum excluditur. Legatur in hanc rem S. Augustinus Serm. 152. num. 4., alias Serm. 4. Christus igitur eos prædixit a regno cælorum ejiciendos, qui non servaverint, quæ servanda docuerint alios.

Dices II. Peccatum secundum S. Augustini definitionem lib. 22. *Cont. Faustum* cap. 27. receptam ab omnibus, est factum, vel dictum, vel concupitum contra legem æternam: igitur si omne peccatum habet, ut sit contra æternam legem, etiam veniale peccatum erit contra legem æternam, propterea que grave.

Eo vel maxime quia etiam ob leve peccatum retrahimur a diligendo Deo toto corde, quod est primum, et maximum mandatum, indeque quamdam malitiæ gravitatem in se habet.

Postremo SS. Patrum hæc una sententia est, nulla peccata posse censeri levia, quia iisdem injuria irrogatur summo bono.

R. cum S. Thoma quæst. 7. *De Malo* artic. 1. ad 1. divisionem peccati in leve, et grave, non esse generis in suas species, quæ æqualiter participant rationem generis, sed secundum magis et minus, quatenus reatus omnibus peccatis communis, est major in peccato gravi, minor in levi. "Unde prædicta definitio (ait „ loquens de S. Augustini definitione) perfecte quidem convenit „ peccato mortali, imperfecte autem, et secundum quid peccato veniali. Unde convenienter dicitur, quod peccatum veniale „ non est contra legem: quia si in aliquo recedit ab ordine legis, non tamen ipsam legem corrumpit, quia non corrumpit „ dilectionem, quæ est plenitudo legis, ut dicitur *Roman.* 19."

Sicuti vero habet idem S. Doctor in I. *Sent.* dist. I. quæst. 3. ad 4. "Quamvis ille, qui peccat venialiter, non referat actu in Deum suam operationem; nihilominus tamen Deum habitualiter pro suo fine habet. Unde non ponit creaturam finem „ ultimum, quum diligat eam citra Deum; sed ex hoc peccat, „ quia excedit in dilectione, sicut ille, qui nimis immoratur viæ, „ non tamen exit a via" Dilectio autem, quæ dicitur ex toto corde, ab ipso fine repeti debet.

Injuria autem irrogatur Deo peccatis etiam levibus: et ex hoc capite omnia, licet alia magis, alia minus, gravia esse videntur. Tamen quum ille, qui peccat leviter, ipsum Deum semper habeat loco summi, atque ultimi boni super omnia diligendi, ejus peccatum leve esse dicitur, atque revera est.

CAPUT SECUNDUM.

De inæquali gravitate peccatorum.

Stoici omnia peccata esse paria *ausi sunt disputare contra omnem sensum humani generis*, inquit S. Augustinus epist. alias 29. nunc 167. num. 4. Stoicis adhæsit Jovinianus circa finem sec. 4. quem primo Siricius in Romano Concilio, deinde S. Ambrosius in Mediolanensi damnarunt. Etiam nonnulli recentiores Acatholici volunt, omnia peccata esse paria, non solum quatenus sunt ex sui natura levia, sed etiam quatenus inter gravia unum non sit altero magis grave, sicuti Jovinianus singillatim propugnavit.

Prop. Non omnia peccata sunt paria, seu æqualis gravitatis, sed gravium peccatorum unum est altero magis grave.

Prob. prop. Non omnia gravia peccata æquali pœna plectenda esse, ex Sacris litteris novimus: nam *Lucæ* 12. 47. 48. *Ille autem servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, et non præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit mul-*

tis : qui autem non cognovit, et fecit digna plagis, vapulabit paucis. Et *Matt.* 11. 24. *Veruntamen dico vobis, quia terræ Sodomorum remissius erit in die judicii, quam tibi.* At vero pœna culpæ proportionata sit oportet : ergo si pœna non est eadem respectu omnium peccatorum, neque etiam gravitas culpæ potest eadem esse. Hinc Christus *Joan.* 19. 11. ad Pilatum: *Non haberes* (inquit) *potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper : propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Ex quibus ita S. Hieronymus lib. 2. *Advers. Jovinianum* cap. 4. "Ejusdem tibi sceleris videbitur reus Annas, et Caiphas, „ et Judas proditor, cujus et Pilatus, qui nolens compulsus est „ contra Dominum ferre sententiam? Quanto majoris meriti fuit „ Judas, tanto majoris criminis est; et quanto majoris criminis, tan„ to majoris pœnæ."

Stoici (inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 73. art. 2.) *considerabant peccatum ex parte privationis tantum, prout scilicet est recessus a ratione. Unde simpliciter æstimantes, quod nulla privatio susciperet magis, et minus, posuerunt omnia peccata esse paria.* Falso tamen principio nitebantur, sicuti Angelicus ostendit : nam alia est privatio simplex, cum qua aliquid oppositum illi simul stare non potest, sicuti in morte, seu in privatione vitæ, nihil ejusdem vitæ remanet : alia est privatio non omnino simplex, cum qua simul remanet aliquid oppositi habitus, sicuti in ægritudine contingit, in qua occurrit quidem privatio debitæ commensurationis humorum, tamen hæc commensuratio omnino non tollitur, alioquin mors consequeretur. In privatione simplici non datur magis, et minus, indeque ille, qui tribus abhinc diebus e vita decessit, non est magis mortuus præ altero, qui decessit ab una die. Datur vero magis, et minus in privatione, quæ non est omnino simplex : unde, inquit Angelicus, "Multum refert „ ad ægritudinem, vel turpitudinem, utrum plus, vel minus a de„ bita commensuratione humorum, vel membrorum recedatur. Et „ similiter dicendum est de vitiis, et peccatis : sic enim in eis pri„ vatur debita commensuratio rationis, ut non totaliter ordo rationis „ tollatur... Et ideo multum interest ad gravitatem peccati, utrum „ plus, vel minus recedatur a rectitudine rationis. Et secundum „ hoc dicendum est, quod non omnia peccata sunt paria."

Dices *Matt.* 25. 34. et seqq. duo distinguuntur genera hominum, scilicet et bonorum, qui possidebunt regnum æternum, et malorum, qui mittentur in ignem æternum ; et sicuti inter illos, ita etiam inter istos nullum ponitur discrimen: quum ergo pœna esse debeat proportionata culpæ, si pœna omnium peccatorum una, eademque est, etiam culpa una, et eadem debet esse: ergo omnia peccata sunt paria.

R. cum dist. ; nullum discrimen ponitur inter utrosque, si ratio habeatur tum carentiæ visionis Divinæ, tum æternitatis pœna-

rum; conc., si habeatur ratio illius pœnæ, quam patiuntur, neg. "In supplicio damnatorum (inquit S. Thomas quæst. 2. *De Malo* artic. 9. ad 3.) est aliquid commune omnibus, quod respondet contemptui Dei, puta carentia visionis divinæ, et perpetuitas pœnæ, et quantum ad hoc dicuntur congregari omnes congregatione unius fascis. Est etiam aliquid in quo differunt, secundum quod quidam magis torquentur, quam alii. Et quantum ad hoc *Matt.* 13. 30. dicuntur colligari, sicut zizaniorum fasciculi ad comburendum."

C. Sed etiam respectu pœnæ una est conditio damnatorum: ergo. Prob. ant. Una, atque eadem est mors spiritualis omnium damnatorum: sed pœnæ consequuntur ad mortem spiritualem: ergo quum in morte spiritus, æque ac in morte corporis, non sit magis, vel minus, etiam pœnæ in omnibus esse debent æquales.

R. dist. ant., una, et eadem est mors spiritualis, habita ratione privationis vitæ spiritualis, conc. habita ratione causæ ejusdem mortis, neg. Quemadmodum ad mortem corporalem consequitur æque in omnibus privatio vitæ corporalis, ita etiam ad mortem spiritualem æque consequitur in omnibus privatio vitæ spiritualis. Attamen hujus mortis spiritualis respectu quorumdam sunt peccata numero plura, atque graviora, quam respectu aliorum. Quum ergo peccatis debita pœna retribuatur, inde consequitur, ut iis, qui sunt æque mortui secundum vitam spiritualem, non eadem pœna retribuatur, sed diversa pro majori, vel minori multiplicitate, et gravitate peccatorum.

LIBER SEPTIMUS.

De Passionibus, levibusque peccatis, quatenus iisdem etiam justi sunt obnoxii.

Hoc quoque in libro duos errores refutandos aggredimur, qui inter se connexi esse videntur: prior est: hominem justum, et sapientem, quoadusque hic vivit, esse posse immunem ab omnibus passionibus tum animi, tum corporis: alter; hominem justum cavere sibi posse ab omnibus, et singulis levibus peccatis, licet ad id singularem a Deo gratiam non receperit.

CAPUT PRIMUM.

De Passionibus, quatenus iisdem etiam justi sunt obnoxii.

Sunt in anima etiam passiones, quæ dicuntur peccatorum, sicuti ostendit S. Thomas 1. 2. quæst. 22. art. 2., indeque dixit

S. Augustinus lib. 5. *De Civit. Dei* cap. 16. num. 1., passionem esse motum animi contra rationem. Passiones moderatas, subjectasque rationi cadere etiam in sapientem, Platonici, et Aristotelici voluerunt: id tamen Stoici negarunt, sicuti ex S. Augustino novimus cit. lib. cap. 4. num. 1. Advertit tamen Angelicus 1. 2. quæst. 24. art. 2., quod nulla, vel omnino parva inter Platonicos simul et Peripateticos, atque inter Stoicos differentia intercessit, quia Stoici dicebant, passiones esse *motum progredientem contra limites rationis.* Beguardæ, atque Molinosius longe turpius, quam Philosophi, hac in re peccarunt, eoque devenere, ut totius Moralis Christianæ fundamenta subverterint. Hic sane est error Beguardorum, qui proscriptus secundo loco fuit, sicuti legere est in Clement. *De Hæreticis* cap. 2. *Ad Nostrum: Quod jejunare non oportet hominem, nec orare, postquam gradum hujusmodi perfectionis fuerit assequutus, quia tunc sensualitas est ita perfecte spiritui, et rationi subjecta, quod homo potest libere corpori concedere quidquid placet.* Molinosius vero in sua proscripta 55. propositione tradidit, quod *per hanc vitam iterum pervenitur, etsi multa cum sufferentia; ad purgandas, et extinguendas omnes passiones, ita quod nihil amplius sentiunt, nihil, nihil.*

Prop. Vita hominum, quantumvis justorum et perfectorum, est subjecta passionum incitamentis; unde virtutis est moderari, et regere passiones secundum regulam rationis, non vero illas extinguere.

Prob. prop. Auctoritate S. Augustini lib. 14. *De Civit. Dei* cap. 9., in quo ostendit auctoritate Scripturarum, etiam vitam justorum esse obnoxiam perturbationibus. "Apud nos autem (inquit num. 1.) juxta Scripturas Sacras, sanamque doctrinam „cives sanctæ civitatis Dei in hujus vitæ peregrinatione secun„dum Deum viventes, metuunt, cupiuntque, dolent, gaudent„que." Hoc autem postquam confirmavit auctoritate Scripturarum num. 3. superaddit: "Quamobrem etiam ipse Dominus in forma „servi agere vitam dignatus humanam, sed nullum habens om„nino peccatum, adhibuit eas afflictiones, ubi adhibendas esse „judicavit. Neque enim in quo erat verum hominis corpus, et „verus hominis animus, falsus erat humanus affectus.... Verum „ille hos motus certæ dispensationis gratia, ita quum voluit, „suscepit animo humano, ut quum voluit, factus est homo." Unde post alia ita recte colligit in fine cit. cap. "Etsi nonnulli tan„to immaniore, quanto rariore vanitate hoc in se ipsis adama„verint, ut nullo prorsus erigantur, et excitentur affectu; hu„manitatem potius totam amittunt, quam veram assequantur „tranquillitatem." Quare quum virtutis neque sit, neque esse debeat, ipsam humanitatem destruere, neque etiam ad ipsam spectare potest passiones penitus exuere, sed in iisdem regendis secundum rectam rationem versetur oportet.

Unde cum S. Thoma 1. 2. quæst. 24. art. 1. adverti debet, " Quod passiones animæ dupliciter possunt considerari : uno modo secundum se, alio modo secundum quod subjacent imperio rationis, et voluntatis. Si igitur secundum se considerentur, prout scilicet sunt motus quidam irrationabilis appetitus ; sic in eis non est bonum, vel malum morale, quod dependet a ratione.... Si autem considerentur secundum quod subjacent imperio rationis, et voluntatis; sic est in eis bonum, vel malum morale. Propinquior enim est appetitus ipsi rationi, et voluntati, quam membra exteriora: quorum tamen actus sunt boni, vel mali moraliter, secundum quod sunt voluntarii. Unde multo magis et ipsæ passiones, secundum quod sunt voluntariæ, possunt dici bonæ, vel malæ moraliter." Et in seq. art. 2. loquens de passionibus animi ita habet contra Tullium: " Non enim passiones dicuntur morbi, vel perturbationes animæ, nisi quum carent moderatione rationis."

Dices. S. Joannes epist. 1. cap. 4. 18. habet : *Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem, quia timor pœnam habet: qui autem timet, non est perfectus in caritate ;* sed timor est quædam passio: ergo passiones animi in virum perfectum cadere non possunt.

R. cum S. Augustino cit. epist. num. 5. S. Joannem de eo timore loqui, quem lex vetus incutiebat, non de timore casto. Unde expendens verba Joannis S. Doctor inquit : " Non est ejus generis timor, cujus ille, quo timebat Apostolus Paulus, ne Corinthii serpentina inducerentur astutia: (a) hunc enim timorem habet caritas, immo non habet nisi caritas: sed illius est generis timor, qui non est in caritate; de quo ipse Apostolus Paulus ait : (b) *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore.*" Quicumque vero timor, semel ac regatur ipsa ratione, est virtuosus.

CAPUT SECUNDUM.

De Peccatis levibus, quatenus iisdem etiam justi sunt obnoxii.

Synodus Carthaginensis ann. 418. anathema dixit Pelagianis affirmantibus, hominem naturæ viribus a quovis peccato abstinere posse. Damnavit autem illos, non solum quia naturæ viribus tantum tribuebant, ut homo per eas a quovis peccato abstinere pos-

(a) II. *Corint.* 11. 3.
(b) *Roman.* 8. 15.

set, sed etiam quia hominem cujusvis peccati expertem esse posse contendebant. Molinosius talem dari posse statum hominis effutiit, ut per contemplationem acquisitam evadere posset immunis a peccatis tum gravibus, tum levibus, sicuti constat ex illius damnata propositione num. 57.

Prop. Quamvis singula peccata levia ab homine justo sine peculiari auxilio divinæ gratiæ vitari possint, non tamen omnia collective.

Sensus propositionis est, quodvis singulariter veniale peccatum ab homine justo vitari posse, non omnia collective accepta posse, tum quia dum ratio resistit alicui motui sensualitatis, alter fortasse repentinus insurgit, tum quia ipsa ratio non potest esse semper pervigil ad hujusmodi motus vitandos.

Prob. prop. Auctoritate tum Scripturæ, tum Patrum in Carthaginensi Concilio ann. 418. simul unitorum. In hoc ergo, tribus editis decretis, definitum fuit contra Pelagianos, hominem cujusvis peccati expertem semper esse non posse. In 6. decreto hujus Concilii ita legimus statutum „Item placuit, quod ait S. „ Joannes Apostolus: (a) *Si dixerimus, quia peccatum non ha-* „*bemus, nos ipsos seducimus; et veritas in nobis non est,* „ quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat: propter humili- „ tatem debere dici, nos habere peccatum, non vere quia ita „ est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus, et adjungit: *Si* „ *autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est, et jus-* „*tus, qui remittet vobis peccata, et mundabit vos ab iniqui-* „*tate.*" In 7. decreto hæc leguntur. „Item placuit, ut qui- „ cumque dixerit: ideo in oratione Dominica dicere Sanctos: *di-* „*mitte nobis debita nostra*, ut non pro se ipsis hæc dicant, „ sed pro aliis, qui sunt in populo peccatores, et ideo non di- „ cere unumquemque Sanctorum: *dimitte mihi debita mea, sed* „*dimmite nobis debita nostra*, et hæc pro aliis potius, quam „ pro se, justus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim, „ et justus erat Apostolus Jacobus, quum dicebat: *in multis of-* „*fendimus omnes.* Nam quare additum est: *omnes*, nisi ista „ sententia conveniret et psalmo, ubi legitur: (b) *Non intres* „*in judicio cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu* „*tuo omnis vivens?*" In 8. demum decreto ita Patres: „Item „ placuit, ut quicumque verba ipsa Dominicæ orationis, ubi di- „ cimus: *dimitte nobis debita nostra*, ita volunt a Sanctis dici, „ *ut humiliter*, non veraciter hoc dicatur, anathema sit. Quis „ enim ferat orantem, et non hominibus, sed ipsi Domino men- „ tientem: qui labiis sibi dicit dimitti velle, et corde dicit, „ quæ sibi dimittantur, se debita non habere?" Hæc in Syno-

(a) Epist. I. 1. 8.
(b) Psalm. 142. v. 2.

do Carthaginensi in condemnationem Pelagiani erroris sancita fuerunt: in Synodo, inquam, Carthaginensi, licet Milevitano Concilio I. in collectione Conciliorum tribuantur, sicut advertit De Rubeis in Tract. *De Carit*, cap. 36., sequutus Natalem ab Alexandro, Henricum Norisium, et Pagium. Etiam Patres Concilii Tridentini eumdem errorem, ac Carthaginenses, sess. 6. can. 23. his verbis proscripserunt: *Si quis hominem semel justificatum dixerit..... posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.*

Dices I. Christus *Matt.* 5. 48. ait: „Estote ergo perfecti, „sicut et Pater vester cælestis perfectus est." Apostolus II. *Corint.* 13. 11. „De cetero, fratres, gaudete, perfecti estote:" ad *Coloss.* cap. 1. 22. *Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos, et immaculatos, et irreprehensibiles coram ipso.* Ex his ergo constat, juxta divinum præceptum nostram perfectionem talem esse debere, ut cujusvis levissimi peccati simus expertes; ergo justus vitare posse debet omnia levia peccata collective accepta.

R. hisce locis, aliisque similibus tum ex Veteri, tum ex Novo Testamento depromptis, atque descriptis in quadam cartula (quæ, uti inquit S. Augustinus lib. 1. *De Perfect. justit.* num. 1., *prænotata erat: definitiones, ut dicitur, Cælestii*) ita paucis respondet S. Doctor in eodem lib. num. 20. „Horum testimo„niorum aliqua currentes exhortantur, ut perfecte currant: ali„qua ipsum finem commemorant, quo currendo pertendant. „Ingredi autem sine macula non absurde etiam ille dicitur, „non qui jam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem „irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, at„que ipsa peccata venialia non negligens mundare eleemosynis." Præter supradicta etiam alia multa apud S. Augustinum in eodem lib. Cælestium legitur opposuisse ad evincendum abstinere posse hominem non solum a singulis, sed etiam collective ab omnibus levibus peccatis. Verum nunc instituti nostri ratio non patitur, ut singula persequamur; immo vero id frustra niteremur, quum jam fuse ostenderimus, propter peccatum Adæ, humanam naturam ab eo statu decidisse, in quo creata fuerat, omnesque contraxisse labem originalis peccati, atque effectibus illius esse subjectos. Cælestius autem in plerisque suis argumentationibus, naturam humanam non infectam esse peccato, falso supponit.

Veniamus ad S. Augustinum: illius ergo hac de re sententiam De Rubeis in Tract. Theologico *De Caritate* cap. 26. diligenter, accurateque discussit. Neminem sine adjutorio gratiæ aut acquirere justitiam, aut in ea posse proficere, pro certissimo dogmate fidei semper habuit. Ceterum in lib. *De Spiritu,*

et litt. num. 8. ait *non multum errare, aut perniciose* illum, qui putaverit, quempiam vixisse sine peccato, licet contra se sentire profiteatur. Epist. ad Hilarium alias 89,, nunc 157. num. 4. *tolerandos* dicit illos, qui affirmant, esse, vel fuisse aliquem *præter unum* Sanctum Sanctorum, qui nullum haberet omnino peccatum. In lib. *De Perfect. just.* idem affirmat, sicuti modo vidimus. Lib. *De Natur. et grat.* num. 70. utrum aliquis ita juste vivere possit, ut nullum prorsus peccatum committat, inter, veros piosque Christianos quæstionem esse posse tradit. Lib. *De Gestis Pelagii* num. 55. affirmat, non esse *definitum*, utrum homo justus dari possit ullo sine peccato, quique non indigeat dicere pro se: dimitte nobis debita nostra. Ita S. Augustinus in citatis libris a se scriptis ante annum 418., in quo Patres Carthaginenses simul congregati definierunt, tribus editis decretis, neminem ullo sine peccato esse posse. Post hæc decreta Concilii Carthaginensis S. Augustinus in libris, quos deinde elucubravit, rem istam uti incertam, saltem aliquo modo, non habuit, sed firmissime docuit, quod in Concilio Carthaginensi definitum fuerat. Nam lib. *De Grat. Christi* num. 54. refellit Pelagium, et Cælestium abutentes in hanc rem auctoritate Ambrosii. Lib. 4. *Cont. duas epist. Pelagian.* ita contra illos insurgit: „Illud jam tertium videamus, „ quod non minus in istis omne Christi membrum, et totum „ ejus corpus exhorret, qui contendunt esse in hac vita, vel „ fuisse justos nullum habentes omnino peccatum. Qua præsumptione apertissime orationi Dominicæ contradicunt, in qua omnia membra Christi, dimitte nobis debita nostra, veraci „ corde, et quotidianis vocibus clamant." Id vero subinde pluribus ex S. Cypriano desumptis locis confirmat. S. Augustinus igitur post edita hac de re decreta a Concilio Carthaginensi uti falsum rejecit, esse, vel fuisse justum cujusvis peccati expertem.

Dices II. cum Pelagianis apud S. Hieronymum lib. 1. *Advers. Pelagian.* num. 7. *Qui potest uno die abstinere a peccato, posse et altero, qui duobus, posse et tribus, qui tribus, posse et triginta, atque hoc ordine posse et trecentis, et tribus millibus, et quandiucumque se voluerit abstinere.* Hæc autem argumentatio evincit, hominem justum ab omnibus collective peccatis levivus abstinere posse.

R. cum. S. Hieronymo lib. 3. *Advers. Pelagian.* num. 12. „ posse hominem non peccare, si velit, pro tempore, pro loco, pro imbecillitate corporea, quandiu intentus est animus, „ quandiu chorda nullo vitio laxatur in cithara: quod si paulum se remiserit, quomodo qui adverso flumine lembum trahit, si remiserit manus, statim retro trahitur, et fluentibus „ aquis, quo non vult, ducitur; sic humana conditio si paulu-

„ lum se remiserit, discit fragilitatem suam, et multa se non „ posse cognoscit." Hoc idem inculcat Angelicus 1. 2. quæst. 109. art. 8., in quo ait, quod „ Non potest homo abstinere „ ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appe- „ titus sensualitatis: cujus motus singulos ratio quidem reprime- „ re potest, et ex hoc habent rationem peccati, et voluntarii, „ non autem omnes, quia dum uni resistere nititur, fortassis „ alius insurgit, et etiam quia ratio non potest esse semper „ pervigil ad hujusmodi motus vitandos."

LIBER OCTAVUS.

De Peccatis, quatenus ex iis nullum est, quod remitti non possit.

De duobus in hoc libro disputavimus: in priori capite illius contra Novatianos disseremus de potestate remittendorum omnium peccatorum, quæ est in Ecclesia: in altero de illa disciplina, quæ tribus primis Ecclesiæ seculis servata fuit in absolutione quorundam criminum.

CAPUT PRIMUM.

De ea potestate, quæ est in Ecclesia, remittendi quævis peccata.

Non esse potestatem in Ecclesia remittendi peccata commissa post baptismum, primo propugnarunt Montanistæ, quorum errorem etiam Tertullianus sequutus fuit, sicuti contra nonnullos ostendit Natalis ab Alexandro in *Hist. Eccl.* sec. 2. dissert. 9., deinde Novatiani. Utrum Montanistæ, et Novatiani ademerint Ecclesiæ potestatem remittendi quædam solummodo graviora crimina, videlicet, idololatriæ, mœchiæ, et homicidii, an vero etiam alia quævis gravia crimina, inter Theologos disputatur. Illud auctoritate S. Ambrosii lib. 1. *De Pœnit.* cap. 3. constare videtur, antiquiores Montanistas, atque Novatianos quævis gravia crimina dimittendi potestatem Ecclesiæ ademisse, recentiores vero potestatem dimittendi tria tantum prædicta graviora crimina.

Prop. Nullum est peccatum, quod per pœnitentiam expiari, et auctoritate Ecclesiæ remitti non possit.

Prob. prop., Cujus priorem partem ostendunt omnia ea loca Scripturarum, in quibus Deus promittit veniam peccatoribus, semel ac egerint pœnitentiam suorum peccatorum. *Isai.* 55. 7. inquit Dominus: *Derelinquat impius viam suam, et vir iniquus cogitationes suas, et revertatur ad Dominum, et miserebitur ejus, et ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Alia hujus generis non est, cur superaddamus, quamvis multa possemus. Unde ita colligimus cum Tertulliano, quando ab unitate Ecclesiæ nondum recesserat, lib. *De Pœnit.* cap. 4. „Omnibus ergo delictis, seu carne, seu spiritu, seu facto, „seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, „idem et veniam per pœnitentiam spopondit, dicens ad popu„lum: pœnitere, et salvum faciam te: et iterum: vivo, inquit „Dominus, pœnitentiam malo, quam mortem." Hoc genus argumenti non minus solide, et acute, quam Tertullianus, urget contra Novatianos etiam S. Cyprianus epist. 72. ad Autonianum.

Prob. altera pars. *Joan.* 20. 22. et seq. ita Christus ad Apostolos: „Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis pecca„ta, remittentur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt." Hinc S. Leo M. epist. alias 91., nunc 83. ad Theodorum Episcopum cap. 3. inquit: „Mediator enim Dei, et hominum homo „Christus Jesus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, „ut et confitentibus actionem pœnitentiæ darent, et eosdem sa„lubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum „per januam reconciliationis admitterent." Quum vero, sicuti legitur apud S. Ambrosium lib. 1. *De Pœnit.* cap. 2. num. 6. Novatiani reponerent; Se *Domino deferre reverentiam, cui solum remittendorum criminum potestatem reservent;* ita contra illos insurgit S. Ambrosius: „Immo nulli majorem injuriam fa„ciunt, quam qui ejus volunt mandata rescindere, commissum „munus refundere. Nam quum ipse in Evangelio suo dixerit „Dominus Jesus: (a) *accipite Spiritum Sanctum, quorum re„miseritis peccata, remittentur eis: et quorum detinueritis, „detenta erunt:* quis est ergo, qui magis honorat, utrum qui „mandatis obtemperat, an qui resistit? Ecclesia in utroque „servat obedientiam, ut peccatum et alliget, et relaxet: hæ„resis in altero inmitis, in altero inobediens; vult ligare, quod „non resolvat: non vult solvere, quod ligavit: in quo se sua „damnat sententia. Dominus enim par jus et solvendi esse vo„luit, et ligandi, qui utrumque pari conditione permissit." In eamdem rem S. Pacianus Episcopus Barcinonensis in sua 1. epist. ad Symphronianum plura habet, quibus Novatianos solide præmit.

(a) Cit. loc.

Statim ac hæc falsa doctrina Montanistarum in Asia minori sec. 2. propagata fuit, sicut Eusebius ex quodam veteri scripto refert *Histor. Eccles.* lib. 5. cap. 15., *damnata fuit ab Ecclesia, et fidelium communione expulsi* fuerunt Montanistæ. Etiam Ecclesia Gallicana nascentem hæresim Montani damnavit, suumque de ea judicium inseruit in epist. a se data ad Ecclesias Asiæ, atque Phrygiæ, sicuti legitur apud Eusebium lib. 5. *Eccles. Hist.* cap. 5.

Anno 255., sicuti censet Baronius, Romæ celebratum fuit Concilium a Cornelio Romano Pontifice, in quo Novatianus, illiusque sectatores damnati fuerunt, sicuti Eusebius tradit lib. 6. *Eccles. Hist.* cap. 43., qui etiam superaddit, adhuc extare „Epistolas Cornelii Romanorum Episcopi ad Fabium Antio„chensis Ecclesiæ Præsulem missas, in quibus et Romanæ Sy„nodi gesta, et omnium per Italiam, Africam, aliasque loco„rum illorum provincias sententiæ declarantur." In Africa habitum Concilium 41. Episcoporum, atque in eo statutum, ut pax daretur lapsis, ex S. Cypriano novimus epist. 54. ad Cornelium.

Dices. I. *Regum.* 2. 25. hæc habentur „Si peccaverit vir „in virum, placari ei potest Deus: si autem in Dominum pec„cabit vir, quis orabit pro eo?" Item S. Joannes epist. 1. cap. 5. 16. *Qui scit, fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, et dabitur ei vita peccanti non ad mortem: est peccatum ad mortem; non pro illo dico, ut roget quis.* Unde ita: illud peccatum est irremisibile, quod ut dimittatur, rogandum non est; sed ex præcitatis locis constat dari peccatum hujus conditionis: ergo.

R. neg. min., quandoquidem, sicuti animadvertit S. Ambrosius lib. 1. *De Pœnit.* cap. 90. num. 40. et seq, „Non enim „scriptum est, nullus orabit pro eo: sed, quis orabit, hoc est, „quis ille sit, qui in tali causa orare possit, quæritur, non „excluditur. Denique habes in Psalm. 14. v. 1. *Domine quis „habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte „sancto tuo?* non enim nullus, sed probatus habitabit: nec hoc „dicit, quod nemo requiescat, sed requiescat electus.... Simi„liter igitur accipiendum: *quis orabit pro eo?* hoc est, sin„gularis vitæ aliquis debet orare pro eo, qui peccavit in Do„minum. Quo major culpa, eo majora sunt ferenda suffragia. „Non enim quicumque de vulgo pro Judæorum populo; sed „Moyses rogavit, quando vituli caput fidei immemores adora„verunt."

Unde cap. 10. num. 49. explicaturus alterum locum Joannis hæc præmittit: „Tales igitur deprecatores in delictis ma„ximis sunt requirendi: nam si quicumque de populo orent, „non exaudiuntur." Quapropter num. 45. advertit, quod S.

Joann. „Non ad Moysem, aut Hieremiam loquebatur, sed ad „populum, qui suorum peccatorum alium precatorem deberet „adhibere." Postea vero cap. 11. num. 48. provocat Novatianos ad Evangelium ejusdem Apostoli, in quo affirmat idem Apostolus, 3. v. 16. Deum mundo dedisse unigenitum sunm, *ut omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ex his autem ita iterum Novatianos premit: „Si „quem ergo lapsum revocare cupias, ut credat, an ut non „credat, hortaris? Utique ut credat. Sed qui credit juxta Do- „mini sententiam, habebit vitam æternam. Quomodo ergo pro- „hibebis orare pro eo, cui æterna vita debetur?" S. Thomas quæst. 3. *De Malo* art. 15. ad 4., et quæst. 24. *De Verit.* art. 11. ad 8. præter explicationem S. Ambrosii, quam sequitur, hanc alteram superaddit, videlicet, S. Joannem de illo peccato fuisse loquutum in quo aliquis usque ad mortem perseverat, pro quo sane nullus est locus veniæ.

C. Dari peccatum, quod in se spectatum sit irremissibile docuit Christus *Matt.* 12. 31. et seq. dicens: *Ideo dico vobis omne peccatum, et blasphemia remittetur hominibus: spiritus autem blasphemiæ non remittetur: et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro.* Dubitari ergo non potest, quin aliquod peccatum sit irremissibile.

R. explicationem hujus loci adeo difficilem visam S. Augustino fuisse, ut Serm. alias 11. *De Verbis Domini,* nunc 71. num. 6. asseruerit, quod „Forte in omnibus Sanctis Scripturis „nulla major quæstio, nulla difficilior invenitur." Post multa vero a se disputata num. 20. constituit, quid sit spiritus blasphæmiæ, et quid verbum contra Spiritum Sanctum, quæ dicuntur non remmitti neque in hoc seculo, neque in futuro: „Contra „hoc donum gratuitum Spiritus Sancti (inquit) contra istam „Dei gratiam loquitur cor impœnitens. Ipsa ergo impœnitentia „est Spiritus Sancti blasphemati, et verbum contra Spiritum „Sanctum..... non habet remissionem neque in hoc seculo, ne- „que in futuro.... quia pœnitentia impetrat remissionem in hoc „seculo, ut valeat in futuro." Unde superaddit, quod contra impœnitentiam „Clamabant et præco, et judex dicentes: pœ- „nitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum, con- „tra quam Dominus os Evangelicæ prædicationis aperuit, et „contra quam ipsum Evangelium in toto orbe prædicandum es- „se prædixit."

C. Apostolus *Hebræor.* 6. 4. et seq. *Impossibile est* (inquit) *eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cæleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, et pro-*

lapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibimetipsis filium Dei, et ostentui habentes. Apostolus igitur docuit, esse impossibile, ut renoventur ad pœnitentiam, qui peccaverunt.

R., dist. cons., ut renoventur ad pœnitentiam per renovationem regenerationis, quæ fit in baptismate, conc., per renovationem reconciliationis, quæ fit per pœnitentiam, neg. Apostolum loquutum fuisse de baptismate, quod Patres priorum seculorum vocarunt Sacramentum Illuminationis, pluribus ostendit S. Ambrosius lib. 2. *De Pœnit.* cap. 2. Unde ita ipse contra Novatianos num. 2. „Nunquid Paulus adversus factum suum „prædicare potuit? Donavit Corinthio peccatum per pœnitentiam, „quomodo hic potuit sententiam suam reprehendere? (num. 8.) „De baptismate autem dictum verba ipsa declarant, quibus sig„nificavit, impossibile esse, lapsos renovari in pœnitentiam: per „lavacrum enim renovamur, per quod renascimur, sicut ipse „Paulus dicit. Illud quoque evidens, quod in eo, qui bapti„zatur, crucifigitur filius Dei, quia non potuit caro nostra abo„lere peccatum, nisi crucifixa esset in Cristo Jesu. Denique „scriptum est, quia (a) *quicumque baptizati sumus in Christo „Jesu, in morte ipsius baptizati sumus....* Ergo quod ait in „hac epistola, quæ scribitur ad Hebræos: *impossibile esse lap„sos renovari ad pœnitentiam, rursus crucifigentes filium Dei, „et ostentatione triumphantes*, eo spectat, ut de baptismo dic„tum credamus, in quo crucifigimus filium Dei in nobis."

C. Apostolus in cit. epist. ad Hebræos 10. 26. et seq. ita habet: *Voluntarie peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio judicii, et ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios.* Voluntarie igitur peccantibus post acceptam notitiam veritatis, hoc est, post baptismum, nulla hostia relinquitur pro peccatis: ergo.

R. explicando sensum verborum Apostoli: et Apostolus respicit sacrificium cordis contribulati, neg. respicit sacrificium illud, de quo antea loquutus fuit, conc. „Nam et illud (inquit S. Au„gustinus in *Expos. inchoata epist. ad Rom.* num. 19.) ad „Hebræos, qui diligentius pertractant, sic intelligunt, ut non „de sacrificio tribulati per pœnitentiam cordis accipiendum sit, „quod dictum est: non adhuc pro peccatis relinquitur sacrifi„cium: sed sacrificium, de quo tunc loquebatur Apostolus, id „est, holocausto dominicæ passionis, quod eo tempore offert „quisque pro peccatis suis, quo ejusdem passionis fide dedica„tur, et Christianorum fidelium nomine baptizatus imbuitur: ut „hoc significaverit Apostolus, non posse deinceps eum, qui pec„caverit, iterum baptizando purgari."

(a) Roman. 6. v. 3.

CAPUT SECUNDUM.

De Disciplina, quæ tribus primis Ecclesiæ seculis servata fuit in absolutione quorumdam criminum capitalium.

Illud debet animadverti, non obstare communi usui Ecclesiæ, Præsules aliquarum Ecclesiarum reis quorumdam criminum, licet veniam petentibus, et in ultimo discrimine vitæ constitutis, absolutionem denegasse, sicut de nonnullis præsulibus Ecclesiæ Africanæ constat ex epistola 52. S. Cypriani ad Antonianum, quos tamen propter hoc Ecclesia a sua communione non separavit, non obstare, inquam, usui communi Ecclesiæ semel ac Ecclesia universe, atque generatim contrarium servaverit.

A viris eruditissimis disputatur, utrum potissimum tribus primis Ecclesiæ seculis reis capitalium criminum communionem denegaverit Ecclesia, an eosdem de suo peccato revera dolentes, agentesque pœnitentiam in suam communionem receperit. Ad communionem ab Ecclesia receptos non fuisse, non ideo tamen quatenus aut crimina illorum irremissibilia essent, aut eorum remittendorum potestatem Ecclesia non haberet, Petavius, Lupus, Juveninus, Martene, atque alii tuentur; contra sentiunt Morinus, Natalis ab Alexandro, et Orsius in peculiari Historica Dissertatione, in qua cum magna eruditione collegit quidquid ad rem istam spectare potest. Sicuti vero vir Clariss. advertit ejusdem dissertat. sect. 1. cap. 1. num. 1., illud attendi debet, Theologos ævi recentioris nomine criminum capitalium intelligere ea, quæ aliorum criminum chorum ducunt, eorumque sunt quodammodo radices. Patres autem vetustiores significatione contractiori crimina capitalia acceperunt, illaque intellexerunt, quæ pietati, sanctitati, atque mansuetudini religionis Christianæ singulariter adversantur, atque eorum remittendorum potestatem Montanistæ, et Novatiani denegarunt Ecclesiæ, cujusmodi sunt idololatria, mœchia, et homicidium.

Prop. I. Ecclesia summo jure utens generali lege non potest interdicere communionem Sacramentorum reis criminum capitalium, qui implorant misericordiam illius, et veræ pœnitentiæ non dubia argumenta præseferunt.

Prob. prop. Profecto Ecclesia, Præsules illius, atque Sacerdotes sunt ministri, atque dispensatores, non vero auctores, et arbitri mysteriorum Dei, proptereaque in administratione illorum sese conformare ad nutum ejus debent, qui est auctor ipsorum sacramentorum. At vero in Sacris litteris nihil magis aper-

te inculcatur, quam Deum nolle mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, et vivat; a se repellere neminem, qui ad ipsum ex toto corde in jejunio, fletu, et planctu revertatur: propterea Christus, nulla habita distinctione peccatorum simpliciter dedit Apostolis quæcumque ligandi, solvendique potestatem. Ecclesia igitur summo jure utens communionem Sacramentorum non potest interdicere reis graviorum, seu capitalium scelerum, qui implorant misericordiam illius, et veræ pœnitentiæ non dubia argumenta præseferunt.

Hinc Clerus Romanus epist. 31. apud S. Cyprianum consultus ea de ratione, quæ in lapsis ad pœnitentiam recipiendis servari deberent, post multa alia ita habet: „Sed lapsorum curam mediocriter temperandam esse, credimus, ut interim dum „Episcopus dari nobis a Deo sustinetur, in suspenso eorum, „qui moras possunt dilationis sustinere, causa teneatur: eorum „autem, quorum vitæ suæ finem urgens exitus dilationem non „potest ferre, acta pœnitentia, et professa frequenter suorum „detestatione factorum.... ita demum caute, et sollicite subveniri.... ut nec pronam nostram improbi homines laudent facilitatem, nec vere pœnitentes accusent nostram quasi duram „crudelitatem." Et S. Cyprianus epist. 52. ad Antonianum, multis in medium prolatis Scripturæ locis, quibus misericordia Dei erga peccatores commendatur, ait: „Semianimem fratrem „jacentem, sicut in Evangelio Sacerdos, et Levites, præterimus? An vero ut Sacerdotes Dei, et Christi, quod Christus „docuit, et fecit imitantes, vulneratum de adversarii faucibus „rapimus, ut curatum Deo judici reservemus?... Nam et mœchis a nobis pœnitentiæ tempus conceditur, et pax datur."

Et re quidem vera Tridentini Patres sess. 21. cap. 1. loquentes de illa potestate, qua laicis interdictus fuit usus calicis, declarant: „nullo divino præcepto Laicos, et Clericos non con„ficientes obligari ad Eucharistiæ sacramentum sub utraque spe„cie sumendum: neque ullo pacto salva fide, dubitari posse „quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat." His autem verbis significant, nunquam Ecclesiam sibi fuisse vindicaturam illam potestatem, si ad sumptionem utriusque speciei Laici, et Clerici non conficientes præcepto divino obligarentur. Nemo autem negat, iidemque Tridentini Patres definierunt sess. 14. cap. 5., et can. 6. ac 7., Sacramentum pœnitentiæ ad remisssionem peccatorum post baptisma commissorum jure Divino necessarium esse, ac propterea eodem jure, quo peccatores pœnitentes absolutionem peccatorum petere possunt, Ecclesiam solvere debere illos a peccatis, quando de eorumdem vera dispositione non occurrit dubium aliquod rationabile.

Dices. Sicuti constat ex cit. epist. 52. S. Cypriani, quidam Episcopi in Africa ipsius S. Cypriani prædecessores *in totum*

pœnitentiæ locum contra adulteria clauserunt. Non tamen a Coepiscoporum suorum collegio recesserunt. Quin immo ipse S. Cyprianus tradit in eadem epist., communionem illis denegandam esse, qui pœnitentiam agere distulerunt usque ad mortem. Quod sane sanxerunt etiam Patres I. Concilii Arelatensis can. 22. In Concilio autem Eliberitano can. 6. 7. et 8. decretum fuit, ut qui incidissent in idololatriam, nec *in fine vitæ acciperent communionem.* Hæc autem ostendunt, esse penes arbitrium ministrorum Ecclesiæ, admittere, vel non admittere peccatores ad sacramentum pœnitentiæ.

R. ea, quæ spectabant ad pœnitentiam lapsorum, et ad communionem iisdem concedendam, vel denegandam, prudentiæ, et arbitrio Episcoporum primis Ecclesiæ seculis relicta fuisse, ita ut, Clero potissimum adhibito in consilium, atque expensis omnibus, quibus de vera pœnitentia lapsorum constare poterat, aliisque omnibus circumstantiis præhabitis ante oculos, Episcopi ad communionem eosdem reciperent, vel non reciperent. Unde S. Cyprianus in cit. epist. *Manente* (inquit) *concordiæ vinculo, et perseverante Catholicæ Ecclesiæ individuo sacramento, actum suum disponit, et dirigit unusquisque Episcopus rationem propositi sui Domino redditurus.* Hinc nonnulli Episcopi etiam longe ante tempus Concilii Arelatensis sanxerunt, communionem iis lapsis esse denegandam, qui pœnitentiam agere distulerant usque ad mortem. Hac in sententia fuit etiam S. Cyprianus, licet in citata epistola miraretur: *Quosdam sic obstinatos esse, ut dandam non putarent lapsis pœnitentiam, aut pœnitentibus veniam denegandam.* Affirmat enim, pœnitentiam non agentes esse prohibendos a spe comunicationis, et pacis: *Si in infirmitate, et in periculo cœperint deprecari, quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit.* Quia igitur aliqui Episcopi putarunt, non sinceram, et corde conceptam, sed provenientem a solo periculo mortis esse illam pœnitentiam, quam lapsi usque ad mortem agere distulerant, ideo illos, imminente morte, ad communionem recipi non debere statuerunt. Ob defectum ergo dispositionis, quem in hujusmodi pœnitentibus supposuerunt, communionem iisdem denegarunt.

In Eliberitana Synodo fuit quidem statutum, ut lapsi ne in morte quidem communionem acciperent : attamen in aliis celebratis ante Nicænam, videlicet, in Arelatensi I., Ancyrana, et Neocæsariensi in Petri Alexandrini Capitulis, atque in ipso Concilio Nicæno, nihil tale tam asperum, atque immite legimus constitutum, quemadmodum animadvertit Cl. Orsius in cit. dissert. sect. 4. cap. 2.

Nunc, ut constaret, tribus primis seculis communi consensione Ecclesiæ lapsis denegatam non fuisse communionem, semel ac pœ-

nitentiæ certa, veraque argumenta præberent, illud esset ostendendum a nobis, id servatum esse in Ecclesiis Apostolicis. Rem istam Cl. Orsius omnino confecit in cit. Dissert., et certis Ecclesiarum Apostolicarum monumentis in medium prolatis, evidenter evicit, nunquam apud eas negatam fuisse absolutionem vere pœnitentibus, quodvis tandem illi crimen admisissent. Nimis in longum, contra instituti nostri rationem, nos progredi oporteret, semel ac vestigia ejus premere vellemus. Quare quod volumus, ita paucis.

Prop. II. Si illorum argumentorum ratio habeatur, quibus SS. Patres, Cyprianus, Dionysius Alexandrinus, Pacianus, et Ambrosius errorem Novatianorum confutarunt, unicuique perspectum esse debet, non solum eo tempore, quo ipsi decertarunt contra Novatianos, sed etiam anteriori reis quorumcumque criminum, revera pœnitentibus, communionem ab Ecclesia denegatam non fuisse.

Prob. prop. S. Cyprianus epist. 52. ad Antonianum insimulat Novatianos superbiæ, inhumanitatis, atque crudelitatis, hisce præmissis, ait: *Neminem putamus a fructu satisfactionis, et spe pacis arcendum, quum sciamus juxta Divinarum Scripturarum fidem, auctore, et hortatore ipso Deo, et ad agendam pœnitentiam peccatorum redigi, et veniam, atque indulgentiam pœnitentibus non denegari.* Hisce vero similia habet etiam in omnibus aliis epistolis, in quibus agit contra Novatianos. S. Dionysius Episcopus Alexandrinus in epist. ad Fabium Antiochenum apud Eusebium lib. 6. *Eccl. Hist.* cap. 42. inquit: *Ordinem constitutum evertemus, Dei ipsius indignationem provocabimus?* scilicet non recipiendo in communionem illos, qui in persequutione lapsi fuerant, suique criminis pœnitentiam agebant. Et in altera epist. ad Dionysium apud eumdem Eusebium lib. 7. cap. 8. ait, quod Novatianus *Clementissimum Dominum nostrum Jesum Christum quasi implacabilem calumnietur.* S. Pacianus epist. 1. ad Sympronianum ita ad Novatianos: *Desinite Divinam accusare pietatem, tot cœlestis clementiæ titulos objecto rigoris evadere, et gratuita Domini bona inobsecrabili asperitate prohibere.* S. Ambrosius in duobus libris *De Pœnit.* hæc, et alia similia semper urget contra Novatianos, atque eos arguit impietatis, et crudelitatis, atque contemptores esse dicit non solum sanctionis Ecclesiasticæ, sed etiam verbi divini. Ex quibus nunc ita paucis quod volumus. Semel ac admittatur, in Ecclesia negatam fuisse communionem iis, qui certa gravia crimina commisissent, licet ipsi de sua vera pœnitentia nullum dubitandi locum relinquerent; tunc sane quæ Patres exprobrarunt Novatianis, ipsi Novatiani, saltem quoad aliqua certa determinata crimina, Ecclesiæ potuissent exprobrare. Quisnam autem unquam dixerit, id non vidisse Patres, ac propterea contra No-

vatianos usos ea argumentatione fuisse, quæ etiam contra se aliqua saltem ex parte æque faceret? Rursus Novatiani, qui aliunde suum errorem etiam auctoritate Scripturarum confirmare diligentissime studuerunt, reponere non neglexissent, loca Scripturarum, quæ contra se in medium afferebantur, non minus contra se illa facere, quam contra ipsam Ecclesiam. Id autem aliquando fecisse non legimus, licet in defensionem sui erroris ad Scripturas appellare non omiserint. Quamobrem si ratio habeatur, sicuti revera haberi debet, eorum omnium argumentorum, quibus SS. Patres decertarunt contra Novatianos, nullus superest dubitandi locus, graviorum quorumdam criminum reis, eisque vere pœnitentibus, Ecclesiam tribus primis seculis ad suam communionem recepisse.

Labente igitur tertio seculo, reis criminum capitalium pœnas graviores, quam primis seculis, fuisse constitutas cum Orsio cit. dissertat. sect. 4. cap. 2. dicendum est. Hoc autem ipse pluribus confirmavit, et causas indicavit, propter quas Patres, desinente seculo tertio, disciplinam severiorem statuerint. Tamen in decretis severioribus, quæ hac de re ediderunt, mentem eorum nunquam fuisse, vere pœnitentes a communione omnino excludere, autumat vir Sapientissimus in cap. 3. ejusdem sectionis „Laudatis itaque canonibus (ita ipse loquens de canonibus Concilii Eliberitani, et Sardicensis) potius censeo, Sanctissimos Patres demonstrare peccatoribus voluisse, quod pœnæ genus eorum sceleribus deberetur, quam eis spem omnem consequendæ pacis, et recuperandæ salutis adimere: vehementiores illis ad lacrymas, gemitusque stimulos admovere, non autem orandi, ac pœnitendi studium omnemque fervorem succidere. Id potissimum de Sardicensis Concilii Patribus cogitandum est. Non enim probabile videtur, sancitam paulo ante in magna Nicæna Synodo legem, ut nemo recedens ex corpore necessario vitæ suæ Viatico defraudetur, abrogare Sardicæ voluisse, quum contra nihil antiquius habuerint, quam ut Nicænis Actis, decretisque pondus adjungerent, et firmitatem, ac præsertim Hosius, cujus in utraque Synodo præcipuæ partes fuerunt."

LIBER NONUS.

De Peccato Philosophico.

Peccatum Philosophicum esse illud, nonnulli effutierunt, quod adversatur naturæ rationali, et rectæ rationi, Theologicum au-

tem, et mortale, quod adversatur legi Dei: unde dixerunt, peccatum philosophicum licet in se grave, non esse neque peccatum mortale, neque offensam Dei, amicitiæ Dei non officere, atque non mereri æternam pœnam in illo, qui Deum ignorat, aut actu non cogitat de Deo. Hujusmodi sane errores continentur in hac propositione, quam numer. 2. damnavit Alexander VIII. die 24. Aug. ann. 1690. „Peccatum philosophicum, seu „morale, est actus humanus disconveniens naturæ rationali, et „rectæ rationi. Theologicum vero, et mortale est transgressio „libera Divinæ legis. Philosophicum, quamtumvis grave in illo, „qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est „grave peccatum, sed non offensa Dei, neque peccatum mor„tale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum."

Peccatum ergo philosophicum duplici æque falso principio nititur: prius est; dari posse peccatum, quod sit tantum contra naturam rationalem, rectamque rationem, nullo autem modo sit contra legem Dei, propterea que dici non possit peccatum mortale, quod tollat amicitiam Dei, æternamque pœnam mereatur: alterum vero propter ignorantiam invincibilem Dei, aut defectum advertentiæ ad Deum fieri, ut hujusmodi peccatum, licet in se grave, sit philosophicum, non vero peccatum mortale, quo Deus lædatur. Defectus hujusmodi advertentiæ actualis considerari potest tum quatenus quis, quando peccat, non advertit ad pravitatem actionis, atque ad offensam, quæ Deo propter illam irrogatur; tum quatenus non habet prævíam cognitionem peccati, nulloque prævio desiderio agitur vitandi peccatum. Invincibilem ignorantiam Dei dari in nemine posse, jam ostendimus in initio harum institutionum, quando egimus de existentia Dei. Unde non est, cur modo rem actam agamus, ut ostendamus falsitatem prioris fundamenti, cui nituntur defensores peccati philosophici. Istorum igitur nulla a nobis singulariter facta mentione, quoniam ea fieri sine illorum maximo dedecore non posset, neque depulsa ea calumnia, qua nonnulli hujus erroris insimulati fuerunt; hoc autem accurate jam præstitit Concina in Apparatu ad Theol. tom. 2. lib. 3. dissert. 1. cap. 10. §. 1. et seqq., contra alterum fundamentum in tribus capitibus disputabimus: in 1. de contrarietate, quam habet etiam cum lege Dei illud peccatum, quod est contra naturam rationalem, rectamque rationem: in 2. de culpa Theologica peccati, etiamsi actu non habeatur attentio aut ad pravitatem actionis, aut ad offensam Dei, quando illud committitur: in 3. de culpa Theologica peccati, etsi qui peccat prævíam peccati cognitionem, sua tamen culpa, non habeat, aut prævio desiderio vitandi peccatum non agatur.

CAPUT PRIMUM.

De contrarietate, quam habet etiam cum lege Dei illud peccatum, quod est contra naturam rationalem, rectamque rationem.

Illud adverto verum quidem esse, quod, sicuti tradit S. Thomas 1. 2. quæst. 71. art. 6. ad 5., *A Theologis consideratur peccatum præcipue secundum quod est offensa contra Deum, a Philosopho morali secundum quod contrariatur rationi*; tamen nihil minus inde consequitur, vel consequi potest, quam quod vellent patroni peccati philosophici. Per hoc enim quod Philosophus peccatum consideret solummodo secundum relationem contrarietatis, quam habet cum ratione, et Theologus secundum contrarietatem, quam habet cum lege Dei, hac sane distinctione mentis illorum non fit, ut peccatum, quod opponitur rationi, simul etiam non opponatur legi Dei, et quod opponitur legi Dei, simul etiam semper, saltem aliquo modo, non opponatur rationi. Profecto nimis multa sunt, quæ, licet secum invicem unita immutabiliter, nostra mente ab invicem separamus, ut illorum magis distinctam cognitionem assequamur; non tamen inde sequitur, ut illa secum invicem realiter unita esse desinant. Physicus v. g. in homine vivente considerat corpus, illiusque affectiones, metaphysicus animam, illiusque vires: anne inde fit, ut in homine vivente anima separata sit a corpore? Hac re in bono lumine posita, nunc quod volumus.

Prop. Quod naturæ rationali, rectæque rationi adversatur, simul etiam adversatur legi æternæ Dei.

Prob. prop. „Hoc igitur dico, et testificor in Domino (in„quit Apostolus *Ephes.* 4. 17. et seqq.) ut jam non ambu„letis, sicut et gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris „obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignoran„tiam, quæ est in illis, propter cæcitatem cordis ipsorum, qui „desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem im„munditiæ omnis, in avaritiam." Et I. *ad Thessal* 4. 4. et seq. *Ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in satisfactione, et honore, non in passione desiderii, sicut et gentes, quæ ignorant Deum.* Porro Apostolus hisce in locis a culpa non excusat gentes, quæ committebant gravissima peccata contra naturam rationalem, rectamque rationem, aliundeque tenebris obscuratum intellectum haberent, et alienati essent a vita Dei propter ignorantiam: quin immo Ephesios gravissime monet, ut ab iisdem, ne spiritum Dei contristentur, abstineant licet, sicut

jam animadvertimus, talia peccata essent, quæ naturæ rationali, rectæque rationi opponerentur.

Lex naturalis consistit in quibusdam principiis naturaliter inditis nostræ menti: sed hæc principia rationis proficisci solummodo possunt a prima, et summa ratione, quæ uti prima, atque summa omnes rationes necessario complectitur: quidquid igitur adversatur principiis rectæ rationis, adversatur etiam principiis primæ, summæque rationis, quæ est in Deo. Hæc vero prima, atque summa ratio est lex æterna. *Lex vero æterna* (inquit S. Augustinus lib. 22. *Cont. Faustum* cap. 27.) *est ratio divina, vel voluntas Dei ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans.* Quemadmodum igitur advertit S. Thomas 1. 2. quæst. 93. art. 3. „In omnibus moventibus ordinatis oportet, quod virtus secundi moventis derivetur a virtute moventis primi, quia movens secundum non movet, nisi in quantum movetur a primo. Unde in omnibus gubernantibus idem videmus, quod ratio gubernationis a primo gubernante ad secundos derivatur.... Quum ergo lex æterna sit ratio gubernationis in supremo gubernante, necesse est, quod omnes rationes gubernationis a lege æterna deriventur. Hujusmodi autem rationes inferiorum gubernantium sunt quæcumque aliæ leges præter æternam. Unde omnes leges in quantum participant de ratione recta, in tantum derivantur a lege æterna." Quare sicuti pergit advertere S. Doctor in eadem parte quæst. 31. art. 1. „In his, quæ aguntur per voluntatem, regula proxima est ratio humana, regula autem suprema est lex æterna. Quandocumque ergo actus hominis procedit in finem secundum ordinem rationis, et legis æternæ; tunc actus est rectus, quando autem ab hac rectitudine obliquatur, dicitur peccatum." Hæc autem sunt adeo manifesta, ut ei, qui utatur ratione, esse omnino perspecta debeant.

CAPUT SECUNDUM.

De Culpa Theologica peccati, etiamsi actu non habeatur attentio aut ad pravitatem actionis, aut ad offensam Dei, quando illud committitur.

Nihil hic explicandum occurrit. Unde

Prop. Peccatum est offensa, atque meretur æternam pœnam, etiamsi actu non habeatur attentio aut ad pravitatem actionis, aut ad offensam Dei, quando illud committitur.

Prob. prop. Nemo profecto a Theologico peccato excusave-

rit Apostolorum persequutores : hi autem dum sævirent contra Apostolos, tantum aberat, ut attenderent ad ipsam pravitatem actionis, vel ad offensam Dei, quin potius putaverunt, se obsequium præstare Deo, quemadmodum Christus *Joan.* 16. 2. et seq. his verbis prædixerat Apostolis : *Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo : et hoc facient vobis, quia non noverunt Patrem, neque me.*

Apostolus deinde quando persequabatur Ecclesiam Dei, procul dubio contra Deum peccavit, sicut ipse quoque fatetur I. *ad Thimot.* 1. 13., Hoc autem dum fecit, non solum ad pravitatem actionis, et ad offensam Dei non advertit, sed potius rem laude dignam se facere putavit, paternarumque traditionum supra suos coætaneos se agnovit æmulatorem. *Audistis enim* (inquit ipse *ad Galat.* 1. 13.) *conversationem meam aliquando in Judaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam : et proficiebam in Judaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.*

Tandem Judæi crucifigendo Christum gravissime peccarunt : unde Christus positus in cruce rogavit Patrem, ut ignosceret eis nescientibus quid facerent. Tantum autem abfuit, ut ipsi vel ad enormitatem tam pravi facinoris adverterint, vel offensam Dei præ oculis habuerint, quin potius juste se agere putarunt, quum Christum loco cujusdam seductoris habuerint, et si eum cognovissent, sicut inquit Apostolus I. *Corint.* 2. 8. *Nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Ex his vero tribus, ut omittamus alia multa, quæ ex Sacris litteris in medium depromere possemus, constat evidenter, nihil magis opponi auctoritati Divinarum Scripturarum, quam rationem peccati Theologici requiri, ut dum illud committitur, ad pravitatem actionis, et offensam Dei actu advertatur.

Et re quidem vera qui longa alicujus peccati consuetudine tenetur, quique prava passione ad committendum aliquod peccatum vehementer incitatur, is sane præ quovis alio dum peccat, neque pravitatem suæ actionis expendit, neque advertit ad offensam Dei : is igitur contra rationem sane peccabit, tamen nullam offensam Deo irrogabit, nullamque pœnam merebitur. Hoc sane audire, nullius aures non horrent. Unde Clerus Gallicanus ann. 1700., sicuti legitur apud Natalem ab Alex. *Theol. Dogm. et* Moral. lib. 3. cap. 4. Regula 75. hanc propositionem damnavit : *Si peccatores consummatæ malitiæ quum blasphemant, et flagitiis se immergunt, non habent conscientiæ stimulos, nec mali, quod agunt, notitiam, cum omnibus Theologis propugno, eos hisce actionibus non peccare.* Damnata, inquam, fuit uti falsa, temeraria, perniciosa, quæ bonos mores corrumpit, blasphemias, aliaque peccata excusat.

CAPUT TERTIUM.

De culpa Theologica peccati, etsi qui peccat, præviam cognitionem peccati, sua tamen culpa, non habeat, aut prævio desiderio vitandi peccatum non agatur.

Nunc sane non est, cur ignorantiæ divisionem aperiamus. Duo, uti certissima, supponimus: prius est, invincibilem ignorantiam excusare a peccato, sicuti nos supra contra Jansenium propugnavimus: alterum, ignorantiam vincibilem aliquando augere gravitatem peccati, aliquando minuere, non tamen omnino tollere: auget, si ea sit directe volita: minuit, si indirecte volita sit. Nunc ea de ignorantia culpabili loquimur, ob quam non minus ac propter defectum prævii desiderii vitandi peccatum, quis actu non advertit ad Deum, quando actu peccat.

Prop. Peccatum Theologicum revera committitur, licet ob suam culpam peccator aut præviam cognitionem peccati non habeat, aut prævio desiderio vitandi peccatum non agatur.

Prob. prop. De cujus veritate aperte constat ex iis omnibus, quæ in cap. præced. deprompta ex Sacris litteris in medium protulimus. Nam peccatum, quod Judæi commisserunt in persequutione Apostolorum, tum Paulus in persequutione Ecclesiæ, tum crucifixores Christi, profectum fuit ab ignorantia, in qua versabantur, tantumque abfuit, ut aliquo prævio desiderio vitandi illud peccatum acti fuerint, quin potius se recte agere putaverint. S. Bernardus in Tract. ad Hugonem de S. Victore cap. 4. *dari peccatum per ignorantiam* contra quemdam propugnat, atque post alia ita ad illum num. 26. " Is forsitan, „ qui asserit, non posse peccari per ignorantiam, nunquam pro „ suis ignorantiis deprecatur, sed potius Prophetam irrideat de„ precantem, et dicentem: (a) *Delicta juventutis meæ, et ig„ norantias meas ne memineris.* Forsitan et reprehendet Deum „ exigentem pro peccato ignorantiæ satisfactionem? Si ignoran„ tia nunquam peccatum est; cur dictum est in epistola ad He„ bræos, quia in secundo tabernaculo semel in anno solus Ponti„ fex intraret non sine sanguine, quem offerret pro sui, et po„ puli ignorantia? Si peccatum ignorantiæ nullum est, non ergo „ peccavit Saulus, quod persequutus est Ecclesiam Dei, quoniam „ quidem ignorans hoc fecit, manens in incredulitate. Bene ita„ que faciebat, quod erat blasphemus, et persequutor, et con„ tumeliosus; quod erat spirans cædis, et minarum in discipu-

(a) Psalm. 24. v. 7.

„ los Jesu ; et in hoc ipso quippe abundanter æmulator existens „ paternarum suarum traditionum. Non ergo debebat dicere : *mi- „ sericordiam consequutus sum*, sed mercedem recepi.... Si, in- „ quam, ignorantia nunquam peccatur ; quid ergo causamur ad- „ versus occisores Apostolorum, quandoquidem non solum malum „ esse nescierunt, interficere illos, sed insuper quoque id facien- „ do arbitrati sunt obsequium se præstare Deo ? Sed et frustra „ in cruce Salvator pro suis orabat crucifixoribus, quippe nes- „ cientibus, ipso teste, quid facerent, et ita nequaquam pec- „ cantibus."

Prob. altera pars. Si qui sunt, qui antequam peccent, vitandi peccatum nullo desiderio teneantur, sunt maxime qui excæcati dicuntur, atque ita proni in malum, ut ipsum lumen rationis amisisse videantur : ergo hujusmodi peccatores, qui sunt nequissimi omnium, a peccato Theologico in omnibus suis sceleribus, et iniquitatibus absolvi deberent. Gentes, quæ, sicut ait Apostolus *ad Ephes.* 4. 17. et seq., *Ambulant in vanitate sensus sui, tenebris, obscuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum*, absolvi quoque deberent a peccato Theologico. Hoc autem semel posito, si tota lex morum non pervertatur, non video sane quo alio principio perverti possit.

DISPUTAT. XI.

DE LEGIBUS.

Quum omnis disputatio a definitione proficisci debeat, initium sumimus a definitione legis generatim acceptæ. Est igitur *lex quædam ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata*, sicuti habet S. Thomas 1. 2. quæst. 90. art. 4. Dicitur ergo quædam ordinatio rationis, quatenus qui fert leges, recta ratione utitur, dum constituit, quid servari debet, quid vero caveri. Hæc autem ordinatio rationis respicere debet bonum commune, alioquin tot leges, et sæpe etiam inter se contrariæ, ferri deberent, quot sunt bona particularia, si hæc respicerentur a legibus. Tandem oportet, ut lex sit promulgata ab illo, qui habet curam communitatis, quia lex debet innotescere iis, qui ad illam servandam tenentur, ab eo lata sit oportet, qui jurisdictionem habet. Quatuor libris hanc disputationem complectemur : in 1. agemus de lege æterna : in 2. de lege naturali : in 3. de lege Veteri : in 4. de lege Evangelica.

LIBER PRIMUS.

De Lege æterna.

A Lege æterna auspicamur, quia est prima omnium: ejus autem nomine quædam ratio divinæ sapientiæ intelligitur, qua Deus in suum finem omnia movet. Qui enim regit alios, semel ac certo eos ordine regat, oportet, ut in eo sit ratio illorum, quæ in sua gubernatione constituit. Hæc autem ratio est illa, quam sequitur Deus in gubernatione omnium: et quia Deus quoad istam nihil ab æterno non determinatum a sua sapientia habet, quodque determinavit, semper agit, dicendum sane, nomine legis æternæ intelligi debere quamdam rationem divinæ sapientiæ, qua Deus in suum finem omnia movet. In 1. cap. agemus de existentia legis æternæ: in 2. de origine, quam ab illa habent omnes leges.

CAPUT SECUNDUM.

De existentia legis æternæ.

Explicata notione æternæ legis, nihil præmittendum superest.

Prop. Lex æterna in Deo debet admitti.

Prob. prop. Mundus divina providentia regitur, et gubernatur, sicut jam ostendimus: tota ergo universitas rerum divina ratione regitur, et gubernatur: ergo ipsa ratio gubernationis rerum omnium in Deo præexistit. Divina autem ratio omnia constituit ab æterno: nec posset esse divina, si omnia ab æterno non constituisset. *Quid illa lex, quæ summa ratio nominatur* (inquit S. Augustinus lib. 1. *De lib. Arb.* num. 16.) *cui semper obtemperandum est, ... potest ne cuiquam non incommutabilis, æternaque videri?* Lex igitur, et ea quidem æterna, in Deo admitti debet.

Dices. Deus sua providentia prospicit omnibus: ergo non est, cur admittatur lex æterna, quæ sit ratio divinæ sapientiæ. Deinde lex indicitur hominibus: sed ab æterno non fuerunt homines, quibus lex indiceretur: ergo hæc lex æterna frustra ponitur.

R. dist. ant. Prospicit omnibus, prout est constitutum ab æterna lege, conc. ita ut providentia non supponat legem æternam; neg. Lex æterna Dei no est sane aliquid ab illius providentia distinctum. Quum enim Deus sit ens simplicis-

simum, duæ absolutæ perfectiones inter se revera distinctæ in eo esse non possunt. Mente ergo nostra lex æterna, et providentia distinguuntur, ideoque secundum nostrum modum intelligendi lex æterna est prima ratio divinæ sapientiæ quoad gubernationem rerum, providentia autem est ratio, qua eadem sapientia divina prospicit, et operatur in gubernatione rerum juxta legem æternam. Unde lex æterna est ratio, qua definitum est, quomodo res gubernari debeant, providentia autem est ratio, qua res eo modo gubernantur, quo ab æterna lege determinatum est. Providentia igitur respicit exequutionem ordinis, lex æterna ipsum ordinem. "Providentia (inquit S. Thomas quæst. 5. *De Veritat.* artic. 1. ad 6.) in Deo proprie non nominat legem æternam, sed aliquid ad legem æternam consequens.... In Deo lex æterna non est providentia, sed quasi providentiæ principium: unde et convenienter legi æternæ tribuuntur actus providentiæ."

R. ad alterum distingui debere duplicem statum legis: unum, quatenus ea est designata in mente legislatoris, illiusque firmata voluntate: alterum: quando promulgatur. Hunc statum lex æterna habere non potuit ab æterno: priorem tamen habuit, licet non eo modo, quo humanæ leges: nam Deus *vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt*, sicut inquit Apostolus *Roman.* 4. 17. Unde ipse cuncta, quæ sua lege æterna regenda erant, semper præsentia habuit, adeoque licet revera non existerent homines, quibus promulgaretur, existebant tamen in mente divina, cujus sane ratio est habenda, quando de lege æterna loquimur.

CAPUT SECUNDUM.

De origine, quam omnes leges habent ab æterna.

Loquimur nunc de legibus, quatenus nihil deest illis ad rationem veræ legis.

Prop. Omnes leges, sicut a sua causa, proficiscuntur ab æterna.

Prob. prop. In omnibus gubernationibus recte ordinatis ea semper ratio servatur, uti docet S. Thomas 1. 2. quæst. 93. art. 3., ut, qui præsunt rebus minoribus, pendeant a primo gubernante, atque in tota sua ratione gubernationis sequantur rationem supremi gubernantis: quum ergo lex æterna sit ratio gubernationis in supremo gubernante, oportet, ut ab ea proficiscantur omnes rationes gubernationis, quæ sunt in inferioribus gubernantibus.

Id singillatim constat de omnibus legibus. Lex naturalis innititur principiis rationis: hæc autem principia rationis solummodo a summa, et prima ratione proficisci possunt, quia summa, et prima ratio complectitur in se omnes rationes: summa ergo et prima ratio gubernationis quum sit æterna, ab ea proficiscantur oportet et prima principia rationis, et tota lex naturalis.

Principia autem contenta in verbo divino tum scripto, tum tradito, quibus regimur tum quoad fidem, tum quoad mores, constituunt legem divinam, quam Deus manifestavit nobis: ne igitur dicatur, Deum nobis manifestasse in tempore, quod non erat ab æterno cognitum sibi; dicendum sane est, præcepta verbi divini tum scripti, tum traditi in æterna lege semper contenta fuisse. Lex igitur tum naturalis, tum divina est quædam participatio legis æternæ, sed tamen diversa ratione. Nam lumine naturæ participamus legem æternam in lege naturali, divina autem revelatione participamus legem æternam in lege divina.

Tandem lex humana vel est ecclesiastica, vel civilis: illa respicit bonum supernaturale, quod ex revelatione cognoscimus, ista politicum, quod nobis manifestant principia rationis: et sicut, quæ consequuntur ex principiis revelatis spectant ad legem ecclesiasticam, ita, quæ ex principiis legis naturæ inferuntur, ad legem civilem pertinent. Quum ergo lex divina, et naturalis in lege æterna contineantur, lex quoque humana tum ecclesiastica, tum civilis in illa contineri debet.

Dices: Lex humana permittit aliqua, quæ æterna lege prohibentur: ergo ab illa non proficiscitur.

R. dist. permittit approbando, neg. permittit, quia non potest illa reducere ad suum ordinem, conc. " Lex humana di„ citur aliqua permittere (inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 93. art. „ 3. ad 3.) non quasi approbans, sed quasi ea dirigere non po„ tens. Multa autem diriguntur lege divina, quæ dirigi non pos„ sunt lege humana: quia plura subduntur causæ superiori, quam „ inferiori. Unde hoc ipso quod lex humana se non intromittit „ de his, quæ dirigere non potest, ex ordine legis æternæ pro„ venit. Secus autem esset, si approbaret ea, quæ lex æterna re„ probat. Unde ex hoc non habetur, quod lex humana non de„ rivetur a lege æterna, sed quod non perfecte eam assequi pos„ sit."

LIBER SECUNDUS.

De Lege naturali.

Ab æterna ad legem naturalem descendimus. Deus igitur signavit in homine suum lumen, " quo (sicut inquit S. Thomas

„ 1. 2. quæst 91. art. 2.) discernimus, quid sit bonum, et „ quid sit malum, quod pertinet ad naturalem legem, indeque cons- „ tat, quod lex naturalis nihil aliud est, quam participatio quæ- „ dam legis æternæ in natura rationali." In hoc libro de istis disputabimus: in 1. cap. agemus de lege naturæ indita nobis: in 2. de primo, et præcipuo fundamento ejus: in 3. universe, et generatim de ejusdem præceptis: in 4. de deficientia illius quoad directionem actuum humanorum: in 5. de eo lumine, quod nobis affulget ex divina revelatione ad completam directionem nostri: in 6. de jure gentium: in 7. de consuetudine.

CAPUT PRIMUM.

De infusione legis naturæ, quæ est in nobis.

Omnia creata sequuntur legem naturæ: quia tamen lex proprie dicta non solum movet, atque dirigit, sed etiam præcipit; ideo licet etiam expertia rationis agant, et tendant in suum finem, prout iis constituit supremus Auctor naturæ, tamen habere legem sibi infusam, dici non potest. Solus homo utitur ratione, eaque perspicit veritatem præceptorum legis naturæ, quæ sequitur libere, atque juxta illa sese determinando agit, et libera electione tendit in suum finem. Nunc primo ostendemus, quædam in se, et ex sui natura turpia esse, alia vero honesta, postea vero nobis infusam esse legem naturalem. Ex illo autem de hoc altero magis magisque constabit.

Prop. I. Nemo in dubium potest revocare, quædam ex sui natura esse honesta, rectæque rationi consentanea, alia vero ex se turpia, ac rectæ rationi omnino per se opposita.

Prob. prop. Qui hoc negat, illud oportet, ut affirmet, quæ sunt honesta, et ad communem utilitatem ex sui natura valde conferunt, talia esse vel institutione legislatorum, vel Principum statutis, vel judicum decretis, vel consuetudine populorum, atque idem judicium ferre debet etiam de illis, quæ in se turpitudinem habent, atque ex sui natura bono communi obnoxia sunt: at ipsi evidentiæ nihil magis contrarium esse potest, quam hujusmodi assertio. Nam neque institutio legislatorum, neque statuta Principum, neque decreta judicum, aut consuetudines populorum facere possunt, ut in se turpe sit, et communem utilitatem destruat, quod in se honestum est, et ad communem utilitatem per se confert; vel ut honestum in se sit, et ad communem utilitatem per se conferat, quod in se turpe est, et communi utilitati ex sui natura adversatur. Id enim et factum aliquando fuisse non legimus, et fieri non posse oculis quodammodo videmus. Sunt igitur

quædam, quæ ex sui natura honestatem, alia, quæ ex sui natura turpitudinem in se habent: illa ex se communi utilitati prosunt, ita obsunt.

Neque est, cur dicatur, sapientia legislatorum factum, ut selecta fuerint illa, quæ ad utilitatem boni communis conducerent, rejecta alia, quæ illi adversarentur: nam semper æque constat, quædam ex sui natura talia esse, ut per se conducant ad bonum commune, alia, quæ illud per se destruant. Unde ita Cicero lib. *De Legibus*: "Jam vero stultissimum illud existimare omnia „ justa esse, quæ scita sint in populorum institutis, et legibus... „ Quæ si tanta potestas est stultorum sententiis, atque jussis, ut „ eorum suffragiis rerum natura vertatur, cur non sanciunt, ut „ quæ mala, perniciosaque sunt, habeantur pro bonis, et salu„ taribus? aut cur, quum jus ex injuria lex facere possit, bo„ num eadem non facere possit ex malo? Atqui nos legem bonam „ a mala nulla alia nisi naturæ norma dividere possumus: nec „ solum jus, et injuria natura dijudicatur, sed omnino omnia ho„ nesta, ac turpia. Nam et communis intelligentia notas nobis res „ efficit, easque in animis nostris inchoavit, ut honesta in vir„ tute ponantur, in vitiis turpia. Hæc autem in opinione existi„ mare, non in natura posita, vere dementis est."

Dices. Actiones dicuntur honestæ, vel turpes, quia cum certa quadam lege conveniunt, aut non conveniunt: ante legem igitur nulla est in actionibus turpitudo, vel honestas: et licet aut honestatem, aut turpitudinem inesse daremus, non obligaremur aut illam sequi, aut ab hac nobis cavere, quia hujusmodi obligatio est a lege præcipiente.

Deinde actionum intrinseca turpitudo, vel honestas semel ac admittatur, et principium Deo coæternum admittitur, et omnis libertas, et potestas a Deo tollitur quoad honestatem, et turpitudinem hujusmodi actionum. Nam Deus non potest non velle bonum, et non odisse malum.

Tandem in quo consistat hujusmodi turpitudo, vel honestas, nunquam fiet, ut possit explicari. Ita Saldenus *De Jure nat., et gent. juxta discipl. Hebræor.* lib. 1. cap. 2. Pufendorfius *De Jure nat., et gent.* lib. 1. cap. 4., Coccejus in *Adnotat.* ad Grotii §. 10. cap. 1. lib. 1. *De Jure belli, et pacis*, Heinneccius *De Jure nat., et gent.* lib. 1. cap. 3. §. 70.

R. ad 1. Falso supponi, actiones, quæ in se, et ex sui natura habent honestatem, vel turpitudinem, habere illam aut istam, quia cum quadam lege positiva conveniunt, aut non conveniunt. Dari enim quasdam actiones, quæ independenter a quacumque positiva lege ex se habeant honestatem, vel turpitudinem, hoc vero est, quod jam ostendimus, et Ciceronis non minus auctoritate, quam luculenta ratione confirmavimus. Rationi autem morem gerere debemus: hoc vero est

quod facimus, dum ipso judicio rationis convicti de evidenti honestate, vel turpitudine illorum, quæ in se, et ex sui natura talia sunt, honesta sequimur, turpia vitamus.

Ad 2. resp., Principium Deo coæternum hic frustra confingi: nam legem naturalem habere suam originem ab æterna lib. 1. hujus disput. cap. 2. jam confecimus, atque ostendimus eam esse quamdam participationem legis æternæ factam in mente hominis. Quædam autem in se honesta, vel turpia esse, ipsa naturæ lege cognoscitur.

Non repugnat autem, Deum non posse velle, vel ut magis accurate loquamur, fieri non potest, Deum ea velle, quæ sunt contradictoria: hæc enim nullam rationem entis possunt habere. Contradictoria autem vellet Deus, si quæ in se injusta sunt, vellet, ut justa fierent: tunc enim in se justa forent, ut supponitur, et non forent, quia talia esse, Deus non vellet. Idem de divina libertate dicendum est.

Ad 3. dico, Eadem ratione, ac cujuslibet alterius rei, explicari naturam illorum, quæ ex se honesta, vel turpia sunt. Sicut enim res quælibet habet sua attributa essentialia, sine quibus esse non potest, eaque cum ipsa natura rei necessario connectuntur; ita istæ actiones in se, et ex sui natura honestæ, aut turpes necessariam connexionem cum honestate, vel turpitudine habent, et honestas, vel turpitudo est illarum essentiale attributum. Profecto non repugnat, res habere sua attributa essentialia, sine quibus esse non possunt: igitur neque etiam debet repugnare, honestatem, vel turpitudinem esse attributum essentiale aliquarum actionum.

Prop. II. Undequaque constat, nobis infusam esse legem naturæ.

Prob. prop. Illud negari non potest, quoddam esse vitæ genus, quod summopere non probare non possumus, atque dari quædam vivendi principia, quæ tam evidentem æquitatem in se habent, ut rectitudo illorum omnibus comperta sit; sicuti etiam quoddam esse tam flagitiosum vitæ genus, quamdam adeo turpem rationem vivendi, ut eam nemo non aversetur, sicut Cicero lib. 1. *De Legib.* animadvertit inquiens: *Quæ ratio non benignitatem, non comitatem, non gratum animum, et beneficii memorem diligit? quæ superbos, quæ maleficos, quæ crudeles, quæ ingratos non aspernatur, non odit?* Hic autem nationum sensus communis aliunde esse non potest, quam a lege naturæ, quæ sit insita animis nostris.

Deinde sicuti ait Cicero lib. 3. *De Nat. Deorum.* "et virtutis, et vitiorum sine ulla divina ratione grave ipsius conscientiæ pondus est." Hac de causa neque timent, qui nihil mali fecerunt, ante oculos vero illorum, qui peccarunt, semper pœna versatur. Isti sane, sicut inquit S. Gregorius M. lib. 27. *Moral.* num. 48., *Fugiant humanos oculos, se ipsos fugere*

non possunt. Quia enim malum, quod faciunt, noverunt, habent testem conscientiam, habent judicem rationem suam. Etiam judicia nostra confirmant, quod modo volumus: nemo enim, sicut inquit Cicero lib. 3. *De Finib. Unquam fuerit aut avaritia tam ardenti, aut tam effrænatis cupiditatibus, ut eamdem istam rem, quam adipisci scelere quovis velit, non multis partibus malit ad sese, etiam omni impunitate proposita, sine facinore, quam illo modo pervenire.*

Dices. Quæ nos legis naturæ præcepta dicimus, sunt opiniones, quas ab ipsa educatione combibimus: nam quod est naturaliter nobiscum congenitum debet esse commune omnibus, semperque constans: sed præcepta legis naturæ non sunt congenita nobis, non sunt communia omnibus, in omni ætate non semper fuerunt eadem: ergo.

R. ad omnia singulariter, et primo dico, nihil minus confingi posse, quam præcepta legis naturæ esse opiniones in ipsa educatione receptas: nam illa sunt communia omnibus, educatio autem propria singulorum. Licet ergo recta, vel prava educatio plurimum conferat ad explicanda, vel obscuranda præcepta legis naturæ, tamen illa ab educatione proficisci, sicuti a sui principio, diversitas educationis, falsum esse, evidenter ostendit.

Quamvis præcepta legis naturæ nobis connaturalia sint, ea tamen nonnisi post confirmatam ætatem affulgent; sicuti etsi connaturale sit arboribus ferre fructus, tamen statim ac terræ fuerint defixæ, eosdem non ferunt.

Prima principia legis naturæ considerari possunt, et prout sunt in mente hominis, et prout ad praxim reducuntur: si secundum priorem rationem spectentur, sunt communia omnibus: si secundum alteram; non sunt communia, quum deleantur *in particulari operabili* (sicut inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 94. art. 6.) *secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem.*

Distingui etiam debet inter prima præcepta communia omnibus, et alia, quæ ex illis quadam ratiocinatione inferuntur: hæc enim vel propter pravam educationem, vel falsas persuasiones, aut turpem consuetudinem male agendi deleri possunt e cordibus hominum. Hinc mirandum non est, si licet una semper, eademque fuerit lex naturæ; tamen apud quasdam nationes pravæ quædam consuetudines contra aliqua præcepta legis naturæ prævaluerint: eæ enim tales fuerunt, ut non primis, sed aliis, quæ inferrentur ex primis, legis naturæ præceptis adversarentur. Est etiam attendendum, de præceptis legis naturæ judicium ferri non debere ex quibusdam nationibus, quæ præ omnibus aliis, saltem quoad aliqua, humanitatem videntur exuisse.

Plura sane tum Spinosa, tum Hobbesius in medium adducunt,

ut legem naturæ nobis infusam non fuisse ostendant: sunt tamen omnia nullius momenti, sicuti jam ostendimus *Theol. Natural.* lib. 3. quæst. 5. art. 1.

CAPUT SECUNDUM.

De primo, et præcipuo fundamento legis naturæ.

Ut hac in re, licet in se manifesta, tamen prave sentientium scriptorum multiplicibus opinionibus implicata, majori, qua fieri potest, claritate procedamus, distinctis propositionibus errores singulares primo refutabimus, deinde quid tenendum sit, ostendemus.

Prop. I. Conservatio sui ipsius non est primum, et præcipuum fundamentum legis naturæ.

Contra sensit Hobbesius, qui in lib. *De Cive* cap. 1. §. 1. legem naturæ ita definivit: *Est igitur lex naturalis, ut eam definiam, dictamen rectæ rationis circa ea, quæ agenda, vel omittenda sunt ad vitæ, membrorumque conservationem, quantum fieri potest, diuturnam.*

Prob. prop. Conservatio sui pro primo, et præcipuo fundamento legis naturæ semel ac habeatur, nullus in lege naturæ religioni erga Deum superest locus, sicuti etiam veræ societati cum aliis hominibus. Tunc enim lex naturæ circa illa agenda, vel omittenda versaretur, quæ vitam reddere possent diuturniorem: igitur etiam officia erga Deum ad hunc finem dirigenda forent, atque simul in exercitio illorum cavendum esset, ne ex iis aliquod præjudicium diuturnitati vitæ afferretur: aliunde vero ob idem principium nemo contra alterum non agere quidvis posset, quod ad diuturnitatem suæ vitæ conducere putaret: igitur in lege naturæ neque religioni erga Deum, neque veræ societati cum aliis hominibus ullus amplius locus superesset, si conservatio sui pro primo, et præcipuo legis naturæ fundamento habeatur. Unde non est mirandum, si Hobbesius ex hoc principio intulerit, quod ipsi humanitati crudeliter adversatur.

Prop. II. Falsum est, jus naturæ *proprie* dictum proficisci a custodia societatis humanæ, jus autem naturæ *laxius* a judicio eorum, quæ delectant, aut nocent.

Duplicem speciem juris naturalis Grotius distinguit in suis Prolegomenis ad lib. *De Jure belli, et pacis* §. 8. et seq. priorem speciem juris, quod *proprie tali nomine appellatur*, repetit ab appetitu mutuæ societatis, qui est in hominibus, atque speciem juris proprie dicti in eo reponit, ut suum jus unicuique tribuatur: alteram vero speciem juris, quod *laxius* ab illo voca-

tur, proficisci putat non ex natura societatis, sed *ex judicio recte conformato ad æstimanda, quæ delectant, aut nocent.*

Prob. prop. Grotius igitur gravissime inde peccat, quia id omittit, quod etiam in jure naturæ præcipuum locum debet habere, hoc est, quod ad Deum spectat. Nihil enim tale occurrit neque in jure *proprie* dicto, neque in *laxiori.* Deinde vel de ea societate loquitur Grotius, qua omnes homines sibi invicem uniuntur, vel de societatibus singularibus, quibus nationes, vel cives, aut alii plures ob unitatem capitis inter se consociantur: si de istis loquatur; tunc facit jus naturæ diminutum, quia supponitur legem naturæ non præcipere, qua ratione omnes homines erga se invicem, sed nonnulli erga alios secum peculiari ratione consociatos, se habere debeant, et tunc dicere quispiam posset, jus naturæ etiam ab illa societate proficisci, quam malefactores inter se inierunt. Si autem de communi societate loquatur; tunc adverti debet, antea esse homines, quam societatem illorum: ex hominibus enim constituitur humana societas: quare si lex naturæ proficiscitur ab humana societate, proficiscitur ab eo, quod est posterius ipsis hominibus: homines itaque nullam legem naturalem sibi insitam habent, sed eam accipiunt post mutuam inter se consociationem: principiis rationis antea destituti erant, post initam societatem hæc illis inseruntur. Societas ergo legi naturæ, non lex naturæ societati præcepta suppeditat, quibus inter se mutuo homines juste, honesteque agant. Id autem a veritate adeo est alienum, ut lex ipsa naturæ sit, quæ impellat homines ad mutuam societatem.

Jus autem laxius Grotii lenocinio sensuum totum conformatum esse videtur: quæ enim delectant, aut nocent, singulari ratione referuntur ad sensus. Verum etiam secundum leges naturæ debent homines præcipue esse de honestate solliciti, non de delectatione; a turpitudine sibi cavere potissimum debent, non a dolore.

Prop. III. A quolibet societatem colendam esse, non est primum fundamentum legis naturæ.

Contra sentit Pufendorfius lib. 2. *De Jure nat. et gent.* cap. 3. §. 15., et in Opusc. *De Offic. homin. et civis* lib. 1. cap. 3. §. 8. et seq.

Prob. prop. Et primo quidem constat de contradictione, in qua Pufendorfius circa rem istam versatur. Nam *De Offic. homin. et civis* lib. 1. cap. 3. §. 7. suum primum fundamentum legis naturæ, sequutus Hobbesium, repetit a conservatione sui: conservatio igitur sui habenda est uti primum fundamentum legis naturæ, non vero cultus societatis: primum enim fundamentum excludit alterum, quod se præcedat, et a quo proficiscatur. Verum nunc pauca de illo primo fundamento, quod Pufendorfius posuit. Illud non est fundamentum totius legis naturæ, a quo non des-

cendunt principia ejusdem legis: sed ab hujusmodi principio non descendunt, quæ etiam secundum legem naturæ spectant ad Deum, et ad unumquemque hominem, quatenus sibi recte vivere debet: ergo. Deinde inclinatio ad societatem est a lege naturæ: falso igitur dicitur, cultum societatis primum fundamentum esse legis naturæ.

Prop. IV. Nulla ratio patitur, ut istud habeamus pro primo fundamento legis naturæ, videlicet: *Esse facienda, quæ vitam humanam felicem reddunt, et maxime diuturnam; vitanda pariter, quæ vitam humanam reddunt infelicem, et mortem accelerant.*

Fundamentum juris naturæ, et gentium hoc sane in principio Thomasius reposuit lib. 1. *De Norma act. hum.* cap. 6. §. 21. Ad conservationem autem, et felicitatem vitæ animalis, non vitæ institutæ secundum rectam rationem, Thomasium respexisse, inde constat, quia Scripturæ moralia præcepta esse diversæ rationis a præceptis doctrinæ moralis, tradit in lib. *De Fundam. juris, et gent.* cap. proœmiali §. 19. Illud quidem in hoc Cpere lib. 1. cap. 6. §. 1. docet, proficisci a sola virtute eam felicitatem, cui veluti primo principio juris naturæ inhærendum esse docuit. Verum ex hoc consequitur, ut tradiderit quæ pugnant inter se.

Prob. prop. Ab homine, qui putat, primum legis naturæ fundamentum esse, se facere debere, quæ conducunt ad felicitatem, et conservationem vitæ; quæ sunt in se turpia, uti talia non habebuntur, semel ac sine illis, etiam prout sibi confinxerit, felicitas, et diuturnitas vitæ haberi non possit. Nam primæ legi, quæ est principium, et fundamentum ceterarum, omnes aliæ leges subjiciantur oportet. Deinde avari, ambitiosi, atque voluptuosi homines vitæ suæ felicitatem, atque diuturnitatem reponunt in iis, quæ in se turpia sunt. Postremo semel ac felicitas, ese conservatio vitæ animalis pro primo legis naturæ fundamento habeatur, tota lex naturæ pervertatur oportet.

Prop. V. Neque triplex Barbeyracii, et Burlemaquii principium, neque Reinneccii universalis amor, aut triplex amor Dei, sui, et aliorum, neque Cumberlandii benevolentia universalis, haberi possunt uti primum fundamentum legis naturæ.

Prob. prop. Distincte quoad singulas partes. Barbeyracius ad §. 3. lib. 1. Pufendorfii *De Offic. homin. et civis*, et Burlemaquius in *Element. juris nat.* part. 2. cap. 4. contendunt, religionem, amorem sui, et socialitatem esse tria prima principia legis naturæ. At vero licet illa sint talia, ut ex iisdem, monstrante lege naturæ, pendeat maxima pars illorum officiorum, quibus dare operam debemus, esse tamen prima, negamus. Nam ipsam religionem præcedere debent ea naturæ principia, quæ ducunt in cognitionem Supremi Numinis, quæque nostras obli-

gationes erga illum produnt. Ut vero quis cognoscat id omne, quod erga se ipsum servare debet, non sufficit, ut se amet, sed ut se amet, qua ratione debet, multis in hunc finem antea præceptis legis naturæ instructus sit oportet. Tandem societas, uti jam diximus, quiddam est, ad quod ipsa præcepta legis naturæ nos ducunt. Tria ergo prædicta non sunt prima principia legis naturæ.

Heinneccius *Juris nat. et gent.* lib. 1. cap. 3. §. 79. tradit, *amorem principium juris naturæ et ejusdem veluti compendium esse.* Hoc unicum principium in eodem lib. et cap. §. 90. et seqq. subdividit in amorem Dei, quo omnibus viribus illum colimus, atque perfectissimo cultu etiam interno prosequimur, in amorem nostri, quo quærimus nostram perfectionem, atque felicitatem, prout fieri potest sine offensa Dei, et in amorem erga alios, quo, eos sicuti nos amandos esse, monemur. Primo pauca de isto amore generatim accepto, nonnulla deinde de triplici altero. Amare est voluntatis, non intellectus: principia autem legis naturæ, sicut etiam cujuscumque alterius legis, intellectum afficiunt, non voluntatem, eaque, semel ac intellectu comprehensa fuerint, voluntatem regere possunt. Falso igitur primum fundamentum legis naturæ ponitur in ea actione, quæ spectat ad voluntatem, quæque cognitionem se regentem præsupponit.

In triplici autem amore Dei, sui, et aliorum eadem difficultas recurrit. Nam ille recte ordinatus esse debet; ut autem talis sit, nimis multæ veritates antea nobis perspectæ sint oportet, multa principia mente præconcepta habere debemus, ut videamus, quid dandum sit Deo, nobis, atque aliis. Horum ergo cognitio principiorum istum triplicem amorem præcedat oportet, proptereaque ille esse non potest fundamentum, et primum principium legis naturæ.

Post hæc non est, cur ostendamus, universalem benevolentiam Cumberlandii, de qua ipse agit in lib. *De Legibus nat.* cap. 1. §. 4., legis naturæ fundamentum, et primum principium esse non posse. Nam etiam benevolentia est actus voluntatis, sicuti constat etiam ex etymologia nominis.

Prop. VI. Fundamentum, seu primum principium legis naturæ est istud: bonum faciendum est, et malum vitandum, prout humanæ naturæ præditæ ratione convenit.

Prob. prop. Propter uniformitatem unius, ejusdemque potentiæ eadem ratio habeatur oportet tum intellectus speculativi, qui tendit ad contemplationem veritatis, tum practici, qui tendit ad opus. Quia ergo quod primo exhibetur intellectui est ens, sub quo continetur id omne, quod mente concipere possumus (nam non ens in mentem nostram non potest cadere); inde fit, ut primum principium intellectus speculativi sit istud, philosophis

fere omnibus etiam consentientibus: de eodem idem simul affirmari, et negari non potest secundum unam, eamdemque rationem, quod sane in ipsa ratione entis, et non entis suum fundamentum habet. Quum ergo etiam bonitas sit illa, quæ prima occurrit rationi, dum tendit ad opus, inde sequitur primum principium intellectus practici esse istud: bonum faciendum est, malum vitandum. „Sicuti autem ens (inquit S. Thomas 1. 2. „quæst. 94. art. 2.) est primum, quod cadit in apprehensione „simpliciter: ita bonum est primum, quod cadit in apprehen„sione practicæ rationis, quæ ordinatur ad opus. Omne enim „agens agit propter finem, qui habet rationem boni. Et idcirco „primum principium in ratione practica est, quod fundatur su„pra rationem boni, quæ est: bonum est, quod omnia appe„tunt. Hoc est ergo primum præceptum legis: quod bonum „est faciendum, et prosequendum, et malum vitandum: et su„per hoc fundantur omnia alia præcepta legis naturæ, quæ ra„tio practica naturaliter apprehendit esse bona humana". Et re quidem vera hoc præceptum et nullum aliud supra se habere, et sub se continere cetera omnia, inde constat, quia sola bonitas nos inducit ad agendum, et solum malum ab agendo retrahit.

Quia vero lex naturæ est quædam participatio æternæ legis facta in ratione hominis, quæ inest, uti in sui principio proximo in naturali judicio rationis, sicuti ostendimus hujus disput. 1. cap. 2., ideo hoc principium: bonum faciendum est, vitandum vero malum, ita accipi debet, ut de eo tantum bono sermo sit, quod est, et quomodo est, humanæ naturæ conveniens, et de illo malo, quod est, et quomodo est, humanæ naturæ contrarium. Quod enim a recta nostra ratione prodit, humanæ naturæ consentaneum est.

CAPUT TERTIUM.

De primis præceptis legis naturæ.

Primo principio, atque fundamento totius legis naturæ semel constituto, nunc explicare aggredimur præcipuam divisionem præceptorum illius. „Quia vero (sicut inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 94. art. 2.) „bonum habet rationem finis, malum autem rationem contrarii; inde „est, quod omnia illa, ad quæ homo habet naturalem inclinatio„nem, ratio naturaliter apprehendat ut bona, et per consequens „ut opere prosequenda, et contraria eorum, ut mala, et vi„tanda". Ex quo consequitur, sicuti colligit Angelicus, ut ordini inclinationum naturalium respondeat ordo præceptorum natu-

ralium. Nam inclinatio naturalis spectat ad voluntatem, quæ in suis inclinationibus rationi, ejusque præceptis regi debet. Triplex autem in homine est inclinatio naturalis: 1. ad bonum secundum naturam, qua communicat cum aliis substantiis, quatenus scilicet unaquæque illarum appetit conservationem sui: et secundum hanc inclinationem spectant ad legem naturæ illa, per quæ conservatur vita, et removetur contrarium illius: 2. ad aliqua magis peculiaria secundum naturam, qua communicat cum brutis: et juxta hanc inclinationem pertinent ad legem naturæ alia, quæ natura etiam ipsa animalia docuit, uti est commixtio maris, et fœminæ, et educatio prolis: 3. ad bonum secundum rationem, quæ est propria sibi, propter quam habet inclinationem naturalem et ad veritates cognoscendas quæ spectant ad Deum, et ad vivendum in societate: et hujus inclinationis habita ratione, spectant ad legem naturæ, quæ respiciunt cognitionem Dei, et mutuam societatem. Nunc de hoc triplici præcepto naturæ in tribus distinctis §§.

§. I.

De vitæ conservandæ primo naturali præcepto, quod respondet primæ inclinationi quoad conservationem sui.

Prob. I. Vitam conservandam, eaque vitanda, quæ obstant conservationi ejus, est primum legis naturæ præceptum, quod respondet inclinationi omnium primæ quoad conservationem sui.

Prob. prop. Nihil est, quod non habeat destructionem sui, ut maximum omnium malorum: igitur hæc inclinatio ad conservationem sui inter alia primum locum habet, eaque sicuti ab ipsa natura est in omnibus, ita etiam est in hominibus. Quoniam vero præcepta respondent inclinationibus naturalibus, sicuti inquit S. Thomas in cit. loco, *Pertinent ad legem naturæ ea, per quæ vita hominis conservatur, et contrarium impeditur.* Vitam igitur conservandam, et vitanda, quæ obstant conservationi illius, est primum legis naturæ præceptum, quod respondet naturali inclinationi omnium primæ de conservatione sui.

Prop. II. Oportet, ut judicio rationis semper regamus hanc naturalem inclinationem ad conservationem nostri.

Prob. prop. Quæ conferunt ad conservationem nostri, sæpe contingit, ut intemperanter, et sine modo, adeo sollicite, atque intempestive, tam delicate, et molliter expetantur, semel ac in eis non utamur judicio rationis, ut illa inclinatio, quæ ex sui natura tendebat ad conservationem, vertatur in perniciem. Quod autem lex naturæ homini, quoad rem istam, præcipit, consentanee ad rectam rationem præcipit.

Sunt sane multa, quæ in regimine hujus inclinationis ab ipsa ratione debent adverti: nonnulla summatim recensebimus: 1. ut utilitas animi utilitati corporis præferatur: 2. ut vitæ futuræ commodum præferatur commodo vitæ præsentis: 3. ut servetur, quod est, quoad rem istam, divina lege præscriptum: 4. quod est etiam præscriptum ecclesiastica lege, habita potissimum ratione cibi, qui est ordinatus ad conservationem nostri.

§. II.

De altero legis naturæ præcepto conservandæ speciei, quod respondet inclinationi naturali generandi sibi simile.

Prop. I. Humanam speciem esse conservandam, est alterum legis naturæ præceptum, quod respondet inclinationi naturali generandi sibi simile.

Prob. prop. Hæc altera inclinatio generandi sibi simile, licet sit minus universalis, quam prima, est tamen ipsa quoque a natura. Quum igitur, uti supra diximus cum D. Thoma, ratio uti bona, et opere prosequenda illa suadeat, ad quæ habemus inclinationem naturalem, spectat ad legem naturæ præcipere conservationem speciei. Quare humanam speciem esse conservandam, est alterum præceptum naturæ, quod respondet inclinationi naturali generandi sibi simile.

Omnes igitur inclinationem ad generationem habent a Deo auctore naturæ; tamen ut omnes dent operam generationi, non oportet. „Præceptum (inquit Angelicus 2. 2. quæst. 152. art. „2. ad 1.) habet rationem debiti.... Dupliciter autem aliquid est „debitum: uno modo, ut impleatur ab uno; et hoc debitum „sine peccato præteriri non potest. Aliud autem est debitum „implendum a multitudine: et ad tale debitum implendum non „tenetur quilibet de multitudine: multa enim sunt multitudini „necessaria, ad quæ implenda unus non sufficit, sed implentur „a multitudine, dum unus hoc, alius illud facit. Præceptum „igitur legis naturæ homini datum de comestione necesse est, „quod ab unoquoque impleatur: aliter enim individuum con„servari non posset. Sed præceptum datum de generatione res„picit totam multitudinem hominum, cui necessarium est non „solum quod multiplicetur corporaliter, sed etiam quod spiri„tualiter proficiat. Et ideo sufficienter providetur humanæ mul„titudini, si quidam carnali generationi operam dent, quidam „vero ab hac abstinentes contemplationi divinorum vacent ad „totius humani generis pulchritudinem, et salutem: sicut etiam „in exercitu quidam castra custodiunt, quidam signa deferunt, „quidam gladiis decertant".

Prop. II. Hæc inclinatio generandi sibi simile, quæ est a natura, oportet, ut regatur judicio rationis.

Prob. prop. Ex iis, quæ de effectibus peccati originalis, et potissimum de concupiscentia in Disput. de peccato originali lib. 4. disseruimus, de quibus non est, cur nunc iterum disseramus ad ostendendum, quod nunc volumus. Quæ præcipue attendi debeant quoad istam inclinationem generandi sibi simile, atque quoad naturæ præceptum conservandæ speciei, nunc, saltem ex parte aliqua, indicabimus.

I. Adverti debet, judicio rationis esse contra legem naturæ homini infusam, quovis modo indulgere inclinationi generandi sibi simile: agere enim homo hac quoque in re debet, prout convenit rectæ rationi: 2. quid lex divina illis præcipiat, qui obtemperant naturali inclinationi generandi sibi simile, et parent præcepto conservandæ propriæ speciei: item quid consilii hac de re in lege divina traditum habeatur: 3. spectentur oportet etiam leges humanæ, quæ de conjugio sunt legitime constitutæ.

§. III.

De tertio universali præcepto legis naturæ, quod manat ex ea inclinatione naturali, qua singulariter ducimur ad agendum, prout est proprium humanæ naturæ.

Prop. I. Recte nos habere quoad Deum, et alios, est tertium universale præceptum legis naturæ, quod proficiscitur ex ea inclinatione, qua ducimur ad agendum, prout singulariter convenit humanæ naturæ.

Prob. prop. Profecto hac naturali inclinatione homo de sua natura monetur, quatenus longe præcellit aliis sibi inferioribus, cum quibus habet aliquam communicationem. Porro ex eadem proficisci illud universale præceptum legis naturæ, ut tum quoad Deum, tum quoad alios nos recte habeamus, dubitari non potest. Nam hujusmodi inclinatio suam ab ipsa ratione originem ducit, et est quoddam incitamentum, qua ratio de suis præceptis nos monet. Omnia autem officia nostra secundum rectam rationem ita ordinata debent esse, ut quibusdam, et quidem primo, atque præcipue, Deum respiciamus, aliis vero alios a nobis complectamur: igitur ut quoad Deum, et alios nos recte habeamus, est tertium universale præceptum legis naturæ, quod consequitur ad illam inclinationem, qua ducimur ad agendum, prout singulariter convenit humanæ naturæ.

Prop. II. Licet in hac triplici divisione universalium præceptorum legis naturæ in tertio præcepto omissa esse videatur obligatio de recte nos habendo quoad nos ipsos, revera tamen non est omissa, sed in illo includitur.

Prob. prop. Ut quoad Deum nos recte habeamus, etiam in actionibus tum privatis, tum etiam interioribus id semper debemus attendere, ne in iisdem aliquid occurrat, quod Deo possit displicere: nihil enim Deum latere, ipsa quoque ratio dubitare non sinit. Aliunde autem necessario requiritur, etiam in actionibus tum privatis, tum etiam interioribus nos esse bene moratos, ut aliis præstemus omnia officia, quæ debemus, alioquin unum, aut alterum, et illud quandoque, non tamen semper, non omnia præstabimus. In tertio igitur universali præcepto de recte nos habendo quoad Deum, et alios, includitur præceptum de recte nos habendo quoad nos.

Prop. III. Judicio rationis debet adverti, ne in iis officiis, quibus respicimus Deum, aut alios a nobis, ratio inferior prævaleat contra superiorem.

Prob. prop. Ratio superior, uti S. Thomas una cum S. Augustino docet 1. part. quæst. 79. art. 9., ea est, quæ *intendit æternis conspiciendis, et consulendis*, inferior, quæ *intendit temporalibus rebus*. Profecto per temporalia a nobis æterna cognosci non solum Apostolus docet, sed etiam ratione constat, quum ex illa noverimus, nos invisibilia Dei assequi non posse in se ipsis, sed in effectibus, quos conspicimus. Quum ergo temporalia nos ducant in cognitionem æternorum, ipsa respectu nostræ cognitionis æternis priora sunt, tamen semper secundum judicii nostri rationem æterna temporalibus præferri debent. Quando autem ratio inferior, quæ *intendit temporalibus rebus*, prævalet contra superiorem, quæ *intendit æternis conspiciendis, et consulendis*; tunc sane non solum secundum cognitionem, sed etiam secundum nostrum judicium temporalia priora sunt æternis: igitur recto judicio rationis adverti debet, ne in officiis erga Deum ratio inferior contra superiorem prævaleat.

In officiis autem erga alios tunc ratio inferior prævalet contra superiorem, quando in iisdem non respicitur honestas, aut illud vinculum humanitatis, quo omnes invicem sumus devincti, sed vel solummodo utilitas propria, vel aliquid deterius, quod in se turpe sit.

Ut brevitati Institutionum Theologicarum consulamus, omittimus disserere de aliis præceptis legis naturæ, quæ ex tribus illis primis proficiscuntur.

CAPUT QUARTUM.

De defectu legis naturæ habita ratione directionis actuum humanorum.

Plurimorum Juristarum Protestantium communis est error, legem naturalem, etiam qualis nunc est in nobis, per se suffi-

cere ad directionem actuum humanorum. Ita censuit Pufendorfius in sua Præfatione ad *Eridem Scandicam*, Christianus Thomasius in *Hist. juris nat.* cap. 3. §. 2. et seq., et cap. 4. §. 17. Richardus Cumberlandus §. 27. *Serm. Prælim.* ad libros *De Lege nat.*, Barbeyracius in Præf. ad lib. Pufendorfii *De Jure nat. et gent.*, Coccejus in Dissert. Prœmial. 11. §. 15., et altera Dissert. 12. §. 59. ad Grotii lib. *De Jure belli, et pacis*, Heinneccius in Præfat. ad lib. *De Jure natur., et gent.* Burlemaquius in *Element. juris nat.* cap. 1. §. 7. Istorum errorem nunc refellemus, tradita prius notione naturæ nostræ moralis.

Nostra natura dicitur moralis, actuum humanorum habita ratione: actus humani considerari debent in intellectu, et voluntate, sicut in sui principio. Si intellectui affulserit illud lumen, quod ad rectam directionem illorum requiritur; tunc ex parte intellectus nulla deordinatio contingit in actibus humanis, contra autem fit, si intellectus fuerit hujusmodi lumine destitutus. Idem de voluntate dici debet: si quod justum est, ipsa sequatur, actiones nostræ ad justitiam, si quod injustum, ad injustitiam conformatæ erunt. Quia vero naturæ rationali etiam sensitiva conjungitur in nobis, ad hanc quoque attendi debet in ipsa inquisitione actuum humanorum. Licet enim natura sensitiva non sit principium illarum actionum, quibus homo distinguitur a brutis: ab ipsa tamen sunt aliæ actiones, quæ sunt communes hominibus, et brutis. Quare ut nostram naturam moralem undequaque nosceremus, nobis perspectus esse deberet status tum nostri intellectus, tum nostræ voluntatis, tum naturæ sensitivæ. Hoc vero est, quod ope solius legis naturæ omnino assequi non possumus.

Prop. I. Ex lege naturæ sufficienter nosse non possumus, unde sit illa ignorantia, qua omnes laboramus.

Prob. prop. Occupat sane omnes, sicuti inquit S. Augustinus lib. 22. *De Civit. Dei* cap. 22. num. 1. *Horrenda quædam profunditas ignorantiæ, ex qua omnis error existit; qui omnes filios Adam tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari sine labore, dolore, timore non possit.* At tantæ ignorantiæ originem nemo unus, habita ratione præceptorum legis naturæ explicare unquam potuit, licet de iis copiose egerit. Quin immo naturæ legibus adversari videtur, tanta ignorantia omnes esse detentos: iisdem enim legibus perspectum est, vim nostram intellectivam longe præcellere sensitivæ, atque per illam homines distingui a brutis: quum ergo videamus, vires sensitivas longe maturius, facilius, et magis expeditæ suum objectum attingere, quam vim intellectivam; secundum leges naturæ nobis videtur id adversari dignitati, atque præstantiæ, quam potentia intellectiva habet supra sensitivas: tantum abest, ut le-

ge naturæ nosse possimus, unde sit illa ignorantia, qua omnes laboramus.

Prop. II. Si ad legem naturæ tantum attendamus, neque etiam principium illorum videre possumus, quæ intra nos sentimus.

Prob. prop. Homo sibi ipsi contrarius videtur esse, tam grave est illud bellum, quod sentit inter rationem superiorem, et inferiorem: vult illa, ut quod nobis vellemus fieri, et nos faciamus aliis, ut reddamus unicuique quod suum est, neminem lædamus, servemus jura societatis, atque bene morati simus: ista etiam cum detrimento aliorum propriam tantum quærit utilitatem, indulget illecebris sensuum, quæque eosdem demulcet, consectatur. Hujus conditionis esse debere naturam hominis, ne ipsi quidem Ethnici sibi persuadere potuerunt: duplex enim hæc lex, cui subjicimur, una cum hujus vitæ miseriis animum illorum ita affecerunt, ut arbitrati fuerint, in hac vita puniri scelera, quæ in altera commissa forent, sicuti ex S. Augustino novimus lib. 4. *Cont. Julianum* cap. 15. Quo autem veteres philosophi perscrutando leges naturæ quoad rem istam pertingere non potuerunt, nullus postea fuit, qui sistendo in contemplatione legis naturæ pervenerit. Si igitur ad legem naturæ tantum attendamus, neque etiam principium illorum videre possumus, quæ intra nos sentimus.

Prop. III. Ea est indoles nostrarum inclinationum, ut illarum conditio ex solis legis naturæ principiis perspici non possit.

Prob. prop. Sistamus in duabus illis inclinationibus naturalibus, de quibus jam disseruimus, videlicet in inclinatione conservationis propriæ vitæ, et ad generandum sibi simile. Cum inclinatione igitur ad conservationem nostri id sentimus in nobis, quod debet repelli, si conservationem nostri revera velimus. Similiter cum inclinatione ad generandum sibi simile, ad id quoque interius accendimur, quod si sequamur, obest generationi speciei. Lege autem naturæ perspici nunquam poterit, cur una cum primis inclinationibus naturalibus id admixtum sit in nobis, quod fini illarum adversatur. Est igitur talis conditio nostrarum inclinationum, ut ea ex solis legibus naturæ perspici non possit.

Prop. IV. Ipsa lex naturæ in se spectata non sufficit ad directionem actuum humanorum.

Prob. prop. Si Ethnicos spectemus, qui studio legis naturæ potissimum incubuerunt, in plures errores prolapsos fuisse deprehendemus, eorumque doctrinæ capita inter se pugnare. Utrumque advertit S. Justinus in *Cohort. ad Græcos* a num. 3. usque ad 8., S. Theophilus in lib. 2. *ad Autolycum* a num. 4. usque ad 8., Arnobius lib. 2. *Cont. Gent.*, Eusebius *Præparat. Evang.* lib. 15. num. 13., S. Augustinus lib. 18. *De Civit. Dei* cap. 4. num. 2., et lib. 19. cap. 1. num. 1. Juristarum autem superiorum, atque etiam nostrorum temporum, qui de

lege naturæ plura scripserunt, quam diversæ sententiæ sint de hoc toto genere doctrinæ, quam graves circa illam errores, constat etiam ex iis solis, quæ in præcedet. cap. diximus. Unde recte monet Angelicus 1. 2. quæst. 91. art. 4., quod „ Propter „ incertitudinem humani judicii præcipue de rebus contingenti„ bus, et particularibus, contingit de actibus humanis diverso„ rum esse diversa judicia, ex quibus etiam diversæ, et contrariæ „ leges procedunt. Ut ergo homo absque omni dubitatione scire „ possit, quid ei sit agendum, et vitandum, necessarium fuit, „ ut in actibus propriis dirigeretur lege divinitus data, de qua „ constat, quod non potest errare".

Postremo, ut alia omittamus, si attendatur ad naturam hominis, finis legis naturæ est felicitas futuræ vitæ, atque gloria supremi conditoris. Hæc autem quidpiam sunt, quod supra ipsam naturam positum non potest acquiri viribus naturæ, neque præcepta legis naturæ ad illa valent dirigere. „ Per legem (se„ quitur Angelicus cit. loco) dirigitur homo ad actus proprios „ in ordine ad ultimum finem, qui si non excederet proportio„ nem naturalis facultatis hominis, non oporteret, quod haberet „ homo aliquod directivum ex parte rationis supra legem natu„ ralem, et legem humanitus positam, quæ ab ea derivatur. „ Sed quia homo ordinatur ad finem beatitudinis æternæ, „ quæ excedit proportionem facultatis humanæ,.... ideo neces„ sarium fuit, ut supra legem naturalem, et humanam dirigere„ tur etiam ad suum finem lege divinitus data".

Dices cum Barbeyracio §. 1. Præfat. ad lib. Pufendorfii. *De Jure nat. et gent.* Homo secundum rationem debet regere suam vitam ad consequendam felicitatem: in hanc autem rem Deus, uti auctor naturæ, certas leges illi constituit: igitur quævis alia lex non requiritur in hunc finem.

Et quidem si ordo ipsarum rerum attendatur, devenimus in cognitionem supremi numinis, cui subjectionem præstandam esse cognoscimus.

Rerum autem humanarum habita ratione, videmus, Deum certa quædam præcepta dedisse, sine quibus humana societas consistere non potest. Unde cuilibet notum est illud fundamentum totius societatis: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Immo si quis vires sui ingenii in hanc rem intendat, ea quoque assequi poterit, quæ ex primis principiis legis naturæ ratiocinatione longiori consequuntur.

R. nos a Barbeyracio quærere, de qua felicitate loquatur, quando affirmat, homines secundum rationem instituere debere suam vitam ad illam consequendam: si de præsentis vitæ felicitate loquitur; tunc hujus tantum vitæ bonum respicit, et felicitatem hominis facit quodammodo similem felicitati brutorum: si autem de alterius vitæ supernaturali felicitate loquatur, ad consequutio-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

nem illius alia lege præter naturalem dirigatur oportet, inter quam, et beatitudinem supernaturalem sit aliqua proportio.

Deum existere, eique obtemperandum esse, ab ipso rerum universarum ordine monemur; verum sine divina revelatione cognoscere non valemus, et quo illum cultu tum interno, tum externo prosequi debeamus, qua ratione consequi possimus, aut expectare veniam illorum, in quibus peccaverimus, quomodo, ut alia omittam, supernaturalia bona alterius vitæ adipisci valeamus.

Ea quidem præcepta, sine quibus civilis humana societas non potest subsistere, habemus a lege naturæ; verum anne ejusdem præceptis præscriptum habemus, qua se ratione humana societas habere debet ad finem supernaturalem sibi proprium consequendum? Civilis itaque societas præceptis legis naturæ maxima ex parte regitur, Christiana autem solis divinis, iisque etiam civilis perfectiori modo regitur, quam præceptis legis naturæ.

Qui noverint ea, quæ ex principiis legis naturæ ratiocinatione longiore consequuntur, sunt paucissimi: hæc autem nos non ducunt in cognitionem eorum, quæ, utpote creati ad finem supernaturalem, novisse debemus.

Essentiæ reales rerum (pergit Barbeyracius) perfecte cognosci possunt in tota doctrina morum, exque illis rerum honestas, et turpitudo perspicitur, in quibus consistit cognitio ejusdem doctrinæ.

Illud accedit, veritatem, et certitudinem illorum, quæ spectant ad disciplinam morum, non pendere a morali vita hominum, sed esse in contemplatione posita. Unde semper vera sunt, quæ Cicero scripsit de officiis, licet nullus suam juxta illa vitam instituat.

Tandem demonstrationes scientiarum speculativarum sunt minus simplices, quam quæ spectant ad doctrinam morum, sicuti constabit comparanti elementa geometriæ cum institutionibus quarumdam obligationum ex lege naturæ profectarum. Hæc Pufendorfius in cit. Præfat. §. 2.

R. Etiamsi ponatur, nullam obscuritatem occurrere in essentia, et natura substantiarum, de quibus agitur in doctrina morum; tamen inde non sequitur, ut statim quoad omnia honestas, et turpitudo perspecta sit, si ratio habeatur tum illarum multiplicium, diversarum, et quandoque sibi invicem oppositarum circumstantiarum, quæ actus nostros comitantur, tum etiam multorum quæ distant a primis principiis, et ex illis remote proficiscuntur, tum etiam potissimum hujus nostræ naturæ, qualis nunc est in nobis, superiorisque illius finis, ad quem tendere debemus, sicuti jam animadvertimus. Quod ergo vellet Barbeyracius, ex lege naturæ lumen nobis non affulget, et licet affulgeret, non sufficeret ad directionem nostrarum actionum, sicuti jam ostendimus.

Quando Barbeyracius una cum suo Lokio affirmat, veritatem

et certitudinem illorum, quæ spectant ad disciplinam moralem, esse in contemplatione posita, ostendit se ignorare finem, quem respicit doctrina moralis. Ea enim refertur ad opus, diciturque atque revera est doctrina morum.

At enim principia doctrinæ moralis non pendent ab actionibus hominum: verum præcepta quoque cujusvis artis non pendent ab actione artificis, quin potius artifex in sua agendi ratione iisdem sese conformare debet. Anne dici potest artis præcepta esse posita in contemplatione?

Barbeyracio dare possumus, demonstrationes scientiarum speculativarum esse minus simplices, quam quæ spectant ad doctrinam morum: verum ex hoc non consequitur, ut ista sint omnibus nota, ut cuncta sint æqualiter nota, et licet omnibus essent nota, atque cuncta æqualiter nota, sufficiant ad homines instituendos in illis, in quibus institui debent, sicuti constat ex eis, quæ contra ipsum jam animadvertimus. De his usquemodo: uberius enim de iisdem egimus in *Theologia Naturali.*

CAPUT QUINTUM.

De eo lumine, quod nobis affulget ex sacris litteris ad rectam, completamque directionem nostri.

Prop. Ex sacris litteris nobis affulget illud lumen, quod necessarium est ad rectam, et completam directionem nostri.

Prob. prop. Et quidem gratia brevitatis magis præcipua indicabimus: 1. hominem esse non posse quid increatum, aut semper in infinitum homines ex hominibus non fuisse propagatos, lex naturalis nobis manifestat: Verum unde sit initium hominis, non ipsa, sed Sacra Scriptura prodit. 2. Qua de causa parentes nostri deciderint ab illo primævo statu felicitatis, in quo conditi erant, ex sacris litteris novimus, non vero ex lege naturæ. 3. Sacræ litteræ manifestant, nullo autem modo lex naturæ, quam labem humana natura contraxerit propter inobedientiam nostrorum progenitorum. 4. Quæ ad hanc labem contractam colluctatio motuum tum interiorum, tum exteriorum, consequatur in nobis, ostendunt sacræ litteræ, naturæ vero leges sub velamine tegunt. 5. Profunditatem ignorantiæ, in qua versamur, malitiam voluntatis, qua ad prava ducimur, solummodo ex sacris litteris una cum causa illarum nos perspicimus. Tandem sacris litteris edocemur, nullo autem modo legis naturæ præceptis, quæ sint nobis parata præmia, si legem Dei servaverimus, quæque, si non servaverimus, sint pœnæ constitu-

tæ, sicuti etiam veniam nostrorum peccatorum a Deo nos modo consequi posse, licet ea et multiplicia sint, et turpissimam in se deformitatem habeant, unaque simul modus ostenditur, quo id assequi valeamus. Hæc autem omnia, omissis nunc multis aliis, necesse esse, ut noscamus ad regendos nostros mores, sicuti oportet, ad nos recte habendum erga Deum, alios a nobis, et nos ipsos, ille solus negaverit, qui naturam hominis non novit.

Dices cum Barbeyracio cit. Præfat. §. 32. Divina revelatio supponit in nobis quasdam cognitiones vel jam existentes, vel quas acquirere possumus, sicut etiam facultatem alia inferendi ex iis, quæ jam novimus: igitur, si absolute loquamur, ea nobis facta non fuit, ut nosceremus, quæ necessaria sunt nobis: 2. *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* ait Apostolus *Rom.* 1. 20., et *Rom.* 2. 14. *Quum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sunt lex.* Ex his Barbeyracius colligit, sacros Scriptores, dum proponunt, quæ spectant ad mores, supponere in homine quasdam ideas, imperfectas quidem, tamen in se veras, proptereaque supplere voluisse, quod deficiebat, aut corrigere, quod pravitate morum introductum erat: 3. Sacri Scriptores nullum systema tenuerunt, quo notiones virtutum certo ordine explicarentur, sed universalia tantum tradidere præcepta, ex quibus colligi multa possent, quæ conditioni uniuscujusque convenirent.

R. ad hæc tria paucis. Divina igitur revelatio facta fuit non brutis, sed hominibus utentibus ratione, quorum unusquisque propterea multa cognoscere, et alia, atque alia ex jure naturæ semper detegere potest. Id autem neque contra nos, neque ad rem Barbeyracii facit. Nemo enim negat, ex jure naturæ habere homines distinctas ideas plurimorum, quæ agere debent: at ex hoc non consequitur, eos ex eodem jure naturæ novisse omnia, quæ necessaria sunt ad mores recte informandos.

Ex Apostoli priori loco id sane colligitur, ens perfectisssimum existere, ea ratione, qua præditi summus, ex rebus creatis posse demonstrari: ex altero autem, gentes per naturam reformatam gratia fecisse, quod dicit Apostolus; loquitur enim de gentibus ad fidem conversis, atque de istis tradit, fecisse ea, quæ sunt legis, et legem naturalem illis ostendisse, quæ deberent agere, quatenus quoad multa propter lumen naturale, et propriam conscientiam sibi erant lex. (a) Hæc autem ostendunt, revelationem, sicuti modo dicebamus, factam esse illis, qui utebantur ratione. Revelatione autem et suppletum fuisse, quod

(a) Vid. S. Thomas in exposit hujus loci.

decrat, et etiam correctum quod pravitate morum introductum fuerat, Barbeyracio damus.

Sacri Scriptores, dum scriberent tum de doctrina morum, tum de aliis omnibus, divinam inspirationem sequuti fuerunt. Quare semel ac Barbeyracius non rejiciat inspirationem divinam, sicuti revera non rejicit, non est, cur aliam hac de re tota methodum requirat.

CAPUT SEXTUM.

De Jure Gentium.

Quum jus gentium proficiscatur a jure naturæ, ordo doctrinæ postulat, ut de isto nunc agamus. „Quod naturalis ratio inter „omnes homines constituit, id apud omnes peræque custoditur, „vocaturque jus gentium," inquit Justinianus *Instit.* lib. 1. tit. 2. §. 1. Quibusdam distinctis propositionibus doctrinam de jure gentium explicabimus. Antea vero animadvertimus, jus gentium auctoritate et quarumcumque nationum, et plurimarum tantum posse constitui: illud absolute universale dicitur, istud non prorsus universale.

Prop. I. Admitti debet jus gentium tum absolute universale, tum non prorsus universale.

Prob. prop. De priori jure constat ex divisione bonorum constituta omnium gentium consensione: nam jure naturæ non solum non decernitur, hæc prædia, aut alia quævis bona, spectare ad hunc potius, quam ad quemvis alium, sed etiam inducitur communitas rerum omnium, *Non quia jus naturale* (sicut inquit S. Thomas 2. 2. quæst. 66. art. 2. ad 1.) *dictet omnia esse possidenda communiter, et nihil esse quasi proprium possidendum; sed quia secundum jus naturale non est divisio possessionum.* Hinc si spectetur ordo naturæ, nulla bona cum hoc potius homine, quam cum altero connexionem habent. Leges autem humanæ non statuunt generatim divisionem bonorum, sed eam præsupponunt, ac propterea multa decernunt, quibus rem aliquam singularem sub dominio potius unius, quam alterius cadere decernitur. Idem esto judicium de lege divina: nam Deus primis parentibus, eorumque successoribus, ut uterentur omnibus, quæ fuerant producta, indiscriminatim concessit. Christus in Evangelio possessionem bonorum uti rem certam habet, multaque quoad affectum, et usum illorum salutariter præcepit. Quum igitur jus gentium universale sit illud, quod complectitur omnes nationes, hoc de jure constat ex divisione

bonorum, quæ, cunctis gentibus consentientibus, inducta fuit.

Esse autem jure gentium constitutam divisionem bonorum, in humanæ reipublicæ utilitatem cedit, sicut cit. loco advertit Angelicus: 1. quia quisque est magis sollicitus in procurandis sibi propriis, quam in aliis, quæ spectant ad communitatem: 2. quia res humanæ certo ordine reguntur, si cura peculiaris aliquarum sit propria singulorum: 3. paci hominum prospicitur, quia contentiones facile oriuntur inter illos, qui ad rem aliquam jus commune habent.

De jure gentium minus universali convincimur ex jure legatorum, quod servatur a nationibus moratioribus: tale enim est illud, ut neque jure naturæ constitutum sit, neque sancitum principum mutua conventione.

Prop. II. Jus gentium a jure naturæ distingui debet.

Prob. prop. Quamvis jus gentium in quibusdam conveniat cum jure naturæ, tamen sua propria habet, per quæ differt. Nam jus gentium pendet a consensione hominum, non vero jus naturæ: quare non est in arbitrio hominum e medio tollere jus naturæ, sicuti revera est abolere jus gentium, proindeque a jure naturæ separari non potest vis obligandi, a jure autem gentium potest. Unde, sicuti inquit Angelicus 1. 2. quæst. 95. art. 4., *Ad jus gentium pertinent ea, quæ derivantur ex lege naturæ, sicut conclusiones ex principiis, ut justæ emptiones, venditiones, et alia hujusmodi, sine quibus homines convivere non possunt, quod est de lege naturæ.*

Barbeyracius in Adnotat. 2. ad §. 23. cap. 3. lib. 2. Pufendorfii *De Jure nat., et gent.*, Coccejus Dissert. 4. prævia ad Opus Grotii *De Jure belli, et pacis* §. 34. et Burlemaquius, jus gentium a jure naturæ distingui inde negant, quia obligatio obtemperandi iis, quæ sunt constituta jure gentium, manat a jure naturæ. Verum etiam obligatio parendi iis, quæ jure civili sancita sunt, manat a lege naturæ, et tamen legem civilem a lege naturæ etiam ipsi distinguunt.

CAPUT SEPTIMUM.

De Consuetudine.

De consuetudine hoc in cap. agimus, quatenus ab ea jus quoddam inducitur, de quo jure nunc pauca, antequam de lege non scripta finem disserendi faciamus. Alia est consuetudo præter legem, alia secundum legem, alia contra legem: prima novam legem inducit, atque legi jam existenti non opponitur: altera

legi jam præexistenti quædam ipsi conformia superaddit: tertia legem jam sancitam abrogat.

Prop. Aliquæ conditiones simul conjungi debent cum consuetudine, ut ipsa loco cujusdam legis possit haberi.

Prob. prop. Explicatione hujusmodi conditionum. 1. Consuetudo debet esse rationabilis, atque ad publicum bonum conducere. Nam lex et est opus rationis, et respicit bonum commune: utrumque ergo in se continere ea consuetudo debet, quæ vim legis assequitur. 2. Congruo eam tempore durasse requiritur: hæc conditio continetur in ipsa notione consuetudinis, quum esse consuetum illud dicatur, quod moribus gentium jamdiu receptum est. Hæc duratio temporis non interrupta sit oportet, quia semel ac homines modo una, modo alia ratione agant, suo agendi modo nullam consuetudinem inducunt. 3. Ut actus, quibus inducitur consuetudo, liberi sint, publici, atque frequentes. Nam consuetudo, quæ obtinet vim legis, a ratione proficisci debet: quod autem proficiscitur a ratione, liberum est, quum ratio sit libertatis principium. Deinde quum lex promulgari debeat, oportet, ut etiam legis non scriptæ promulgatio aliqua fiat. Scripto fieri non potest promulgatio illius legis, quæ inducitur consuetudine: ergo saltem publico testimonio factorum fieri debet. Demum ut possit dici, gentes sua agendi ratione in rem quampiam consensisse, oportet, ut hujusmodi ratio agendi frequens fuerit apud illas. 4. Ut in se habeat vim obligandi: cum lege enim conjungitur obligatio servandi ea, quæ ab ipsa lege præcipiuntur: igitur etiam consuetudinem, quæ habet vim legis, ea intentione introductam fuisse oportet, ut obligatione illius omnes tenerentur. Hac de intentione obligationis constare potest tum ex auctoritate doctorum, tum ex eo quod fere omnes solliciti fuerint hujusmodi consuetudinem servare, et qui non servarunt, aliis offensioni fuerint. 5. Ut habeatur consensus legislatoris. Quando enim de publica lege agitur, ad illam ferendam semper requiritur publica potestas: si igitur penes illos, qui consuetudinem introducunt, nulla sit leges ferendi publica potestas, efficere sua consensione non possunt, ut a se introducta consuetudo obtineat vim legis: consensus igitur legislatoris ad hunc finem necessario requiritur. Legislator inductam consuetudinem aliquando probat, aliquando quadam indulgentia in illam consentit, aliquando tolerat ad vitanda majora mala. Si hoc ultimo modo se habeat, illius consensus præsupponi non potest. Quando igitur S. Thomas 1. 2. quæst. 97. art. 3. ad 3. dicit, quod consuetudo obtinet vim legis, "in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere", loquitur de tolerantia, prout conniventiam legislatoris sibi adjunctam habet: nam in eodem loco uti rem certam statuit, „quod omnis lex proficiscitur a ratione, et voluntate legislatoris."

LIBER TERTIUS.

De Lege veteri.

His explicatis, quæ, licet non scripta, habent rationem veræ legis, nunc de lege scripta agere instituimus. Quare divinam revelationem factam a Deo fuisse, eamque tum in Novi, tum in Veteris Testamenti libris contineri, contra Deistas nunc supponimus. Tribus tantum capitibus, ut brevitati consulamus, hanc totam disputationem nostram complectemur: in 1. agemus de origine veteris Legis: in 2. de fine: in 3. de conditione, et natura illius.

CAPUT PRIMUM.

De origine veteris legis.

Veteris originem legis esse divinam, eo sensu nunc dicimus, quatenus Deus usus ministerio Moysis dedit illam populo Judæorum.

Prop. Veterem legem a Deo profectam fuisse, constat.

Prob. prop. Apostolus *Roman.* 10. 4. finem legis Christum esse dicit, et ad *Galat.* 3. 24., quod lex *pædagogus noster fuit in Christo*, ac propterea sicuti Apostolus v. seq. prosequitur: *ubi venit fides, jam non sumus sub pædagogo.* Hinc Christus tum *Lucæ* ult. 44., tum *Joan.* 6. 46. affirmavit, omnia ad se referri oportere, quæ in veteri lege scripta erant. At solus Deus ea servanda poterat præfinire, quæ futura erant figura ipsius Christi, atque tam varia, et multiplici præsignificatione mysteriorum poterant disponere homines ad adventum Christi: solus igitur Deus fuit auctor veteris legis. Hinc Christus *Matt.* 15. 3. legem Mosaicam vocat *mandatum Dei.* Et Apostolus *Roman.* 1. 2. affirmat, Patrem Domini nostri Jesu Christi, qui suum Filium ad nos misit, promisisse illum nobis in veteri lege.

Dices: Moyses sua auctoritate permisit libellum repudii: ergo quæ spectant ad veterem legem, non omnia sunt a Deo.

R., Originem id falso putasse Homil. 16. in *Numer.* num. 4. Moyses ergo libellum repudii permisit, at non auctoritate propria, sed inspiratione Domini. "Videte (inquit S. Thomas in „ *Matt.* cap. 19.) sicuti dicit Apostolus I. ad *Corint.* 7. 25.

„ *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem*
„ *do*... Unde aliquando dicebat, quod a Domino acceperat, ali-
„ quando ex industria sibi inspirata: et sic Moyses. Istud autem
„ permisit, non quod audivisset a Domino, sed ab inspiratione
„ divina, non tamen auctoritate firmata: *Ad duritiem cordis*
„ *vestri permisit vobis dimittere uxores vestras.* Ipsi dixerant,
„ quod Moyses mandavit, sed non mandavit, sed permisit." Quod illa permissio, seu lex a Moyse data, vel scripta esse dicatur, non obstat, quominus a Deo auctore revera fuerit: nam *Matt.* 8. 4. Christus mandavit leproso, ut illud munus offerret, quod præceperat Moyses: illud autem munus divino erat mandato constitutum.

Deus autem suam legem Moysi manifestavit, sed per Angelos: unde Apostolus ad *Galat.* 3. 19. illam *per Angelos* ordinatam fuisse dicit, et *Hebræor.* 2. 2. eamdem vocat *sermonem dictum per Angelos.*

CAPUT SECUNDUM.

De fine veteris legis.

Non ad unum tantum, sed ad plura Deus respexit in promulgatione veteris legis: quæ sint ista, distinctis propositionibus nunc explicabimus.

Prop. I. Deus promulgatione veteris legis subvenit infirmitati humanæ naturæ.

Prob prop. Deus promulgatione Decalogi præcepta legis naturæ confirmavit, indeque et homines monuit de sua obligatione, quæ illis inerat ab ipsa lege naturæ, et ad illam implendam excitavit. Si ergo infirmitati humanæ naturæ prospicitur, dum homines confirmantur, et excitantur ad agenda, quæ debent, quum Deus hoc iisdem præstiterit promulgatione veteris legis, hac illum infirmitati humanæ naturæ prospexisse consequitur. *Ne sibi homines aliquid defuisse quererentur,* (inquit S. Augustinus *Enarrat.* in Psal. 57. num. 1.) *scriptum est in tabulis, quod in cordibus non legebant. Non enim scriptum non habebant, sed legere nolebant. Oppositum est oculis eorum, quod in conscientia videre cogerentur.*

Deinde quum esset obtenebratum in hominibus dictamen legis naturæ per consuetudinem peccandi, ideo per Moysem Deus legem tulit, qua honestas, et turpitudo actionum magis magisque omnibus perspecta fieret. Quum tamen, hac etiam semel posita lege, homines sentirent, se non posse implere, quæ sibi præ-

cipiebantur, inde factum, ut et de sua imbecillitate, et de necessitate superioris auxilii convincerentur. *Utilitas itaque legis est*, (inquit S. Augustinus epist. alias 200., nunc 199. num. 6.) *ut hominem de sua infirmitate convincat, et gratiæ medicinam, quæ in Christo est, implorare compellat.*

Prop. II. Lex vetus data quoque fuit, ut fides explicita in Christum venturum conservaretur, atque augeretur, et homines præpararentur ad illum suscipiendum.

Prob. prop. *Finis enim legis Christus ad justitiam omni credenti*, ait Apostolus *Roman.* 10. 4. et ad *Galat.* 3. 23. et seq. *Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut justificemur.* His autem verbis innuit Apostolus, veterem legem latam fuisse et ad fidem in Christum servandam, atque augendam, et ad homines præparandos ad suscipiendum Christum, quia per legem, sicuti per pædagogum, ad Christum ipsi manuducebantur. *Neque enim ob aliud* (inquit S. Augustinus lib. *De Catechiz. rudibus* num. 6.) *ante adventum Domini scripta sunt omnia, quæ in sanctis Scripturis legimus, nisi ut illius commendaretur adventus, et futura præsignaretur Ecclesia.*

Prop. III. Finis ultimus legis scriptæ fuit supernaturalis finis hominis.

Prob. prop. *Quandoquidem per legem ostendit homini infirmitatem suam, ut ad ejus misericordiam per fidem confugiens sanaretur*, ait S. Augustinus lib. *De Spir. et litt.* num. 15. Hinc S. Stephanus *Actor.* 7. v. 38. loquens de hac lege, quam Moyses acceperat, *verba vitæ* a Domino illum accepisse statuit. Licet ergo veteri legi non inesset ea virtus, qua homines a peccato liberarentur, et amicitiæ Dei consortes fierent; quia tamen per legem convincebantur de sua infirmitate, inde fiebat, ut cognoscerent, ad Christum, uti ad medicum, et reparatorem fide accedendum a se esse, a quo in perpetuum salvarentur.

CAPUT TERTIUM.

De natura, et conditione veteris legis.

Rem istam aliquibus propositionibus explicabimus.

Prop. I. Lex vetus fuit in se bona, non ita tamen, ut per eam homines pervenire possent ad vitam æternam.

Prob. prop. Lex vetus suam a Deo originem habuit: ergo est bona, quum nihil nisi bonum a Deo proficisci possit. Unde Apos-

tolus I. ad *Timot.* 1. 8. *Scimus autem, quia bona est lex, si quis ea legitime utatur.* Et *Roman.* 7. 12. *Itaque lex quidem sancta, et mandatum sanctum, justum, et bonum.*

Per eam tamen homines ad vitam æternam pervenire non poterant. *Umbram enim habens lex futurorum bonorum* (inquit Apostolus ad *Hebræos* 10. 1.) *non ipsam imaginem rerum per singulos annos eisdem ipsis hostiis, quas offerunt indesinenter, numquam potest accedentes perfectos facere.* Et ejusdem epist. cap. 7. 19. *Nihil enim ad perfectum adduxit lex.* Unde *Joann.* 1. 17. dicitur, quod *Lex per Moysem data est, gratia, et veritas per Jesum Christum facta est.*

Dices contr. prior. partem. Apostolus ad *Hebr.* 8. 7. tradit, prius testamentum non vacasse culpa. *Rom.* 4. 15. inquit: *Lex enim iram operatur*: cap. 5. 20. *Lex autem subintravit, ut abundaret delictum.* Ipse Dominus *Ezechiel.* 20. 25. loquens de veteri lege, ait: *Ergo et ego dedi eis præcepta non bona, et judicia, in quibus non vivent.*

R. Apostolum dixisse, culpa non vacasse prius testamentum, non acceptum in se, sed illorum habita ratione, quibus datum fuit, tum quia virtutem non conferebat ad expianda peccata, quibus erant obnoxii, tum quia non dabat gratiam, qua peccata vitarent, sed solum efficiebat, ut peccata cognoscerent. S. Joann. Chrysost. Homil. 14. num. 2. explicans hæc Apostoli verba: *Nam si illud prius culpa vacasset, secundi locus non inquireretur,* ait: *Hoc est, si nihil ipsi defuisset, sic eos effecisset nulli culpæ affines. Nam quod de hoc dicat, audi sequentia: vituperans enim ipsos dicit, non vituperans ipsum: esse dies veniunt, dicit Dominus etc.*

Dicitur autem, quod lex iram operatur, inquit, S. Thomas lect. 2. in cap. 4. epist. ad *Roman.*, „Id est, vindictam, „quia per legem facti homines digni Dei vindicta... non quidem quod legis præcepta moralia præcipiant aliquid, quod qui „observant, ira Dei dignos efficiat; sed occasionaliter, quia „præcipit, et gratiam adimplendi non præbet".

Ut autem abundaret delictum, id est peccata multiplicarentur, legem datam fuisse, non vult sane S. Paulus. Quapropter „Illud vero *ut* non causam indicat, sed eventum (inquit S. „Joannes Chrysostom. Homil. 10. in epist. ad *Roman.* numer. „3.) Non enim ideo lex data est, ut abundaret, sed ut tol„leret, et minueret peccatum: sed contrarium evenit non ex „natura legis, sed ex accipientium ignavia".

Ezechielis autem cit. loco præcepta veteris legis non bona esse dicuntur, eorum facta comparatione cum præceptis legis novæ. Sicut enim habet S. Gregorius M. lib. 28. *Moral.* num. 41. *Melioribus Novi Testamenti præceptis subsequentibus præcepta bona, quæ rudibus data sunt, non bona esse memorantur.*

Prop. II. Servantibus veterem legem promissio præcipue bonorum temporalium facta fuit, ut per ea ad amorem Dei excitarentur.

Prob. prop. Nihil in Pentateucho frequentius repetitum populo Judaico legimus, quam futurum, ut multiplicaretur semen illius, ut suos inimicos debellaret, ut late extenderetur, ut fructus terræ magna copia reciperet, ut sibi obsequentia haberet elementa, aliaque plura, quæ respiciunt felicitatem præsentis vitæ. Satis est, ut in hanc rem legatur *Levitici* cap. 26., et *Deuter.* cap. 4.

Promissiones præcipue rerum temporalium factas fuisse in lege veteri, in nova autem spiritualium, censet S. Augustinus *Enarrat. in Psal.* 34. Serm. 1. num. 7., et *Enarrat. in Psal.* 73. num. 2., ut omnibus palam fieret, a Deo proficisci tam temporalia, quam spiritualia, bona. Conveniens autem fuisse, ut populo Judaico bona temporalia promitterentur, animadvertit S. Thomas 1. 2. quæst. 99. artic. 6. Hic enim populus comparabatur puero, qui regitur a pædagogo, sicuti constat ex Apostolo ad *Galat.* 3. 24., hoc est, erat populus imperfectus, qui rerum terrenarum affectu detinebatur. *Unde* (inquit Angelicus) *legi veteri conveniebat, ut per temporalia, quæ erant in affectu hominum imperfectorum, manuduceret homines ad Deum.*

Sicuti autem prosequitur S. Doctor in cit. art. ad 1., „Cupiditas, qua homo constituit finem in temporalibus bonis, est „caritatis venenum; sed consequutio temporalium bonorum, quæ „homo desiderat in ordine ad Deum, est quædam via inducens „homines imperfectos ad Dei amorem, secundum illud *Psal.* „48. 19. *confitebitur tibi, quum benefeceris ei.*" Secundum hanc rationem bona temporalia Judaico populo Deum promisisse, constat ex fine ipsius legis, de quo egimus in cap. præced.

Licet autem in Pentateucho nonnisi terrena felicitas palam promittatur, tamen in ceteris libris sacris, qui spectant ad vetus Testamentum, spiritualia quoque bona promittuntur, sicuti ostendit S. Augustinus lib. *De Gestis Pelagii* num. 14.

Prop. III. Lex vetus actus quoque internos complectebatur, eosque vel præcipiebat, vel vetabat, prout boni, vel mali erant.

Prob. prop. *Levit.* 19. 17. odium in suum fratrem unicuique interdicitur. *Deuter.* 8. 10. et 17. præcipitur Israelitico populo, ut postquam comederit, et satiatus fuerit, benedicat Domino pro terra optima, quam ab illo recepit, et ne unquam dicat recogitando quæ possideret: *fortitudo mea, et robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt. Deuter.* 6., facta mentione illius maximi mandati de diligendo Deo super omnia, v. 6. et seq. hæc superadduntur: *Eruntque verba, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: et narrabis ea filiis tuis, et meditaberis in*

eis sedens in domo tua, et ambulans in itinere, dormiens, atque consurgens. Hæc autem omnia referuntur ad actus internos. Deinde motum internum animi concupiscentia respicit: hæc autem distincte prohibetur *Exodi* 20. 17. illis verbis: *non concupisces*, atque ita prohibetur, ut omnis immoderata concupiscentia vetita intelligatur juxta Apostolum *Roman.* 7. 7.

Quare etsi lex vetus manum, non animum dicatur cohibere, voceturque etiam lex factorum, nihil obstat, quin actus quoque internos præcipiat, vel prohibeat. Quum enim lex timore pœnarum homines induceret ad sua præcepta servanda: ideo ejus fuisse dicitur, cohibere manum, non vero animum. Nam timor pœnarum eo potissimum tendit, ut nos retrahat ab illis operibus, quæ si fecerimus, alicui pœnæ obnoxii evadimus. Quia lex vero vetus præcipue comparata erat ad regendos actus exteriores, dicitur lex factorum, sicut lex Evangelica vocatur lex fidei, quia ad animos recte informandos est præcipue instituta. Attamen sicut lex evangelica ea quoque præcipit, quæ exterius opere debent compleri: ita etiam lex vetus mandat etiam illa, quæ interius animo perficiuntur.

LIBER QUARTUS.

De Lege Evangelica.

Lex Evangelica et implevit veterem et quod hæc non poterat, ipsa perfecit. Hanc ergo SS. legem et in se habere rationem veræ legis, et ejusdem latorem fuisse Jesum Christum, duo sunt, de quibus in duobus hujus libri capitibus disputabimus. Juristæ Protestantes sequuti Lutherum, atque Calvinum negant utrumque: nam legem Evangelicam, et dici non posse veram legem, et latorem illius non fuisse Christum, propugnat uterque Coccejus in suis commentariis ad libros Hugonis Grotii *De Jure belli, et pacis*, videlicet ad §. 18. cap. 1. lib. 1., ad §. 6. et 8. cap. 2. lib. 1., ad §. 25. cap. 5. lib. 2., ad §. 20. cap. 13. lib. 2., atque alibi sæpe. Alii quoque Grotii commentatores hoc idem tenent, uti Gronovius in adnotatione ad §. 6. cap. 2. lib. 2. in qua etiam tradit, omnes Protestantes ita opinari, et Gulielmus Vander Muelen in commentario ad num. 3. §. 6. cap. 2. lib. 1., atque alii.

CAPUT PRIMUM.

De Lege evangelica, quatenus continet rationem veræ legis.

Hic quoque Novatorum est error, videlicet, hoc discrimen intercedere inter evangelium, et veterem legem, ut hæc promitteret justitiam, et salutem cum ea conditione, ut tota lex impleretur; illa justitiam, et salutem absolute promittat, et solam fidem requirat. Unde Christum pro Redemptore quidem habent, non pro Legislatore, et legem evangelicam in se non habere rationem veræ legis tuentur.

Prop. I. Lex evangelica nihil eorum non habet, quæ ad veram legem requiruntur.

Prob. prop. Consentiunt omnes ad rationem veræ legis hæc tria requiri: 1. ut proficiscatur a legitimo legislatore, qui publica sit potestate præditus: 2. ut sanctionem sibi conjunctam habeat: 3. ut promulgata sit. Legi evangelicæ nihil horum deest. Nulla enim potestas excogitari potest major illa, qua Lex evangelica lata fuit. Christus enim tum per se, tum etiam ministerio Apostolorum, dum hic nobiscum degeret, illam primo promulgavit, deinde vero redivivus a mortuis in hunc modum alloquutus fuit Apostolos *Matt.* cap. ult. 18. et seq. *Data est mihi omnis potestas in cælo, et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Etiam sanctionem lex evangelica sibi conjunctam habet. Licet enim sanctio tum promissioni præmiorum, tum comminationi pœnarum innitatur; tamen si sermo sit de ea sanctione, quæ est ab humana potestate, non in promissione præmiorum, sed in comminatione pœnarum potissimum constitui debet, semel ac attendatur potestas ipsius legislatoris. At Dei est infinita potentia tum in puniendo transgressores suæ legis, tum etiam in præmio referendo illis, qui eamdem servaverint. Hac vero de causa si habeatur ratio ejus sanctionis, quæ est propria legis evangelicæ, tum in comminatione pœnarum, tum in promissione præmiorum æque consistit, sicuti constat ex cap. 25. *Matt.* 31. et seqq. Quare lex Evangelica sanctionem undequaque completam in se continet. Ejus vero promulgatio facta publica auctoritate fuit: nam Christus, cui data erat omnis potestas in cælo, et in terra, præcepit Apostolis, ut eam ubique gentium promulgarent, atque servandam indicerent: Apostoli autem neque quarumvis pœnarum, neque ipsius mortis metu deterriti, quod sibi Christus mandaverat, maxima alacritate præstiterunt, et Ma-

gistratibus, atque Principibus Sacerdotum sibi præcipientibus, ut abstinerent a promulgatione legis evangelicæ, absque ulla hæsitatione responderunt *Actorum* 5. 29. *obedire Deo oportet magis, quam hominibus.* Lex ergo evangelica nihil eorum non habet, quæ requiruntur ad rationem veræ legis.

Prop. II. Qui negant, legem evangelicam habere in se rationem veræ legis, e medio tollunt ipsam Religionem Christianam.

Prob. Sicuti habet S. Augustinus in lib. *De Opere Monachorum* numer. 33., *omnium Christianorum una respublica est,* quæ a Jesu Christo habuit, ut tali nomine vocaretur, sicuti ait S. Justinus in sua I. *Apologia* num. 2. Hæc autem respublica a republica Ethnicorum, Judæorum, atque Turcarum longe differt propter multa sibi propria, atque singularia, et ab illis in tota tum suæ fidei, tum agendi ratione omnino distat. Ab iisdem autem non differret, si suas proprias leges non haberet, quibus utraque in re regeretur. At vero semel ac admittatur, Evangelium non habere rationem veræ legis, nihil proprium, et singulare huic reipublicæ superesset, quo et in tota ratione suæ fidei, et quoad omnes suas actiones singulariter regeretur: nam etiam Traditiones, quæ sunt quoddam Evangelium non scriptum, sicut ostendimus lib. 3. *De Locis Theologicis* rejiciuntur a Protestantibus: qui ergo negat, Evangelium veræ legis habere rationem, Christianam religionem a medio tollit.

CAPUT SECUNDUM.

De Jesu Christo legislatore.

Prop. Christum fuisse legislatorem, evidenter constat ex Sacris litteris.

Prob. prop. *Isaiæ* 33. 22. ita prophetatum fuisse legimus: *Dominus enim judex noster: Dominus legifer noster: Dominus rex noster: ipse salvabit nos.* Cap. 42. 1. *Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum, judicium gentibus proferet.* Quamvis autem ea omnia, de quibus in cap. præced. disputavimus, rem istam evincant, tamen illa etiam auctoritate Novi Testamenti nunc confirmanda est a nobis, ut magis magisque semper constet de hoc errore Protestantium, quum sit ille fons, et origo aliorum, quibus imbuti sunt. Apostolus *Hebræor.* 3. Christum cum Moyse, uti legislatorem cum legislatore, comparat, et quia sermo factus, Moysi ab Angelo ita firmus fuit, ut

omnis prævaricatio justam retributionem mercedis acceperit, inde colligit, multo graviora timenda esse a nobis, si sermonem filii Dei contempserimus. Cap. 5. et 9. tradit, Christum factum causam salutis omnibus obtemperantibus sibi: Christo autem obtemperant, qui servant præcepta ejus. At vero ipse Christus *Matt.* 11. 30. affirmat, suum jugum suave esse, et onus leve: exhortatio autem, et instructio dici non possunt onus, atque jugum, sed legi tantum, quæ obligat, et obligando gravat, oneris, et jugi nomen convenit. Unde etiam inquit Christus *Joan.* 14. 15. *Si diligitis me, mandata mea servate*: et cap. 15. 10. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.* Et Apostolus ad *Galat.* 6. 2. omnes ita monet: *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Hæc autem omnia, ut alia multa omittamus, dubitare neminem sinunt, Christum fuisse legislatorem.

Dices. Christus in sermone habito in monte explicationem de homicidio interno, de muliere non concupiscenda, de uxore non dimittenda, de juramento non faciendo, neque nou sumenda ultione, non opponit legi Moysis, sed falsæ interpretationi Pharisæorum: unde loco cujusdam legis haberi non possunt hæc omnia, quæ Christus in suo sermone tradidit. Ita Juristæ Protestantes supra citati. Coccejus autem in Dissert. 3. Proœmiali ad lib. Hugonis Grotii *De Jure belli et pacis* §. 47. statuit, fuisse quidem Christum interpretem legis veteris; tamen interpretationem illius non habendam uti *authenticam*, sed uti *doctrinalem*, qua omnes recte instituerentur.

R., Christum non destruxisse legem Moysis, sed adimplevisse; tamen dum adimplevit, egit personam legislatoris, et falsæ interpretationi Pharisæorum suam ipse doctrinam, uti legislator, opposuit. Nam in hoc sermone sua auctoritate indixit omnibus, quid faciendum esset, aut non faciendum, atque sui Patris, de quo dixit: (a) *mea tua sunt, et tua mea sunt,* præcepta promulgavit. Futurum denunciavit, ut minimus in regno cælorum vocaretur ille, qui solverit unum de suis minimis mandatis; ut non intraret in regnum cælorum, qui in justitia non abundaverit, plus quam Scribæ, et Pharisæi; ut mitteretur in gehennam ignis, qui cum fratre suo pacem inire non voluerit, mulierem alienam concupierit, aliis occasio scandali fuerit; ut in die judicii ipse et non nosceret, et a se omnes repelleret, qui iniquitatem fecerint, suaque præcepta audierint quidem, sed non servaverint. Contra vero spondet, multa bona a se, atque a Patre suo et in ista, et multo magis in altera vita profectura in illos, qui sua præcepta et audierint, et impleverint. Deinde sustulit sane Christus, quod de libello repudii, deque pœna ta-

(a) Joann. 17. 10.

lionis in veteri lege sancitum erat, aliosque a veteri ritus instituit, quibus in nova coleretur. Hæc autem omnia si non sint propria legislatoris, non video sane, quæ esse possint.

C. 1. Christus erat homo privatus, nullaque publica auctoritate propter suam originem munitus. 2. Vitam privatam egit, privatimque plures provincias docendo peragravit. 3. Testatus ipse fuit, suum regnum in hoc mundo non esse, neque venisse in hunc mundum, ut sibi omnes famularentur, vel ut solveret legem, atque Prophetas. 4. Non condemnavit adulteram, quam Judæi ejus judicio subjecerant, aut illi pœnitentiam aliquam impossuit; Petrum vero reprehendit gladio decertantem ad defensionem sui. 5. Se in hunc mundum venisse testatus fuit, ut vocaret peccatores, atque in peccatis dimittendis sua potestate uteretur. 6. Regnum cælorum appropinquasse docuit, omnibusque pœnitentiam suasit. 7. Quandoque quidem non servantibus sua mandata pœnas æternas comminatus fuit; verum eas non statuit, sed jure naturæ statutas explicavit. Hæc Coccejus in Dissert. 4. Procœmiali ad libros Hugonis Grotii *De Jure belli, et pacis* §. 45. Alia autem, quæ sunt etiam levioris momenti præ istis, nunc omittimus gratia brevitatis.

R. ad singula, et ad 1. dico, Christum fuisse Deum hominem, neque desiisse Deum esse, quia assumpsit naturam humanam. Quare eodem modo, quo Deo, etiam Christo competit potestas legislativa. „Legislator Moyses (inquit S. Gregorius M. „*Moral.* lib. 27. num. 3.) legislatores etiam Prophetæ.... sed „huic Mediatori in legislatoribus nullus similis est.... Sic mundo „ex humanitate loquitur, ut tamen eidem mundo ante secula „ex divinitate dominetur." Quare convenit Christo esse legislatorem non solum secundum divinam, sed etiam secundum humanam naturam. Unde Angelicus in III. *Sentent.* dist. 13. quæst. 2. art. 1. postquam pluribus ostendit, Christum tam divinæ, quam humanæ naturæ ratione, esse legislatorem, nonnullis aliis præhabitis, colligit, quod *communiter loquendo Christus, secundum quod Deus, potest dici caput Ecclesiæ simul cum Patre, et Spiritu Sancto; sed proprie loquendo est caput secundum humanam naturam.* Profecto capitis Ecclesiæ est, illam regere, atque gubernare: id autem sine legislatione præstari non potest. Qua ergo ratione convenit Christo esse caput Ecclesiæ etiam secundum humanam naturam, convenit quoque esse legislatorem.

Coccejus autem non reformidat Christum vocare hominem privatum, licet illum gentes expectaverint, Prophetæ ad ipsum respexerint, ad eumdem præfigurandum tota lex ordinata, atque in illo salus omnium reposita fuerit. Quin immo neque etiam ex sui origine fuit homo privatus, quum ex utroque genere, hoc est, Regum, et Sacerdotum illam duxerit.

Ad 2. dico, Christum, dum vixit in terris, non minus suam

humanitatem, quam divinitatem omnibus manifestam esse voluisse. Hinc licet in præsepio natus (ut rem unam tantum commemorem) adorari tamen voluit ab hominibus, sibique ab hujus mundi Principibus et munera deferri, et obsequium, sicuti supremo domino, præstari.

Qua autem confidentia dicatur, Christum privatim docuisse gentes, sane non video: nam suæ initio prædicationis sedit in templo in medio doctorum audiens, et interrogans illos, et quando docuit in synagogis, atque prædicavit Evangelium regni Dei, sequutæ sunt eum turbæ, et ut omittam alia multa, quando interrogatus fuit a Pontifice de suis discipulis, atque doctrina, respondit: *Ego palam loquutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, et in templo, in quo omnes Judæi conveniunt, Joan.* 18. 20.

Ad 3. dico, Regnum Christi fuisse in hoc mundo, non tamen de hoc mundo. Unde S. Augustinus Tract 115. in *Joan.* num. 2. recte advertit, Christum non dixisse, regnum meum non est in hoc mundo, sed non est de hoc mundo: quod sane ipse Christus confirmavit his verbis *Joan.* 18. 36. *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis*: deindeque non superaddidit: regnum meum non est *hic*, sed non est *hinc*. Quia ergo regnum illius erat in hoc mundo, Pilato se interroganti, utrum esset Rex: respondit: *tu dicis, quia Rex sum ego*. Quia tamen regnum ejus non erat hujus mundi: ideo quod solent terreni Reges, ab hominibus ipse non exegit.

In lege veteri considerari possunt finis, et præcepta. Finis justificationem hominum respiciebat, quam illa non poterat præstare, sed tantum præfigurabat, nova autem efficit. Moralia præcepta veteris legis Christus, uti supremus legislator explicavit, falsam interpretationem Pharisæorum rejecit, sustulitque, quod habebatur in illis quoad dimissionem uxoris, et legem talionis. Præceptis ceremonialibus futurum præfigurabatur, quod in nova lege factum præsupponitur: unde hac in lege nullus amplius locus erat illis, atque Christus totum ritum Sacramentorum eisdem substituit. Licet autem præceptis judicialibus aliquid futurum non præfiguraretur, tamen conditioni populi hebraici erant accommodata, ac propterea, sicut inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 104. art. 9. *Mutato statu illius populi, Christo jam veniente, judicialia præcepta obligationem amiserunt. Lex enim fuit pædagogus ducens ad Christum, ut dicitur ad Galat.* 3. Christus igitur et veterem legem implevit, et simul fuit legislator.

Ad 4. dico, Christum in adulteram usum illa potestate fuisse, qua ipse solus præditus erat. Quum enim esset auctor legis, illam secundum præceptum legis non condemnavit, sed absolutam dimisit. Petro autem interdixit quidem, ne gladio se defen-

deret verum simul illum monuit, futurum esse, si ipse vellet, ut plus quam duodecim legiones Angelorum mitterentur in defensionem sui. Et revera ipse per se effecit, ut abirent retrorsum, et in terram caderent, quotquot venerant ad capiendum illum, quando dixit eis: *Ego sum.* Joan. 18. 6.

Ad 5. fateor, Christum venisse in hunc mundum, ut vocaret peccatores, et in peccatis dimittendis sua potestate uteretur. At dimittere peccata, quæ contra leges jam latas commissa fuerint, solus legislator propria auctoritate potest.

Ad 6. dico, Christum pœnitentiam omnibus suasisse: verum simul indixit futurum, ut in æternum perirent, qui illam non agerent, contra qui agerent, salvarentur, atque ad suorum mandatorum obedientiam, vel transgressionem præmium, vel pœnam dixit consequuturam, et a se quidem illud retribuendum, istam infligendam in supremo judicii die.

Ad 7. dico, Uti supremum judicem constituisse, pœnas æternas a se illis esse infligendas, qui suam legem non servaverint: contra aliis, qui servaverint, æternum præmium se retributurum. Hoc autem utrumque de æternitate pœnarum, atque præmiorum licet non sit contra rationem, est tamen supra rationem, tantum abest, ut legis naturæ præceptis præfinitum sit.

Usque modo de hoc doctrinæ capite, quoniam in eo diutius immorari illa multa non sinunt, quæ a nobis disputanda supersunt. In Opere *De Jure, et legum disciplina* copiose egimus non solum de lege æterna, naturali, atque divina, sed etiam de humana tam ecclesiastica, quam civili.

DISPUTAT. XII.

DE GRATIA.

Licet a Deo, ejusque gratia sint etiam naturalia dona, quum illa non ex nobis, sed ex Deo gratuito habeamus; tamen nunc disputabimus de gratia, quatenus est donum supernaturale, et a Deo, uti auctore supernaturali proficiscitur, respicitque bona ordinis supernaturalis. Hæc gratia dicitur alia esse Dei, alia Christi, non quatenus dari possit aliqua gratia, quæ non sit a Deo, sed quatenus non confertur propter Christum, et propter merita ejus, qualis sane fuit gratia collata Angelis, et protoparentibus in sui creatione, indeque vocatur etiam gratia sanitatis, utpote data homini in statu innocentiæ, et sanitatis. Gratia vero Christi est, quæ confertur propter merita illius, et dicitur medicinalis, quia per eam liberamur ab infirmitate peccati. Nunc primo loco pauca de Pelagianis, et Semipelagianis.

Pelagius, qui huic sectæ nomen dedit, non unum, idemque semper sensit de gratia, vel saltem pressus vi argumentorum se sentire præsetulit. Hinc viri eruditi tres status hæresis illius plerumque distinguunt.

Primus est, in quo Pelagius reposuit gratiam in lege tum naturali, tum scripta, quatenus utramque *Deus in adjutorium hominibus dedit*, uti habent Patres Concilii Carthaginensis in sua epist. ad Innocentium, qui illud quoque superadduunt, sentire Pelagium, posse hominem *per propriam voluntatem* implere utramque legem (a).

Alter status fuit, in quo præter liberum arbitrium, legem, et doctrinam exteriorem admisit quasdam illustrationes, quibus intellectus cognosceret, quæ essent agenda. Nam adactus Pelagius ut explicaret, quam ipse gratiam præter legem, et doctrinam admitteret, quid *addiderit*, inquit S. Augustinus lib. *de Grat. Chr.* (num. 8.) *intuemini*: „Adjuvat enim nos Deus, „*inquit*, per doctrinam, et revelationem suam, dum cordis „nostri oculos aperit; dum nobis, ne præsentibus occupemur, „futura demonstrat: dum diaboli prudit insidias; dum nos mul„tiformi, et ineffabili dono gratiæ cælestis illuminat". Hæc Pelagius: verum illa omnia ad id esse comparata, *ut divina præcepta, et promissa discamus*, S. Augustinus animadvertit, indeque ita pronuntiat: *hoc est ergo gratiam Dei ponere in lege, atque doctrina*, simulque statuit (num. 9.), *hanc* (Pelagium) *gratiam Dei confiteri, qua demonstrat, et revelat Deus, quid agere debeamus, non qua donat, atque adjuvat, ut agamus.*

Tertius status est, in quo admisit gratiam possibilitatis, seu quæ dat posse. Nam Pelagium distinxisse tria, quibus implerentur divina mandata, advertit S. Augustinus in lib. *de Grat. Chr.* num. 4., hoc est, possibilitatem, voluntatem, et actionem, voluisseque, possibilitatem esse a Deo *creatore naturæ*, voluntatem, et actionem a nobis. Quare Pelagius, sicut superaddit S. Augustinus num. 6. *Nec voluntatem nostram, nec actionem divino credidit adjuvari auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis, atque operis.* Ultra etiam progressus fuit Pelagius (atque hic status quartus dici potest) tale etiam adjutorium admisit, quo Deus inclinet cor nostrum, quo voluerit, ita tamen, sicuti refert S. Aug. cit. lib. num. 24. *Ut præcedentibus meritis, sic ejus gratiam consequamur, ut cor nostrum, quo voluerit, ipse declinet.* Non solum autem voluit Pelagius, gratiam esse ex meritis, sed etiam ad facilius operandum solummodo dari. De quo errore illum, antea præmissis, quæ ipse dicebat, merito accusat S. Augustinus cit. lib. num. 44.

Hæresim Semipelagianam Massiliæ suam originem habuisse,

(a) Inter August. olim epist. 90., modo 176. num. 2.

dici potest: quidam enim in ea Presbyteri tum eruditione, tum pietate præditi, lecto libro Augustini *de Corrept. et Grat.*, non secus ac antea fecerant Monachi Adrumetini, semel posita efficacia gratiæ, de libero arbitrio actum esse, contenderunt. Hæc hæresis dicta fuit Semipelagiana, quia quoad aliqua cum Pelagiana conveniebat, quoad nonnulla dissentiebat ab illa. Contra Pelagium et peccatum originale, et necessitatem gratiæ ad opera salutis Semipelagiani tuebantur; at cum ipso negabant necessitatem gratiæ ad initium salutis, et ad perseverantiam. Hæc non esse opera salutis tuebantur: suam fidem esse concessam unicuique, putabant *voluntate conditoris, et nullam*, sicuti tradit Hilarius in epist. ad S. Augustinum nunc 226. num. 2., *ita depravatam esse, vel extinctam, ut non debeat, vel possit, se velle sanari.* Perseverantiam autem libero arbitrio tribuebant, *ut quibus datur, inerti licet, præcedenti tamen proprio arbitrio tribuatur*, eodem Hilario teste in cit. epist. num. 4. Unde juxta Semipelagianos initium salutis, et perseverantia in eo conveniebant inter se, ut quum primo incipimus nostri liberi arbitrii virtute consentire Deo, initium salutis habeatur; quum vero eadem virtute permanemus in consensu semel præstito, habeatur perseverantia. Hinc S. Augustinus loquens de Semipelagianis in lib. *de Dono persev.* num. 42. ait: „*Initium fidei, et usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent, neque ad hæc habenda vel retinenda, Deum operari nostras cogitationes, et voluntates.* Eo quoque in errore Semipelagiani versati fuerunt, *ut voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem*, sicuti refert S. Prosper in epist. ad S. Augustinum nunc 225. num. 6. Verum hac de re satis. Ea nunc igitur recensebimus, de quibus in hac tota disputatione de gratia agere instituimus. Novem libris eam complectemur: in 1. disseremus de gratia, quæ dicitur singulariter gratis data: in 2. de gratia actuali, quatenus est donum undequaque gratuitum: in 3. de gratia sufficienti: in 4. de gratia efficaci: in 5. de ceteris divisionibus gratiæ actualis: in 6. de gratia habituali: in 7. de necessitate gratiæ ad verum cognoscendum: in 8. de necessitate gratiæ ad bonum faciendum: in 9. de necessitate gratiæ ad perseverandum.

LIBER PRIMUS.

De Gratia, quæ singulariter dicitur gratis data.

Gratia in actualem, et habitualem primo quidem dividitur: quum tamen gratia actualis respiciat habitualem uti suum terminum, quia omnis gratia actualis tendit ad conjungendum hominem Deo, quod sane fit per habitualem, ideo de gratia actuali primo loco agemus. Nunc ergo paucis de gratia gratis data, cujus aliqua species, sicuti prophetia, inter actuales gratias locum habet, quemadmodum ostendit S. Thomas 2. 2. quæst. 171. art. 2.

CAPUT UNICUM.

De natura gratiæ gratis datæ.

„Duplex est (inquit S. Thomas 1. 2. quest. 111. art. 1.) „gratia: una quidem, per quam ipse homo Deo conjungitur, „quæ vocatur gratia gratum faciens, alia vero, per quam unus „homo cooperatur alteri ad hoc, quod ad Deum reducatur: hujusmodi autem donum vocatur gratia gratis data, quia, supra „facultatem naturæ, et meritum personæ, homini conceditur. „Sed quia non datur ad hoc, ut homo ipse per eam justificetur, sed potius ad justificationem alterius cooperetur; ideo „non vocatur gratum faciens, et de hac dicit Apostolus I. *Corint.* 12. 7. *unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem,* „scilicet aliorum."

Est quidem gratis data etiam gratia gratum faciens; verum hæc, sicut inquit S. Thomas cit. loco ad 4., „Addit aliquid supra rationem gratiæ gratis datæ, quod etiam ad rationem gratiæ pertinet, quia scilicet hominem facit gratum Deo; et ideo „gratia gratis data, quæ hoc non facit, retinet sibi nomen commune, sicut in pluribus aliis contingit."

Prop. I. Datur gratia gratis data, eaque est multiplex juxta Apostolum Paulum.

Prob. prop. Sicuti tradit S. Thomas, gratia gratis data est illa, quæ refertur ad salutem aliorum: sed datur hujusmodi gratia: ergo. Gratias gratis datas recenset idem Apostolus 1. *Corint.* 12. 8. et seq. „Alii quidem per spiritum datur sermo sa-

„ pientiæ : alii autem sermo scientiæ secundum eumdem spiritum: „ alteri fides in eodem spiritu ; alii gratia sanitatum in uno spi- „ ritu : alii operatio virtutum : alii prophetia : alii discretio spi- „ rituum : alii genera linguarum : alii interpretatio sermonum." In hisce autem gratiis omnia comprehendi, quæ requiruntur ad instituendum alios in rebus supernaturalibus, S. Thomas cit. quæst. art. 4. singillatim explicavit.

Prop. II. Gratia gratis data, si spectetur in se, est ordinata ad salutem aliorum, quamvis prodesse possit ad salutem etiam illius, qui eamdem habet.

Prob. prop. Si gratia gratis data in se spectata esset in salutem ejus, qui eamdem recipit, non conferretur etiam illis, qui sunt alieni a salute : sed istis quoque confertur : ergo. Prob. min. Donum prophetiæ præeminet inter ceteras gratias gratis datas : hoc donum fuit in Caipha, qui, sicut legimus apud *Joannem* 11. 51. Quum esset *Pontifex anni illius, prophetavit, quod Jesus moriturus erat pro gente.* Gratia igitur gratis data præditi ii quoque fuerunt, qui erant alieni a salute : hæc ergo gratia in se spectata non habet, ut conferat ad salutem ejus, qui illam recipit.

Nihil tamen obstat, quin etiam in salutem illius quandoque cedat, sicut nihil obstat, quin gratia gratum faciens ex se ordinata ad salutem recipientis, cedat etiam in salutem aliorum. Nam donum doctrinæ datum ad instructionem aliorum est gratia gratis data ; et tamen *Daniel.* 12. 3. hæc legimus. *Qui ad justitiam erudiunt multos*, (fulgebunt) *quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Simili ratione quæ bona opera fiunt auxilio gratiæ gratum facientis, etiam ad utilitatem aliorum conducunt. *Matt.* 5. 16. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.*

LIBER SECUNDUS.

De Gratia gratum faciente, quatenus est undequaque gratuita.

Gratia dicitur gratuita, quia Deus eam gratis, ac propterea nullo modo ob nostra prævia merita, nobis confert. Patres, non minus habitualem, quam actualem gratiam esse gratuitam, statuerunt, atque excluserunt a gratia non solum meritum, quod dicitur de condigno, quod habet in se quamdam condignitatem ad præmium, quodque propterea illi quodam jure debetur, sed etiam alterum, quod de congruo vocatur, cui non quidem ex justitia, sed ex quadam congruitate præmium rependitur : immo

vero excluserunt etiam omnem dispositionem, aut præparationem viribus naturæ factam, quæ aliquam, vel minimam rationem meriti in se habere posset. Hæc sententia Augustini fuit, quam propugnavit contra Pelagianos, atque Semipelagianos epistol. alias 105., nunc 194. num. 7. et seqq., epist. alias 46., nunc 214. num. 3. et seqq., lib. 1. *Cont. duas epist. Pelag.* num. 37., lib. 2. num. 17. lib. de *Prædest. SS.* num. 4. et seqq., multisque aliis in locis. Ut hac in re tam gravi ordinate procedamus, initium, progressum, et complementum boni operis, quod ad gratiam, vel gloriam consequendam conducit, esse a Deo, in cap. 1. ostendemus: in 2. de ea gratia disseremus, quæ requiritur ad initium, progressum, et complementum boni operis: in 3. ostendemus, nullam præparationem ad gratiam dari posse in homine secundum proprias vires illius: in 4. gratiam esse undequaque gratuitam: in 5. de ea ratione agemus, qua effatum illud: facienti quod est in se, Deus largitur gratiam, vel cum gravissimo errore, vel ullo sine errore accipitur.

CAPUT PRIMUM.

De initio, progressu, et complemento bonorum operum, quatenus sunt a gratia Dei.

Initium, progressum, et complementum bonorum operum conducentium ad consequutionem vitæ æternæ esse a supernaturali Dei gratia, est sane præcipuum fundamentum totius doctrinæ de divina gratia, nostræque infirmitatis, quam præ oculis habere semper debemus, evidentissimum argumentum. Nunc ergo generatim de hoc capite doctrinæ, suo autem loco de quibusdam, quæ sine præveniente adjutorio gratiæ fieri non possunt.

Prout nunc ad rem nostram interest, illud advertimus, nos quoque revera operari in initio, progressu, et complemento boni operis, quamvis ea sint a præveniente, et concomitante gratia Dei. Est etiam attendendum, initium, progressum, et complementum boni operis tripliciter considerari posse: 1. secundum partes successivas ipsius boni operis, puta jejunii, quod non unico actu servatur, sed pluribus sibi succedentibus: 2. habita ratione imperfectionis, et perfectionis; quis enim primo remisse, deinde firmo proposito velle potest aliquod bonum: 3. prout bonum opus dicitur initium habere in cogitatione, progressum in voluntate, et in opere complementum. Juxta hunc triplicem respectum initium, progressus, et complementum boni operis est a Deo.

Prop. I. Initium boni operis est a supernaturali dono gratiæ.

Prob. prop. Hoc sane generatim probant deprecationes fidelium, eorumque actiones gratiarum. Deum enim orant pro infidelibus, atque peccatoribus, ut illis tribuat lumen fidei, istis voluntatem resipiscendi a malo: agunt autem gratias Deo, quod tam in se, quam in aliis bonum inchoaverit, indeque, prout oportet, de initio boni operis non in se, sed in Domino gloriantur. Hoc principium inculcavit Zosimus in sua *Tractoria* ad universos orbis Episcopos fragmento 2. sicuti apud Coustantium legitur: „ Quod ergo (inquit) tempus intervenit, quo ejus non egeamus „ auxilio? In omnibus igitur actis, causis, cogitationibus, motibus adjutor, et protector orandus est." Hinc Apostolus *Philip.* 1. 6. *Qui cœpit in vobis opus, bonum perficiet.* II. *Corint.* 3. 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia no tra ex Deo est. Joan.* 14. 10. *Quoniam ipse prior dilexit nos.* Unde *Isaiæ* 42. 16. *Ducam cæcos in viam, quam nesciunt, et in semitis, quas ignoraverunt, ambulare eos faciam.*

Hanc doctrinam Patres Pelagio etiam antiquiores docuerunt. S. Hilarius Tract. in psal. 118. littera 5. num. 12. *Est ergo* (inquit) *a nobis, quum oramus, exordium, ut munus ab eo sit.* S. Ambrosius lib. 10. in *Lucam.* num. 89. tunc tantum Petrum flevisse animadvertit, quando Christus illum respexit. Et lib. 2. num. 48. „ Vides itaque (inquit) quia ubique Domini virtus stu„ diis cooperatur humanis, ut nemo possit ædificare sine Do„ mino, nemo quidquam incipere sine Domino". Hunc autem locum Pelagio, atque Cælestio objecit S. Augustinus lib. de *Grat. Chr.* num. 48. Quod spectat ad S. Joannem Chrysost., satis est, ut videatur explicatio ejus in loca Apostoli Pauli, quæ nos in medium protulimus. S. Augustinus hoc fidei dogma in toto lib. de *Prædest. SS.* contra Semipelagianos data opera propugnavit. His accedit, in II. Arausicano Concil. can. 3., et quinque sequentibus definitum legi: gratiam Dei facere, ut ipse Deus invocetur a nobis: Deum non expectare nostram voluntatem, sed Spiritus Sancti virtute fieri, ut velimus: initium fidei, atque ipsum affectum credulitatis dono gratiæ, esse in nobis; inspiratione gratiæ fieri, ut credamus, velimus, desideremus, conemur. Hæc usque modo de ista veritate catholica.

Dices. Frustra præcipitur homini, quod ipse præstare non potest: sed in Sacris litteris nobis plura servanda præcipiuntur: ergo illa ex nobis servare possumus, ne frustra præcepta fuisse dicantur.

R. cum dist., Frustra præcipitur homini, uti servandum propriis viribus, quod ipse per se servare non potest: conc., ut servandum cum adjutorio virtutis superioris, neg. Huic argu-

mento sibi sæpius repetito, sæpius etiam respondit S. Augustinus. „Dominus autem (inquit in lib. de *Corrept. et Grat.* num. „2.) non solum ostendit nobis, a quo malo declinemus, et „quod bonum faciamus, quod solum potest legis littera; verum „etiam adjuvat nos, ut declinemus a malo: quod nullus po„test sine spiritu gratiæ." Num. 4. Non se itaque fallant, qui dicunt: *ut quid nobis prædicatur, atque præcipitur, ut declinemus a malo, et faciamus bonum, si hoc nos non agimus, sed id velle, et operari, Deus operatur in nobis?* „Sed po„tius intelligant, si filii Dei sunt, spiritu Dei agi, ut quod „agendum agant. Aguntur enim, ut agant, non ut ipsi nihil „agant, et ad hoc eis ostenditur, quid agere debeant, ut quando „id agunt, quod agendum est.... accepisse se gaudeant." Lib. de *Nat. et grat.* num. 50. „Non igitur Deus impossibilia jubet, „sed jubendo admonet et facere, quod possis, et petere, quod „non possis."

„Dicendum, quod illa virtus (inquit S. Thomas 2. 2. quæst. „24. art. 3.) secundum quam sua dona Deus dat unicuique, „est dispositio, vel præparatio præcedens, sive conatus gratiam „accipientis. Ad hanc etiam dispositionem, vel conatum præ„venit Spiritus Sanctus movens mentem hominis vel plus, vel „minus secundum suam voluntatem. Unde et Apostolus dicit „ad *Coloss.* 1. 12. *qui dignos nos fecit in partem sortis „sanctorum in lumine.*" Hæc autem si præ oculis habeantur, uno verbo respondetur multis exemplis ex Scriptura depromptis, quibus homines suis viribus se ad gratiam præparasse videntur. Talia sunt exempla Zachæi, qui ductus desiderio videndi Christum, et hospitem, et salvatorem habere illum promeruit; Centurionis, cujus fidem Christus admiratus fuit; latronis exorantis Christum in cruce, a quo meruit audire: hodie mecum eris in paradiso. His enim, aliisque similibus usus fuit etiam Cassianus ad adstruendum, quosdam posse per liberum arbitrium, quod alii sine gratia non possunt, sicuti tradit S. Prosper in lib. *Cont. Collat.* cap. 7. num. 3. et in epist. ad Rufinum num. 7.

Loca Patrum, quæ contra afferuntur, nunc explicare, nimis longum esset, idque viri sapientissimi jam præstiterunt, nonnullorum præcipue Patrum habita ratione, quorum dicendi ratio in aliquibus locis vel est obscura, vel saltem apparenter non omnino conformis dogmati, quod nunc tuemur. Quod spectat ad S. Cyrillum Jerosolym., vir maximæ eruditionis Ant. Augustinus Touttée, Monachus Congreg. S. Mauri cap. 7. suæ 3. dissert. prævie operibus ejusdem S. Patris ostendit, dici nullo modo posse, eum *haud satis exacte, et plene de beneficio gratiæ Dei*, fuisse loquutum, contra ac putavit Estius in lib. II. *Sententt.* dist. 26. §. 19.

Prop. II. Progressus, et complementum boni operis est a Deo.

Prob. prop. Ea nunc non urgebimus, quæ generatim hoc quoque probant, quod modo volumus, videlicet: *sine me nihil potestis facere: quid habes, quod non accepisti? Deus omnia in omnibus operatur;* sed quædam in medium adducemus, quæ peculiariter in rem nostram faciunt. *Philip.* 1. 6. *Quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* Cap. 2. 13. *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et perficere pro bona voluntate.* Psal. 16. 5. *Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* Psal. 67. 29. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* Unde non mirum si Ecclesia in suis orationibus petat a Deo, ut nostras actiones adjuvando prosequatur, ut omnis oratio nostra, quæ ab ipso habuit initium, habeat et finem, itemque ut in nobis sua dona perficiat.

Verum non solum orationibus, sed etiam definitionibus Ecclesia docuit, progressum, et complementum boni operis esse a Deo. Concil. Arausic. II. can. 5. statuit, tam initium, quam augmentum fidei esse a dono gratiæ: can. 10. sanxit, a renatis et sanctis Deum semper esse implorandum, ut ad finem bonum pervenire, et in bono opere perdurare possint: can. 25. ita: „Prorsus donum est diligere Deum. Ipse, ut diligeretur, dedit, „qui non dilectus dilexit.... Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod, accepta per baptismum gratia, omnes „baptizati, Christo auxiliante, et cooperante, quæ ad salutem „pertinent, possint, et debeant, si fideliter laborare voluerint, „adimplere." Et Concil. Trident. ses. 6. cap. 16. docet, quod virtus Christi bona opera: *Semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata, et meritoria esse possent.*

Dices. Semel ac admittatur, boni operis initium, progressum, atque complementum esse a Deo, totum bonum opus erit a Deo: hoc autem semel posito, illud consequitur, nullum locum remanere libero arbitrio, nostrisque meritis. Quare dicendum est, Patres eo sensu tribuisse totum bonum Deo, ut intellexerint, totam congeriem bonorum operum, non vero singulas partes cujusvis boni operis Deo tribui debere.

R. totum sane bonum, seu singulas partes cujusvis boni operis Deo tribui debere: hoc sane suadent loca Scripturarum, Conciliorum, atque etiam SS. Patrum, quæ supra in medium protulimus, sicut alia multa, quæ proferre poteramus, quæque et apertissima, et amplissima in sequentibus, prout doctrinæ ratio postulabit, proferemus. Nunc uno verbo: *Non quod simus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est,* inquit Apostolus II. *Corint.* 3. 5. Si

igitur non sumus sufficientes ex nobis cogitare opus bonum, multo minus illud amplecti, prosequi, atque perficere.

Totum ergo bonum est a Deo, quin tamen inde sequatur, nullum locum superesse libero arbitrio, nostrisque meritis. De utroque multis suo loco, nunc paucis, prout ad rem nostram interest. *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præstet, ut faciat homo.* Ita in can. 20. II. Concil. Arausicani. Quando enim Deus prævenit hominem sua gratia, fit in eo bonum, quod ipse non facit, quando autem homo præventus gratia Dei bonum amplectitur, prosequitur, et perficit; homo sane facit bona, tamen ut ea faciat, Deus facit, et simul cum illo facit. Hinc S. Ambrosius lib. 1. de *Cain. et Abel.* cap. 10. num. 45. *Quidquid autem* (inquit) *sanctum cogitaveris, hoc Dei munus est, Dei inspiratio, Dei gratia.* S. Augustinus lib. 2. de *Peccat. merit. et remiss.* num. 28. „Sed laborant homines invenire in nostra „voluntate, quid boni sit nostrum, et quod nobis non sit ex „Deo, et quomodo inveniri possit, ignoro." Et in *Enchirid.* num. 9. „Restat, ut propterea dictum intelligatur: non volentis, ne„que currentis, sed miserentis est Dei, ut totum Deo detur, „qui hominis voluntatem bonam et præparat adjuvandam, et „adjuvat præparatam... Nolentem præparat, ut velit, volentem „subsequitur, ne frustra velit." Angelicus 1. 2. quæst. 111. art. 2. ad 2. „Deus (inquit) non sine nobis nos justificat, quia per mo„tum liberi arbitrii dum justificamur, Dei justitiæ consentimus. „Ille tamen motus non est causa gratiæ, sed effectus. Unde to„ta operatio pertinet ad gratiam." Ita tamen, ut etiam homo vere agat, libereque agat. Nam Deus sicut inquit S. Augustinus de *De Corrept. et Grat.* num. 45., atque etiam ipsa ratio convincit, „Magis habet in sua potestate voluntates hominum, quam „ipsi suas." Unde illis verbis Apostoli *ad Rom.* 9, 16. *non est volentis, et currentis, sed miserentis est Dei,* sicuti advertit S. Thomas III. *Cont. Gent.* cap. 149. *Non excluditur liberum arbitrium, sicut quidam male intellexerunt, quasi homo non sit dominus actuum interiorum, et exteriorum, sed ostenditur Deo esse subjectum.*

Voluisse autem Patres initium, progressum, et complementum boni operis esse a Deo, ipsa eorum loquendi ratio manifeste prodit.

CAPUT SECUNDUM.

De ea gratia, quæ requiritur ad initium, progressum et complementum bonorum operum.

Petavius tom. 3. *Dogm. Theol.* lib. unico de Pelag. et Semipel. hær. cap. 10. num. 12. statuit, totam de gratia quæstio-

nem Augustinum inter, et Semipelagianos positam in eo fuisse, ut isti reponerent gratiam in *sola illustratione mentis sine ulla motione voluntatis*: S. Augustinus autem, *hanc posteriorem maxime esse Christi gratiam, arbitratus sit.* Superaddit, plures Theologos Catholicos sentire, gratiam Christi positam esse in sola illuminatione mentis, et gratiam, quæ *in permotione voluntatis sita est, uti utilem*, non vero necessariam agnoscere. „ Quorum „ tamen (inquit) eatenus a Semipelagiano dogmate causa dis- „ tat, quod ab luce ista, illuminationeque mentis redundare ali- „ quid in voluntatem asserunt." Hinc num. 16. affirmat, controversiam de gratia inter S. Augustinum, et Pelagium componi potuisse, si iste gratiam illustrationis admisisset, quamvis *nihil in voluntate ipsa moliri istam gratiam* vellet. At fallitur vir clarissimus; sicut enim ipse tradidit, controversia inter Augustinum, et Semipelagianos erat in eo posita, ut isti reponerent gratiam in sola illustratione mentis sine permotione voluntatis, Augustinus autem in hac permotione gratiam potissimum reponeret. De efficacia gratiæ nunc non disputamus: hoc enim in sequentibus faciemus, id unum ergo conabimur evincere, ad initium, progressum et complementum boni operis requiri gratiam, quæ non solum illuminet intellectum, sed etiam voluntatem moveat.

Prop. Gratia, quæ requiritur ad initium, progressum, et complementum boni operis, non solum lumine quidem suo in intellectum, sed etiam sua virtute potissime agit in voluntatem.

Prob. prop. *Ezechiel.* 36. 26. *et seq. Dabo vobis cor carneum... et faciam, ut in præceptis meis ambuletis, et operemini. Philip.* 2. 13. *Deus est, qui operatur in vobis velle, et perficere.* Ipse Christus *Joan.* 6. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Hæc autem omnia sine motione voluntatis perfici non possunt. Unde Concilii II. Arausicani Patres, cum spiritu hæretico falli, definiunt, qui dixerit, quæ ad salutem spectant, a nobis cogitari, aut eligi posse, prout expedit, *absque illuminatione, et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, et credendo.* Et Trid. Concil. sess. 6. de Justificat. can. 3. „ Si quis dixerit sine præ- „ veniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, ho- „ minem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut „ oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit." Quare homo indiget quidem illustratione ad ea cognoscenda, quæ excedunt naturalem rationem, sicut advertit S. Thomas 1. 2. quæst 109. art. 1.; attamen ut illis assentiatur, sicuti superaddit Angelicus 2. 2. quæst. 6. art. 1., *Oportet ponere aliam causam interiorem, quæ movet hominem interius ad assentiendum his, quæ sunt fidei.*

Hanc sane gratiam, quæ movet voluntatem hominis, S. Augustinus contra Pelagium inculcavit, atque defendit, eumque

manifesti erroris redarguit. Pelagius autem licet Apostolum ajentem : *Deus est enim, qui operatur in nobis velle, et perficere,* sibi contrarium non esse contenderet, eo tandem devenit, ut affirmaverit, Deum operari in nobis velle, quod bonum est, *dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem*, sicuti tradit S. Augustinus in lib. de *Grat. Chr.* num. 11. Hoc sane non contentus Augustinus, ita contra Pelagium, ejusque cavillationes: „Sed nos eam gratiam volumus iste ut ali„quando fateatur, qua futuræ gloriæ magnitudo non solum pro„mittitur, verum etiam creditur, et speratur; nec solum reve„latur sapientia, sed et amatur; nec solum suadetur quod bo„num est, verum et persuadetur." Atque post alia tandem ei objicit illud Christi : *nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum:* et tandem superaddit : „Nunc debet „Pelagius gratiam confiteri, si vult non solum vocari, sed etiam „esse Christianus." Ex his vero duo constant : 1. falsum esse, quæstionem de gratia inter Augustinum, et Pelagium componi potuisse, si iste gratiam illustrationis admisisset : nam admisit sane, præter hanc tamen voluit Augustinus, ut Pelagius, si non solum vocari, sed etiam vellet esse Christianus, eam gratiam confiteretur, qua credimus, speramus, amamus, atque trahimur : 2. illos Theologos catholicos, quos Petavius commemorat, aut nihil, aut saltem parum differre a sententia Pelagii : iste enim revelatione sapientiæ, seu gratia illuminante, posuit suscitari stupentem voluntatem in desiderium Dei : isti aliquid ab illuminante gratia redundare in voluntatem. Alia in hanc rem necesse non est, ut superaddamus, vel explicemus loca Augustini, quibus Petavius cit. lib. et cap. num. 14. ostendi contendit, gratiam Christi *certo in doctrinæ, illuminationisque genere constitutam esse.* Pluribus enim inferius constabit, qua ratione S. Doctor gratiam in voluntatem agere voluerit.

CAPUT TERTIUM.

De præparatione ad gratiam.

Utrum homo sua virtute possit se præparare ad gratiam, hoc vero est, quod modo quærimus. Pelagius ideo aliquos statuit esse damnandos, „Quia quum habeant liberum arbitrium, per „quod ad fidem venire possent, et Dei gratiam promereri, ma„le utuntur libertate concessa", sicuti legitur apud S. Augustinum lib. de *Grat. Chr.* num. 34. Julianus quoque, et socii illius putarunt, hominem suis viribus se posse præparare ad gratiam,

uti constat ex S. Augustino lib. 2. *Cont. duas epist. Pelagian.* num. 17. Idem senserunt etiam Semipelagiani, hoc est, imperfectam cupiditatem boni esse a nobis (a). Ut res ista in bono lumine ponatur, adverti debet, aliquos auctores Catholicos, quos refert Estius in lib. II. *Sentent.* dist. 26. §. 39., putasse, id unum voluisse Patres contra Pelagianos, ut gratia generatim accepta non daretur ex merito de condigno, quoad meritum autem de congruo non fuisse sollicitos: unde sine errore dici putarunt, hominem suis viribus facere quædam posse, quibus auxilium divinum mererentur de congruo (b). De sententia Molinistarum quoad rem istam in cap. 5. videbimus. Nos tuemur, nullam esse rationem meriti in nostris operibus, factis naturæ viribus, ac propterea neque proxime, neque remote nostra nos virtute ad gratiam disponere posse, licet minor indispositio ad gratiam habeatur in uno, quam in altero: qui enim sese exercet in bonis operibus moralibus est minus indispositus ad gratiam præ altero, qui obruitur peccatis. Attamen illius indispositio minor nullam, etiam remotam, cum gratia connexionem habet.

Prop. I. Solis naturæ viribus ne optare quidem possumus auxilium gratiæ.

Prob. prop. Illud Apostoli Pauli: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*, intelligendum esse de iis, quæ spectant ad salutem, omnes consentiunt: at desiderium auxilii gratiæ spectat ad salutem: desiderium enim ejus, quod ducit ad salutem, spectat ad salutem: ergo si aliquid spectans ad salutem non sumus sufficientes cogitare ex nobis, quasi ex nobis, potiori jure non sumus sufficientes habere ex nobis, quasi ex nobis, desiderium salutis. „Quis autem (inquit S. Augustinus lib. de „*Corrept. et Grat.* num. 2.) confugit ad gratiam, nisi quum a „Domino gressus hominis diriguntur, et viam ejus volet? Ac per „hoc et desiderare auxilium initium est gratiæ, de quo ait „ille (c): *Et dixi, nunc cœpi, hæc mutatio dextêræ Excelsi.*"

Dices. Apostolus *Rom.* 7. 18. ait. *Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*: ergo desiderium salutis est a nobis, licet consummatio ejus esse non possit, sicuti ex Apostolo Cassianus colligebat.

R. cum S. Prospero in lib. *Cont. Collat.* cap. 4. num. 2. „Dixit quidem B. Apostolus: *velle enim adjacet mihi, perfice„re autem bonum non invenio*, sed idem dixit: *non quia ido-*

(a) Vid. Lemosius *Panopl.* tom. 1. Tract. 1. cap. 7.
(b) Vid. Lemosius cit. tom. Tract. 5. cap. 8.
(c) Psalm. 76. 11.

„ *nei sumus cogitare aliquid a nobis, quasi a nobis ipsis,* „ *sed sufficientia nostra ex Deo est.* Et idem dixit (a): „ *Deus est enim, qui operatur in vobis et velle, et operari* „ *pro bona voluntate.* Non ergo Apostolus sibi contrarius est. Sed „ quum donatum nobis fuerit bonum velle, non statim inveni- „ mus et facere, nisi petentibus, quærentibus, atque pulsan- „ tibus, ut, qui dedit desiderium, præstet effectum."

Prop. II. Solis naturæ nostræ viribus petere non possumus auxilium gratiæ.

Prob. prop. Hæc Evangelii (b): *Petite, et accipietis: quærite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis*; Julianus opposuit, ut ostenderet, in negotio salutis aliquid expectandum esse a nostra voluntate. Cui ita S. Augustinus lib. 4. contra eumdem num. 41. „Ibi enim vos, ut video, ponere jam cœpistis me- „ rita gratiam præcedentia, quod est petere, quærere, pulsare, „ ut his meritis debita illa reddatur, ac sic gratia inaniter „ nuncupetur: tamquam gratia nulla præcesserit, et cor teti- „ gerit, ut beatificum bonum peteretur a Deo, ut quæreretur „ Deus, ut pulsaretur ad Deum, frustraque sit scriptum: mise- „ ricordia ejus præveniet me." Ita ergo accipi debere, quæ Julianus opponebat ex Scriptura, S. Augustinus docuit, ut petatur, quæratur, atque pulsetur, præveniente auxilio gratiæ divinæ. Non minus Juliani, quam Cassiani fuit error, nos viribus naturæ petere posse auxilium a Deo, quem refutavit S. Prosper lib. *Cont. Collat.* cap. 12. num. 4. dicens: „Bonam „ igitur voluntatem, eam scilicet, qua adhæretur Deo: nec ne- „ gandum est, hominis esse propriam, et confitendum est, Deo „ inspirante, conceptam. Nam quum nemo sit bonus, nisi solus „ Deus; quale erit bonum, quod auctorem non habet bonum?" Accedit in hanc rem auctoritas Concilii Arausicani II. ita statuentis can. 3. „Si quis invocatione humana gratiam Dei dicit „ posse conferri, non autem ipsam gratiam facere, ut invoce- „ tur a nobis, contradicit Isaiæ Prophetæ, vel Apostolo idem „ dicenti: (c) Inventus sum a non quærentibus me: palam „ apparui iis, qui me non interrogabant." Et can 6. „Si quis „ sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conan- „ tibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petenti bus, „ quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri „ divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia, „ sicut oportet, agere valeamus, per infusionem, et inspiratio- „ nem S. Spiritus in nobis fieri confitetur; et aut humi- „ litati, aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adjuto-

(a) Ad Philip. 2. 13.
(b) Matth. 7. 7.
(c) Ad Rom. 10. 20. et Isai. 65. 1.

„ rium, nec, ut obedientes, et humiles simus, ipsius gratiæ „ donum esse, consentit, resistit Apostolo dicenti: (a) *Quid „ habes, quod non accepisti? et gratia Dei sum id, quod „ sum.*"

Dices. In Sacris litteris multa occurrunt, in quibus salus et nostro arbitrio tribuitur, et gratiæ Dei. Ita, ut commemorem unum ex iis multis, quæ Cassianus *Collat.* 13. cap. 9. collegit, *Ezechiel.* 18. 31. legitur: *Facite vobis cor novum, et spiritum novum:* cap. 11. 19. *Dabo eis cor novum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum.* Ex quibus, et aliis multis ita Cassianus cit. loco. *In his omnibus et gratia Dei, et libertas nostri declaratur arbitrii: et quia etiam suis interdum motibus homo ad virtutum appetitus possit extendi, semper vero indigeat adjuvari.* Quidam ergo boni motus sunt ab ipsa voluntate, quamvis non habeant suum effectum sine gratia Dei.

R. cum S. Prospero lib. *Cont. Collat.* cap. 11. num. 1., semel ac loca Scripturarum accipiantur, sicuti Cassianus accepit, non solum appetitum virtutum suis motibus hominem in se excitare, sed etiam ad effectum illarum nullo auxilio indigere, quod tamen ipse negat: „Imperantur autem ista homini, ut ex „ ipso præcepto.... agnoscat id se suo vitio perdidisse; et non „ ideo iniquam esse exactionem, quia ad reddendum, quod de„ bet, idoneus non est, sed a littera occidente confugiat ad „ spiritum vivificantem, et facultatem, quam non invenit in na„ tura, quærat ex gratia. Quod si faciat, magna est misericor„ dia Dei: si non facit, justa est pœna peccati." Cap. 12. num. 1. paucis totam rationem explicat, qua debent intelligi omnia Scripturæ loca, quæ Cassianus congessit in favorem bonorum motuum, qui fierent virtute voluntatis: „Manens enim (inquit) „ liberum arbitrium, quod utique cum ipso homine Deus con„ didit, a vanitatibus, et cupiditatibus suis in quas, neglecta „ Dei lege, defluxit, non a se ipso, sed a Creatore mutatur; „ ut quidquid in eo in melius reficitur, non sine illo sit, qui „ sanatur, nec nisi ab illo sit, qui medetur, cujus sumus no„ va creatura, novumque figmentum, creati in Christo Jesu in „ operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus."

Prop. III. Gratia prævia requiritur, ut homo quovis modo, et secundum quamlibet rationem, se præparare possit ad gratiam.

Prob. prop. Semel ac homo suis viribus se ad gratiam præparare posset, id maxime præstaret, vel pio desiderio, vel petitione facta Deo; hæc enim præ aliis omnibus sunt duo facillima media, quibus se præpararet ad gratiam; sed naturæ viri-

(a) I. ad Corinth. 4. 7. et 15. 10.

bus neque optare, neque petere possumus auxilium gratiæ, sicuti constat ex duabus præcedentibus propositionibus: ergo. Deinde II. Concilium Arausicanum canonibus supra citatis, facta distincta enumeratione omnium nostrorum operum, quæ uti dispositiones ad gratiam haberi posse videntur, definivit, nullis talibus operibus, semel ac absque gratia præveniente fiant virtute naturæ, nos disponi ad gratiam recipiendam, et illum, qui contra sentit, resistere Apostolo dicenti (a): *Quid habes, quod non accepisti?* et: *gratia Dei sum id, quod sum.* Quid hac de re S. Augustinus contra Pelagianos, et S. Prosper contra Semipelagianos firmissime propugnaverit, in superiori propositione vidimus.

Illud tantum nunc animadvertimus, Patres quamcumque rationem meriti, hoc est, etiam de congruo, exclusisse ab operibus, nulla præveniente gratia, factis. Nam S. Augustinus Pelagianis reponentibus gratiam dari secundum merita, opposuit parvulos baptismate sanctificatos, in quibus nulla ratio meriti, etiam de congruo, supponi potest. Lib. 1. *Oper. Imperf.* cap. 133. Juliano illud objecit, tantum abesse, gratiam dari secundum merita, ut multis, qui puniri merebantur, eam datam fuisse legamus. Lib. 2. cap. 41. auctoritate Scripturarum simpliciter excludit a gratia quamvis rationem meriti. Tandem lib. *De Dono persev.* num. 33., lib. 1. *Cont duas epist. Pelagian.* num. 37. et seqq., lib. 2. num. 16. et seq., epist. 186., alias 106., epist. 194., alias 105., epist. 217. alias 107. illud semper tuetur, nullis nostris meritis nobis posse comparare gratiam.

Sensit Cassianus *Collat.* 13. cap. 13., gratiam ita operari in liberum arbitrium „ut nonnunquam ab eo quosdam conatus bonæ „voluntatis vel exigat, vel expectet.... occasiones quodammodo „quærens, quibus, humanæ segnitiei torpore discusso, non ir„rationabilis munificentiæ suæ largitas videatur." Voluit igitur Cassianus, conatus proprios hominum esse habendos loco cujusdam occasionis, qua Deus suam gratiam conferret, propterea que iis meriti de congruo rationem solummodo latissimam tribuit. At vero S. Prosper ne id quidem in Cassiano passus fuit. Nam lib. *Cont. Collat.* cap. 14. num. 2. ita ipsum compellat: „Vir gravis, doctor sapiens, verax magister redde nobis ca„tholicam definitionem, qua inter initia disputationis tuæ aures „mentesque nostras cepisti. Pronuntiaveras, fidem christiana „voce ecclesiasticam *non solum actuum, verum etiam cogitatio„num bonarum ex Deo esse principium....* Cur invictissimæ „veritatis arce deserta, gradatim ad præcipitia pelagiana decur„ris? Qui enim definieras, neque sanctarum cogitationum, ne„que piarum voluntatum, neque bonorum actuum ex nobis es-

(a) Locis supr. cit.

„ se principia... paulo post cœpisti donis gratiæ liberi arbitrii „ æquare conatus." Hoc idem S. Prosper Cassiano sæpe objicit in aliis ejusdem libri capitibus.

CAPUT QUARTUM.

De ea gratuita ratione, quam gratia habet in se ex sui natura.

Hoc dogma catholicum S. Augustinus acerrime propugnavit contra Pelagianos, eoque nostræ naturæ infirmitas detegitur, atque divinæ caritatis erga nos infinita amplitudo, qua fieri ratione potest, mentis nostræ oculis subjicitur. Illud unum nunc monemus, Patres, qui propugnarunt, gratiam esse gratuitam, fuisse loquutos etiam de quovis adjutorio actualis gratiæ, seu de quovis gratiæ effectu, qui spectat ad pietatem, et salutem vitæ æternæ.

Prop. Gratia est supernaturale Dei donum ex sui natura undequaque gratuitum.

Prob. prop. Initium, progressus, et complementum boni operis est a gratia Dei (hujus lib. cap. 1.): gratia, quæ requiritur ad initium, progressum, et complementum boni operis, non solum suo lumine intellectum, sed etiam sua virtute afficit voluntatem (cap. 2.): nemo suis viribus optare, vel petere potest auxilium gratiæ, aut quovis modo, seu secundum quamlibet rationem se præparare ad gratiam sine prævio auxilio gratiæ (cap. 3.). Hisce semel positis, si ex iis non consequitur, gratiam esse donum Dei supernaturale ex sui natura undequaque gratuitum, non video undenam tandem hæc veritas consequi possit. Verum nunc alia quædam in rem nostram superaddamus. „ Propterea Pelagius vester (ita S. Augustinus lib. 1. Oper. „ Imperf. cap. 133.) in Episcopali judicio Palæstino, eos, qui „ dicunt, gratiam secundum merita nostra dari, ne ipse damnaretur, damnare compulsus est.... Istam gratiam, vere gratiam, id est, gratuitam, nullisque meritis præcedentibus debitam, commendabat Apostolus, quando dicebat (a): *Quum „ enim nondum nati essent, nec aliquid egissent boni, aut „ mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret.* Hæc „ est electio, de qua et illud dicitur (b): *Reliquiæ secundum „ electionem gratiæ salvæ factæ sunt: si autem gratia, jam „ non ex operibus, alioquin jam non est gratia.* Unde et hic „ quum dixisset, ut per electionem propositum Dei maneret,

(a) *Rom.* 9. 11.
(b) *Rom.* 11. 5. *et* 6.

„ subdidit (a): *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est,* „ *quia major serviet minori.* Contra istam veritatis tubam re- „ clamas... nec intelligis, non ideo quia talis erat, vel futu- „ rus erat, fuisse dilectum, sed talem, quia dilectus est, fac- „ tum. Erubesce: non mentitur Apostolus: non ex operibus „ Jacob dilectus est: si enim gratia, jam non ex operibus: sed „ gratia dilectus, eadem gratia faciente, bonis oportuit ut pol- „ leret operibus". Alia plura in eamdem rem habet S. Augustinus contra Julianum cit. lib. cap. 131., quibus ponit ob oculos illius claritatem divinarum Scripturarum, multisque aliis in locis hujusce dogmatis veritatem inculcat. Eam nos modo unius tantum Arausicani II. Concilii auctoritate confirmabimus. Hoc igitur Concilium, postquam sanciverat in pluribus canonibus, hominem ex se sine præveniente gratia nihil eorum posse, quæ pertinent ad pietatem, et salutem vitæ æternæ, can. 25. hæc inter alia decrevit: „ Hoc etiam salubriter profitemur, et cre- „ dimus, quod in omni opere bono non nos incipiamus, et „ postea per misericordiam Dei adjuvamur, sed ipse nobis, „ nullis præcedentibus bonis meritis, et fidem, et amorem sui „ prius inspirat, ut et baptismi sacramenta fideliter requiramus, „ et post baptismum cum ipsius adjutorio, quæ sibi sunt pla- „ cita, implere possimus. Unde manifestissime credendum est, ut „ et illius latronis, quem Dominus ad paradisi patriam revoca- „ vit, et Cornelii Centurionis, ad quem Angelus Domini mis- „ sus est, et Zachæi, qui ipsum Dominum suscipere meruit, „ non fuit de natura, sed divinæ largitatis donum". Zachæi, Latronis, et Cornelii Centurionis exempla Semipelagiani pro se in medium protulerunt, sicuti constat ex S. Prospero lib. *Cont. Collat.* num. 2. et 3., atque ex epist. *ad Rufinum* num. 7.

Dices. Plura sunt loca Scripturarum, quibus præparatio ad gratiam exigitur a nobis, iisque Pelagiani suum errorem tuebantur, sicuti legere est apud S. Augustinum lib. *De Grat. et lib. arb.* num. 10. et seq.

R. cum eodem S. Doctore „ nec attendunt qui hoc sentiunt, „ quia nisi etiam donum Dei esset etiam ipsa ad Deum nostra „ conversio, non ei diceretur: *Deus virtutum converte nos*; et: „ *Deus tu convertens vivificabis nos*; et: *Converte nos Deus* „ *sanitatum nostrarum.* Et hujusmodi alia, quæ commemorare longum est".

C. Apostolus I. *Corint.* 15. 10. ait: *Gratia Dei sum id, quod sum*, tamen se quoque respondisse gratiæ affirmat dicens: *Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi. Non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Quæ expendens Cassianus *Collat.* 13. cap. 13. inquit: „ Nam quum

(a) *Rom.* 9. 12. *et* 13.

„ dicit : laboravi , conatum proprii signat arbitrii ; quum dicit: „ *Non autem ego , sed gratia Dei* , virtutem divinæ protectio- „ nis ostendit ; quum dicit : *mecum* , non otioso , neque securo, „ sed laboranti, ac desudanti eam cooperatam fuisse declarat". Igitur etiam ex Apostolo constat de nostra præparatione ad gratiam.

R. Cassianum in sua explicatione abuti iis, quæ dicit Apostolus, ut nostram sub gratia libertatem ostenderet. Sicuti enim S. Augustinus lib. *de Grat. et lib. arb.* num. 12. objicit Pelagianis postquam dixit Apostolus : *Gratia Dei sum id, quod sum*, „ ipse idem Apostolus „ ut ostenderet et liberum arbitrium, mox „ addidit : *Et gratia ejus in me vacua non fuit, sed plus om- „ nibus illis laboravi.* Hoc enim liberum arbitrium hominis ex- „ hortatur et in aliis, quibus dicit : (a) *Rogamus , ne in vacuum „ gratiam Dei suscipiatis.* Ut quid enim eos rogat , si sic gra- „ tiam susceperunt ; ut propriam perderent voluntatem ? Tamen „ ne ipsa voluntas sine gratia Dei putetur aliquid boni esse, „ continuo quum dixisset : *Gratia ejus in me vacua non fuit, „ sed plus omnibus illis laboravi ;* subjunxit, atque ait : *Non „ ego autem , sed gratia Dei mecum*, id est, non solus, sed „ gratia Dei mecum.... Ut autem de cælo vocaretur , et tam mag- „ na , et efficacissima vocatione converteretur , gratia Dei erat „ sola."

Quoniam vero in Scriptura leguntur multa , quibus homini præcipitur , ut ad Deum se convertat , ut pœnitentiam agat , ut faciat opera salutis, et ex iis Pelagiani , atque Semipelagiani collegere , gratiam non esse gratuitam ; ut brevitati consulamus, quomodo illa accipi debeant , nunc explicabimus. Ad rem istam faciunt, quæ ex SS. Doctoribus Augustino , et Thoma hujus lib. cap. 1. prop. 1., quæque cap. 3. prop. 1. ex S. Augustino , et II. Arausicano Concilio , itemque modo superius ex S. Augustino in medium protulimus: nunc illis alia quædam superaddemus. Primo igitur adverti debet , quæ pro se loca Scripturarum Pelagiani cum Semipelagianis opposuerunt , semel ac intelligantur, prout ipsi voluere , nullo modo conciliari posse cum aliis Scripturæ locis , quibus universe , atque generatim edicitur , initium, progressum, et complementum operum salutarium esse a Deo , a nobis autem, quasi ex nobis , ne cogitari quidem posse aliquid salutare : contra vero ista illis omnino conformia sunt.

Num. 1. Quæ agi a nobis , quæque debent vitari, oportet, ut noscamus , indeque præceptis inducendi erant omnes ad faciendum bonum , et malum vitandum : 2. Semel perspecta obligatione præceptorum , videntesque ea per nos implere non posse, faciunt sane præcepta , *ut noverimus , quid ab illo* (Deo) *pete-*

(a) II. ad Corint. 6. 1.

re debeamus inquit S. Augustinus lib. *De Grat. et liber. arb.* num. 32. 3. Quum divino auxilio ita agamur, ut simul etiam nos revera agamus, non vero ut nihil agamus, præceptis monemur de arbitrii nostri libertate, eaque nobis dantur, quia liberi sumus: 4. Est quidem mandatum nobis, ut hæc, vel illa præcepta servemus, ut cor nostrum faciamus novum in nobis; verumtamen dubitare non possumus, quin ipse Deus cor novum faciat in nobis, quia sine illo nihil facere possumus. Ut Deus autem operetur in nobis, et nos virtute Dei revera operamur, atque revera nos ejus mandata servemus, prout nobis præcipitur, duo sunt, quorum conformitas etiam ipsa ratione dignoscitur.

Ex his facile solvuntur ea multa, quæ Cassianus Scripturæ loca congessit *Collat.* 13. cap. præcipue 9. et 12. In priori agit *De virtute bonæ voluntatis nostræ, et de gratia Dei*; in altero: *Quod voluntas bona nec semper gratiæ, nec semper sit homini tribuenda.* Quæ enim in Sacris litteris Deus exigit ab homine, ea nostræ bonæ voluntati tribuit, quæ vero Deus operari dicitur in homine, tribuit gratiæ, indeque simul conjunxit et virtutem voluntatis nostræ, et gratiam Dei, nostramque bonam voluntatem, nec semper virtuti nostræ, nec semper gratiæ duxit esse tribuendam. Quasi vero illa, quæ cap. 9. ipse quoque in medium adducit: (a) *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei;* et: *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, exceptionem admittant, et aliquando esse possit volentis, et currentis, non vero miserentis Dei, aut aliquando contra apertam Christi sententiam ad illum venire quis possit, licet a suo Patre non trahatur.

Quod spectat ad SS. Patres, aliqua quidem in nonnullis leguntur, quibus plus quam par est, libero arbitrio ipsi tribuisse videntur. Verum talia potissimum occurrunt in quibusdam antiquioribus, qui scripserunt, antequam hæresis Pelagiana oriretur, de quorum operibus ita S. Augustinus lib. *De Prædest. SS.* num. 27. „Quid igitur opus est, ut eorum scrutemur opuscula, qui „priusquam ipsa hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem „in hac difficili ad persolvendum quæstione versari. Quod pro„cul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur." Tamen ipse quoque Pelagianis objecit auctoritatem quorumdam Patrum se antiquiorum, uti Cypriani, Ambrosii, Chrysostomi. Illud etiam adverti debet, aliquos Patres ante Pelagianam hæresim disputasse contra Manichæos negantes liberum arbitrium: unde mirandum non est; si in persuadenda virtute liberi arbitrii potissimum institerint. Ex hoc tamen nemo potest inferre, ipsos voluisse, ut per se liberum arbitrium posset, quod nullo modo potest.

(a) Ad Rom. 9. 16. et Joann. 6. 44.

CAPUT QUINTUM.

De illo effato, quo asseritur, Deum largiri gratiam facienti, quod in se est.

Si prout non potest, neque debet, istud effatum accipiatur, hoc est, Deum certa lege largiri gratiam alicui, quatenus ipse agit, quod est in se, hoc est, quod potest viribus naturæ, duo gravissimi errores consequuntur, videlicet gratiam dari propter merita comparata viribus naturæ, indeque gratiam non esse omnino gratuitam: utrumque autem errorem jam refutavimus. Nunc tamen hoc de effato singulariter agendum est, tum quia Pelagiani, atque Semipelagiani habuerunt illud, uti fundamentum sui falsi systematis de gratia, tum quia etiam aliqui auctores Catholici acceperunt eo sensu, quo accipi neque debet, neque potest.

Molina ita accepit, ut homo semel ac in iis, quæ spectant ad fidem, vel pœnitentiam peccatorum, conatur, vel paratus est conari totum id, quod sua virtute potest, Deus illi conferet gratiam, ut conetur, prout oportet ad salutem, tamen non ita quidem, ut propter talem conatum homo dignus efficiatur gratia Dei, illamque promereatur, sed ob merita Christi, qui ut verus Redemptor nobis promeruit auxilium, atque obtinuit, *eamque legem subveniendi hominibus cum Patre constituit.* Suaresius illud: facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, ita explicat, ut qui nullum impedimentum apponit ad gratiam, facere dicatur, quod est in se, eique Deus non quidem ob meritum illius, sed ex sua *generali liberalitate* gratiam conferat. Valentia illud effatum: facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, ita divisit: 1. Ut homo posset facere, quod est ex se: 2. Ut facienti, quod est ex se, Deus suam gratiam conferat: 3. Ut sit certa lex, qua hæc gratia conferatur: 4. Ut ea conferatur propter merita Christi. Loca istorum auctorum retulit Lemosius tom 4. Panopl. lib. 4. part. 1. tract. 6. cap. 3. et 4. Quo igitur sensu illud effatum nullo modo accipi possit, quo autem possit, nunc conabimur ostendere.

Prop. I. Semel ac illud effatum: facienti quod ex se est, Deus non denegat suam gratiam, ita quis accipiat, ut quod homo per se facit, vel facere potest, veluti ratio habeatur, aut causa, vel etiam occasio gratiæ, quæ confertur, Sacræ Scripturæ, definitionibus Conciliorum, et auctoritati Patrum contradicit.

Prob. 1. pars. *Deus est enim* (inquit Apostolus *Philip.* 2. 13.)

qui operatur in nobis et velle, et perficere pro bona voluntate. Hunc locum S. Augustinus Pelagianis objecit lib. 2. de *Peccat. mer. et remiss.* num. 30. *Quis prior dedit illi* (ait idem Apostolus *Rom.* 11. 35. et seq.) *et retribuetur ei: quoniam ex ipso et per ipsum, et in ipso sunt omnia; Corint.* 1. 4. 7. *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti?* Igitur quæ sunt bonæ voluntatis, Deus operatur in nobis: nihil ergo habemus ex nobis, quod retribuamus Deo, nihilque etiam, quo discernamur a ceteris: quod ergo fit viribus nostræ naturæ, ratio, causa, vel occasio gratiæ consequendæ esse non potest.

Prob. altera pars. Solummodo sistemus in auctoritate II. Concilii Arausicani, cujus definitiones orbis Catholicus veneratur, et suscipit. Tertio, et sexto canone hujus Concilii, quos cap. 3. in medium protulimus aperte, atque absque ulla ambiguitate definitur, quod nunc propugnamus. Hoc idem Arausicani Patres sanxerunt in can. 4., in quo ita: „Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus per S. Spiritus infusionem, et operationem in nobis fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti *præparatur voluntas a Domino*, et Apostolo salubriter prædicanti: *Deus est, qui operatur in nobis velle, et perficere pro bona voluntate.*" Can. 9. „Divini est muneris, quum et recte cogitamus et pedes nostros a falsitate, et injustitia tenemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur." Tandem can. 20. Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo. Nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præstet, ut faciat." Nunc ita, eo tamen semel posito, quod negatur a nemine, hoc est, Concilium suis definitionibus opera salutis respexisse: *humana invocatione* gratiam non conferri: (can. 3.) sine gratia Dei desiderantibus, conantibus, vigilantibus, studentibus *divinitus misericordiam non conferri*: (can. 6.) voluntatem nostram non expectare Deum, ut ab eo purgemur a peccato, sed ut purgari velimus infusionem Spiritus Sancti facere: (can. 4.) quoties bona agimus, Deum in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operari. Hæc omnia Concilium distincte, aperteque definivit: sed hujusmodi sanctionibus tollitur quævis relatio etiam occasionis inter nostra opera viribus naturæ facta, et gratiam Dei, immo vero et *misericordiam Dei*: semel ac ergo prædicto modo intelligatur illud effatum, facienti quod in se est, Deus suam gratiam non denegat, Concilii definitionibus aperte, evidenterque contradicitur.

Prob. 3. pars. Adverti debet, gratiam dari secundum merita, etiam sequaces Pelagii aperte dicere abstinuisse, postquam Pelagius, confessus fuit, licet ficte, in Palæstino Concilio, gratiam non dari secundum merita, indeque Palæstini Patres non

advertentes fraudem illius, in suam eum communionem recepe-runt. Hinc Julianus illud tantum conabatur ostendere, aliquid Deum expectare ab humana voluntate, quia Christus dixit: *petite, et accipietis etc.* Cui S. Augustinus lib. 4. contra eumdem num. 41. „Ut video, ponere jam cœpistis merita gratiam præcedentia, „quod est, quærere, petere, pulsare, ut his meritis debita illa „reddatur." Lib. 2. *Cont. duas epist. Pelagian.* num. 18. re-fert sententiam illorum, qui putabant, hominem sine gratia pos-se habere cupiditatem boni, sed imperfecti, perfecti autem ha-bere posse per gratiam non quidem *facilius, sed nisi per illam omnino non posse.* Quid istis S. Augustinus? „Verum (inquit) „et sic gratiam Dei dicunt secundum merita nostra dari.... si „enim sine gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit „meritum, cui tamquam ex debito gratiæ veniat adjutorium." Lib. 2. de *Prædest. SS.* S. Prosper, et Hilarius quum sibi retulissent, putare Semipelagianos, ex nobis incipere nos credere, in quo tamen actu nullum ipsi meritum reponebant, ita contra habet S. Doctor: „Quis autem dicat, eum, qui jam cœpit credere, „ab illo, in quem credidit, nihil mereri? Unde fit, ut jam „merenti cetera dicantur addi retributione divina; ac per hoc „gratiam Dei secundum merita nostra dari: quod objectum si-„bi Pelagius, ne damnaretur, ipse damnavit." Epist. *ad Vita-lem* alias 107., nunc 217. num. 17. eumdem Vitalem monet, hanc totam de gratia Dei quæstionem, de qua tunc agebatur, et mo-do etiam agitur, in eo esse positam: „Utrum præcedat hæc „gratia, an subsequatur hominis voluntatem, hoc est, ut pla-„nius id eloquar, utrum ideo nobis detur, quia volumus, an „per ipsam Deus hoc etiam efficiat, ut velimus." Etiamsi ser-mo sit non solum de actione imperfecte bona, sed etiam de cu-piditate boni imperfecti, simpliciter statuit S. Doctor, admitti non posse, ut tam actio imperfecte bona, quam cupiditas boni imperfecti præcedant gratiam, quia tunc tam illa, quam ista gra-tiam mererentur. Quæ autem S. Augustini hac tota de re, etiam S. Prosperi, S. Fulgentii, et Angelici Doctoris ratio fuit, ut nunc plures alios non commemoremus. S. Prosper in pluribus capitulis sui lib. *Contra Collatorem*, et in epist. *ad Ruffinum*, S. Fulgentius in multis capitibus lib. de *Incarnat. et Grat.*, Angelicus, ut multa alia loca omittamus, in non paucis artic. quæst. 109. et 112. part. 1. 2. idem, quod S. Augustinus, hac de re do-cuerunt.

Nunc pauca singulariter de opinionibus supra recensitis. Opi-nione Molinæ semel posita, gratia ad actum, qui fit viribus na-turæ, certa lege, et quidem divina, consequitur: ergo ille ac-tus pro initio quodam salutis habeatur oportet, quum hæc ab il-lo incipiat: ergo quum hujusmodi actus sit a viribus naturæ, ini-tium salutis erit a viribus naturæ, et quidem ex lege divina, quæ

tamen unde confingatur, vel confingi possit, in alicujus hominis mente nunquam cadet. S. Doctor Augustinus ut gratiam omnino gratuitam esse tueretur contra Pelagianos, etiam cupiditatem boni imperfecti ipsi gratiæ prævíam esse negavit, quia si *sine gratia per nos incipit cupiditas boni, ipsum cœptum erit meritum, cui tamquam ex debito gratiæ veniat adjutorium.*

Licet vero Molina tueatur, gratiam aliquando dari etiam non facienti quod in se est, atque facienti quod est in se dari virtute meritorum Christi, seipsum a suo errore non purgat: nam semel ac aliquibus gratia inde conferatur, quia faciunt, quod est in se, iis sane datur ex merito, licet ponatur, aliquando dari gratiam etiam aliis, qui non faciunt, quod est ex se. Christum autem suis meritis comparasse nobis, ut sua gratia non esset gratia, sed daretur ex meritis, quis unquam sine gravissimo piaculo dixerit?

Eum, qui facit, quod est in se, dicit Sauresius, inchoare suam salutem, non quidem positive, sed per accidens, quatenus agens bonum morale gratiæ nullum impedimentum opponit proindeque *infallibiliter opportuno tempore auxilium, vel vocationem gratiæ* recipit. At hoc etiam posito, nonne initium salutis semper esset ab iis bonis operibus moralibus, quibus removeretur prohibens, omnisque locus impedimento gratiæ tolleretur? nonne inde vel maxime esset, quia infallibilem connexionem oporteret intercedere inter gratiam et bona opera, semel ac ob ista homo opportuno tempore auxilium, vel vocationem gratiæ *infallibiliter* reciperet. Sibi ergo adversatur Suaresius, quando hac in re ad generalem misericordiam Dei recurrit. Nihil superest, ut prout nunc spectat ad rem nostram, contra Valentiæ opinionem dicamus. Molinam, Sauresium, et Valentiam non minus copiose, quam solide refutavit Lemosius tom. 4. *Panopl.* lib. 4. part. 1. tract. 6. cap. 2. et seqq.

Prop. II. Illud effatum: facienti quod est in se, Deus non denegat suam gratiam, ita accipi debet, ut qui facit quod est in se, prævenientis auxilio gratiæ id facere intelligatur.

Prob. prop. Sicuti inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 6. ad 2. „Nihil homo potest facere, nisi a Deo moveatur se„cundum illud *Joan.* 15. 5. *sine me nihil potestis facere.* Et „ideo quum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc „esse in potestate hominis, secundum quod est motus a Deo." Unde cum eodem S. Doctore quæst. 110. cit. part. art. 3. adverti debet, præparationem ad gratiam dupliciter considerari posse: „Uno quidem modo, secundum quod est a libero arbi„trio; et secundum hoc nullam necessitatem habet ad gratiæ con„sequutionem, quia donum gratiæ excedit omnem præparatio„nem virtutis humanæ: alio modo potest considerari secundum „quod est a Deo movente: et tunc habet necessitatem ad id,

„ ad quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, sed infal-
„ libilitatis, quia intentio Dei deficere non potest, secundum quod
„ dicit Augustinus de *Dono Persev.* (num. 35.) per beneficia
„ Dei *certissime liberantur, quicumque liberantur.* Unde si ex
„ intentione Dei moventis est, quod homo, cujus cor movet,
„ gratiam consequatur; infallibiliter ipsam consequitur, secun-
„ dum illud *Joan.* 6. 45. *omnis, qui audit a Patre, et didi-*
„ *cit, venit ad me.*"

Et re quidem vera Pelagii sententia fuit, sicut ex S. Augustino lib. de *Grat. Chr.* num. 45. novimus, hæc tria distingui debere respectu boni operis, videlicet possibilitatem, voluntatem, et actionem: solam possibilitatem adjutorio Dei semper adjuvari, voluntatem vero, et actionem nullo Dei adjutorio ajebat indigere. Auxilium, quo possibilitas, ipso sentiente, adjuvabatur, in doctrina, atque lege reposuit, quæ quum a Spiritu Sancto nobis revelaretur, eum propterea a nobis exorandum esse statuebat. Hanc hæreticam doctrinam pluribus refellit S. Doctor Augustinus, atque ita in cit. lib. num. 15. contra ipsum, postquam eidem objecit illud Christi *Joan.* 6. 45. *omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me*: „Quis autem non videat, et
„ venire quemquam, et non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc
„ arbitrium potest esse solum, si non venit: non autem potest
„ nisi adjutum esse, si venit, et sic adjutum, ut non solum quid
„ faciendum sit, sciat, sed quod sciverit, etiam faciat. At per
„ hoc quando Deus docet per Spiritus Sancti gratiam, ita do-
„ cet, ut quod quisque didicerit, non tantum cognoscendo vi-
„ deat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. Et isto
„ divino docendi modo etiam ipsa voluntas, et ipsa operatio, non
„ sola volendi, et operandi naturalis possibilitas adjuvatur.... Non
„ est autem consequens, ut qui potest venire, etiam veniat, ni-
„ si id voluerit, atque fecerit. Sed omnis, qui didicit a Patre,
„ non solum potest venire, sed venit: ubi jam et possibilitatis
„ profectus, et voluntatis affectus, et actionis effectus est." Qui ergo facit, quod est in se, nonnisi præveniente auxilio gratiæ id facere, dicatur oportet, ne ullus sit hæresi Pelagianæ locus. Qua de causa, sicuti inquit S. Thomas lect. 3. „Hoc ipsum quod
„ aliqui faciunt, quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum,
„ ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum secundum illud
„ *Tren.* 5. 21. *converte nos, Domine, ad te, et convertemur.*"

Quatuor sunt præcipua loca S. Thomæ, quæ adversarii nobis opponunt: 1. S. Thomas in II. *Sent.* dist. 5. quæst. 2. artic. 1. ita habet: *Si homo facit, quod in se est, Deus ei dat gratiam. Ad hoc autem faciendum non exigitur aliquid aliud: illud enim, ad quod non potest per se liberum arbitrium, non est in homine, ut faciat illud.*

R. S. Thomam hoc quoque in loco statuere, homini, adju-

vante gratia, facienti quod est in se, Deum suam gratiam conferre: nam rejecta sententia illorum, qui dicebant, ut homo cum merito se in Deum converteret, requiri duplicem gratiam: unam gratum facientem, quæ *informat conversionis actum, et meritorium reddit*, alteram gratis datam, a qua eliceretur *substantia actus*; (necessitatem autem hujus alterius gratiæ, qua eliciatur substantia actus, verbis supra relatis ipse rejicit, atque dicit, quod „positio ista implicat contradictionem, dum ponit, quod ad fa„ciendum illud, quod in nobis est, liberum arbitrium non suf„ficit:) „Hinc superaddit: Ideo aliter est dicendum, quod ad „eliciendum actum conversionis (loquitur de substantia actus, „semper habita ratione ejus sententiæ, quam rejicit) sufficit li„berum arbitrium, quod se ad habendam gratiam per hunc ac„tum præparat, et disponit." Verum anne id sine gratia liberum arbitrium facit? „Sed efficacia conversionis (statim subdit „Angelicus) ad meritum non potest esse nisi per gratiam: unde „unus, et idem motus est conversionis liberi arbitrii, in quo gra„tia infunditur, qui est dispositio ad gratiam, secundum quod „exit a libero arbitrio, et meritorius, secundum quod gratia „informatur. Et simile est etiam in motu contritionis, quo jus„tificatur impius."

Alterum locum opponunt desumptum ex dist. 28. in lib. II. *Sentent.* quæst. 1. art. 4., in quo S. Doctor ita habet: *Et ideo aliis consentiendo dicimus, quod ad gratiam gratum facientem habendam ex solo libero arbitrio se homo potest præparare, faciendo enim quod in se est, gratiam a Deo consequitur.* At quo sensu ista dicat S. Doctor, nunc expendamus.

Utrum homo possit se præparare ad gratiam sine aliqua gratia, Angelicus in hoc art. quærit: gratiam dupliciter accipi posse, respondet, videlicet, vel prout est *excitativum* quoddam voluntatis nostræ, vel prout est *donum habituale in anima receptum.* Si priori acceptione sumatur gratia, *nulli dubium est,* inquit, *quod homo sine gratia Dei non potest se præparare ad gratiam gratum facientem*: si vero altera, duplicem opinionem circumferri animadvertit, et quosdam putare dicit, ad præparationem gratiæ, prout est donum habituale in anima receptum requiri *aliquod lumen menti infusum, quod est donum gratiæ gratis datæ.* Hanc sententiam pluribus ipse refellit, atque cum aliis, qui negant necessitatem hujusmodi luminis, se sentire statuit. Unde superaddit: *Et ideo aliis consentiendo dicimus, quod ad gratiam gratum facientem habendam ex solo libero arbitrio se homo potest præparare.* Quatenus scilicet liberum arbitrium se præparat ad gratiam, quæ est donum habituale, exclusa infusione hujusmodi luminis, non vero exclusa gratia Dei, sine qua nemini dubium esse dixerat, hominem se præparare non posse ad gratiam gratum facientem. Id vero repetit in hoc art. ad

2. dicens: *Quod homo non potest se ad gratiam præparare, nec aliquod bonum facere sine Dei auxilio: et ideo rogandus est, ut nos ad se convertat, et etiam alios.*

Tertium locum ex quæst. 14. de *Verit.* artic. 10. ad 1. nobis opponunt: Loquens S. Doctor de homine in sylvis, et inter bruta enutrito ait: „ Hoc enim ad divinam providentiam per„ tinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dum„ modo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter „ nutritus ductum rationis sequeretur in appetitu boni, et fuga „ mali; certissime est tenendum, quod ei Deus vel per inter„ nam inspirationem revelaret ea, quæ sunt ad credendum ne„ cessaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, „ sicut misit Petrum ad Cornelium *Act.* 10." Idem habet S. Doctor in II. *Sent.* dist. 28. quæst. I. art. 4. ad 4.

R. ex hoc quoque loco nihil minus colligi posse, quam quod adversarii vellent. Profecto Patres Concilii Carthaginensis in sua epist. ad Innocentium num. 2. (a) de hoc utroque capite doctrinæ Pelagium, et Cælestium accusarunt, videlicet, quod viribus naturæ impleri posse dicerent legem Dei, *sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris datam.* De hoc item utroque errore S. Augustinus in pluribus suis operibus Pelagianos refutavit. S. Thomas, ut alia nunc hac de re loca omittamus 1. 2. quæst. 109. art. 4. quærit, utrum homo sine gratia per sua naturalia legis præcepta implere possit; respondet, hominem, nunc, neque etiam quoad *substantiam*, per se, et sine gratia, præcepta legis implere posse. Quærit item art. 8., utrum homo sine gratia possit non peccare: respondet, esse non posse, ut homo sine gratia *diu maneat absque peccato mortali.* Quando ergo dicit S. Thomas, Deum unicuique providere de necessariis ad salutem, *dummodo ex parte ejus non impediatur*: quando affirmat, homini sequenti ductum rationis in appetitu boni, et fuga mali, Deum revelaturum ea, quæ sunt ad credendum necessaria, supponit, gratia Dei fieri, ut homo impedimentum non apponat, ad sequendum ductum rationis in appetitu boni, et fuga mali. Hinc etiam est, ut in II. *Sent.* dist. 28. quæst. 1. art. 4. ad 4., ubi non secus ac quæst. 14. de *Verit.* art. 10. ad 1., loquitur de homine enutrito in sylvis, in corpore art. 4. sicuti inquiunt, docuit, nemini dubium esse, *quod homo sine gratia Dei non potest se præparare ad gratiam gratum facientem sine auxilio gratiæ*, quemadmodum in præced. respons. animadvertimus.

Quartum locum desumunt ex quæst. 24. de *Verit.* art. 1. ad 2., ubi ita habet S. Thomas: „ Gratiam autem, quæ opera me„ ritoria facit, quamvis homo non possit ex libero arbitrio ac-

(a) Inter August. alias 90., nunc 175.

„ quirere, potest tamen se ad gratiam habendam præparare, quæ „ ei a Deo non denegabitur, si fecerit, quod in se est."

R. S. Thomam hoc quoque in loco intellexisse, dari gratiam facienti quod est in se, non tamen viribus naturæ, sed auxilio gratiæ, sicuti in multis aliis locis intellexit, atque non minus clare, quam distincte, data opera, significavit. Hon inem esse liberi arbitrii, hoc vero est, quod in hoc art. ostendit S. Doctor. Sibi secundo loco opponit: nos non habere liberum arbitrium in iis, quæ non sunt in nostra potestate, proptereaque si merita non sunt in nostra potestate, ad merendum non esse liberos. Respondet, pluribus præhabitis, quibus liberi arbitrii notio explicatur, non esse *omnino extra potestatem liberi arbitrii opera meritoria facere, quamvis ad hoc potestas liberi arbitrii non sufficiat*, quia licet homo suo libero arbitrio non possit acquirere gratiam, quæ facit opera meritoria; tamen ad gratiam habendam se præparare potest sua actione, non quidem facta propria virtute, sed Dei. Nam S. Doctor in hac eadem quæst. 24. de *Verit.* art. 15. quærit, utrum homo sine gratia se ad gratiam præparare possit, atque non posse, duplici firmissimo principio ostendit, posteaque ita colligit: „ Unde patet, quod li- „ berum arbitrium non potest se ad gratiam præparare, nisi ad „ hoc divinitus dirigatur. Et propter has duas rationes duplici „ modo loquendi in scripturis Deus exoratur, ut hanc præpara- „ tionem gratiæ in nobis operetur: uno modo petendo, quod „ nos convertat... secundo petendo, quod nos dirigat."

LIBER TERTIUS.

De gratia sufficienti.

Quum gratia actualis habitualem gratiam, uti suum terminum, inde respiciat, quia omnis actualis gratia tendit ad conjungendum hominem Deo, quod sane fit per habitualem, ideo de actuali gratia nunc disseremus, atque aperiemus ejus divisionem, in qua primum locum habent gratia sufficiens, et gratia efficax. De sufficienti in hoc libro, in sequenti de efficaci, et in aliis de reliquis divisionibus gratiæ, prout doctrinæ ratio postulabit. Lemosius in quæstionibus de gratia quam maxime versatus, sicuti nemo non novit, suæ *Panopl.* tom 4. lib. 4. part. 2. tract. 3. cap. 2. quo erat ingenii acumine præditus, pensatis omnibus, a divisione divini auxilii in sufficiens, et efficax non esse recedendum, tuetur. Antonius Massoulié in Opere *S. Thomas sui interpres* dissertat. 3. quæst. 2. art. 1. ait, pluribus de causis usum obtinuisse in scholis, ut sufficientis auxilii nomine illud

intelligatur, quod confert quidem voluntati vires supernaturales, etsi aliud auxilium requiratur. Hoc enim non obstat, quin auxilium dicatur esse sufficiens. „ Immo vero (inquit Antoninus „ Reginaldus de *Ment. Concil. Trid.* part. 1. cap. 42.) in communi, et usitato modo loquendi non solemus vocare sufficientem aliquam causam, nisi quando habet veram virtutem ad „ producendum effectum, quem tamen actu non producit: si „ enim actu producat, nunquam vocamus sufficientem, ut manifeste constat. Quidni ergo poterimus vocare sufficiens illud „ auxilium, quod complet potentiam in ratione potentiæ, quamvis necessarium sit aliud auxilium, quo potentia redigatur de „ actu primo ad secundum?" Illud præterea animadvertit idem Auctor, mirandum non esse: „ Antiquos non ita loquutos: hoc „ enim non est novum, ut quandoque nomina in uno sensu „ usurpentur a sequentibus, quæ alio nomine a majoribus sumebantur, ut patet de nomine hypostasis." Hinc Orsius lib. *Apologet. de* Petro Soto cap. 5. art. 1. §. 3. observat rem antiquitus traditam, et receptam singulari nomine vulgo fuisse postea designatam, non secus ac in Nicæno Concilio, quoad consubstantialitatem Filii factum fuit.

Illud quoque cum Enim. Brancato Opusc. 3. de *Gratiis gratis datis* debet adverti: „ Gratiam sufficientem habere suum effectum, excitationem videlicet, et inspirationem, ut omnes „ experiuntur, quamvis non omnes exequantur id, ad quod excitantur, quia vocavi, et renuistis." Unde, sicuti prosequitur Antoninus Reginaldus cit. loco, „ Quum liberum arbitrium „ non constituatur motum, sive non moveatur, quin et ipsum „ una se moveat... necesse omnino est, ut quotiescumque per „ gratiam sufficientem movetur, etiam et ipsum aliquid agat; „ sicque semper, et infallibiliter cum gratia sufficiente conjungitur „ aliquis actus liberi arbitrii, ratione cujus gratia omnis sufficiens potest aliquo modo dici efficax." Hoc ipsum ostendit etiam Lemosius in sua *Panopl.* tom. 4. lib. 4. part. 2. tract. 3. cap. 7.

Nunc pauca de modo, quo gratia sufficiens operatur in nobis, et nos cum ea agimus.

„ Itaque voluntas (ait Anton. Reginaldus cit. loco) tria exigit, ut dicatur posse operari supernaturaliter, scilicet virtutem „ supernaturalem, motionem causæ primæ, et cognitionem. Auxilium sufficiens hæc tria præstat, sed ordine inverso. Ut enim „ dicebamus, auxilium sufficiens ex parte intellectus importat „ sanctam cogitationem, et hæc dat cognitionem: importat ex „ parte voluntatis motum aliquem imperfectum, qui sine dubio „ esse non potest, nisi adsit motio primi moventis: importat „ denique virtutem supernaturalem.... Unde auxilium sufficiens „ ratione cogitationis, et cognitionis dat voluntati, ut possit, „ quatenus voluntas est, quæ sine cognitione operari non potest:

„ præstat etiam voluntati, ut possit, quatenus est causa secun-
„ da, quia vere est motio primi agentis, quæ natura sua or-
„ dinatur ad actum perfectum: denique defert secum virtutem,
„ qua voluntas elevatur ad ordinem supernaturalem, et comple-
„ tur in eodem ordine, atque adeo dat illi, ut possit, quate-
„ nus causa est." Hinc Alvaresius lib. 9. de *Auxil. div. grat.* disput. 84. num. 7. advertit, „ Nonnulla dari sufficientia au-
„ xilia, quæ alia sufficientia auxilia præsupponunt, quædam
„ vero, quæ nulla alia præsupponunt: quæ sunt hujus generis,
„ magis remote se habent ad hoc, ut potentia reddatur proxi-
„ me expedita ad agendum, quæ sunt superioris ordinis: quæ
„ autem alterius; ad hoc præstandum proxime se habent: ita ac-
„ tum fidei illustratio mentis præcedit: ad istam sequitur cogita-
„ tio credendorum: postea superaccedit desiderium credendi,
„ petitio credendi, et pius affectus voluntatis."

Unum nunc superaddimus ad refellenda dicteria Paschalis in epist. 2. Provinciali una cum aliis edita sub ficto nomine Montaltii, et adnotationibus annexis a Nicolio sub commentitio nomine Wendrokii. Effectus igitur primarius, ad quem ex voluntate Dei consequenti gratia sufficiens ordinatur, consistit in illustrationibus intellectus, piis motibus, atque affectionibus voluntatis, aliisque piis actibus interioribus. Hunc effectum gratia sufficiens semper producit. Et secundum hanc rationem dicitur efficax, quia voluntas Dei consequens semper impletur. Secundarius effectus gratiæ sufficientis, ad quem ordinatur ex voluntate Dei antecedenti, positus est in actuali operatione perfecta, v. g. in actuali conversione peccatoris. Hunc effectum gratia sufficiens non producit, nisi gratia efficax superadveniat, quæ sua virtute facit, ut homo actu operetur. Quare effectus, quem Deus vult consequenti voluntate, a gratia sufficiente semper habetur; quem vero vult voluntate antecedenti, producit gratia sufficiens, si habeatur efficax, quæ non potentiam, sed opus respicit. Quare gratia sufficiens est actualis gratia interior, quæ illuminat mentem, et excitat voluntatem ad ea, quæ sunt salutis, faciens illam sua virtute proxime expeditam ad talia opera. Hisce præhabitis ad distinctam explicationem ejus sententiæ, quam de gratia sufficiente Thomistæ tuentur; nunc quid de ea alii sentiant, videamus.

In systemate Moliniano gratia sufficiens est ipsa gratia versatilis subdita libero arbitrio hominis, ac propterea accedente consensu, vel dissensu ipsius hominis, transit a suo statu sufficientiæ in efficacem, vel in inefficacem. *Itaque existimant* (inquit Bellarminus lib. 1. *Grat. et Lib. Arb.*) *in potestate hominis esse, ut gratiam faciat esse efficacem, quia alioquin ex se non esset nisi sufficiens.* Quare auxilium sufficiens Molinisticum est illud, præter quod ex parte Dei non requiritur aliud au-

xilium, quo homo agat. Contra autem in systemate Thomistico licet auxilium sufficiens reddat potentiam proxime expeditam ad agendum, tamen ut ea revera agat, aliud auxilium requiritur.

Qui singulariter dicuntur Congruistæ, cum ceteris Molinistis hac in re conveniunt: nam opinantur, gratiam sui natura verselitem dici congruam, quia est accommodata indoli, inclinationibus, habitibus, loco, tempori, ceterisque circumstantiis, in quibus Deus scientia media ab æterno prævidit, hominem sibi consensurum. Unde hoc etiam in systemate consensus efficacem reddit gratiam, quæ alioquin, uti inquit Bellarminus, ex se non esset, nisi sufficiens.

Theologi, qui gratiam reponunt in quadam illustratione mentis, et delectatione voluntatis inspirata a caritate, magis tamen in delectatione voluntatis, quam in illustratione mentis, gratiam sufficientem in eo constituunt, atque ab efficaci distinguunt, ut tunc sit dicenda gratia sufficiens, quando habita ratione graduum tum terrenæ concupiscentiæ, tum cælestis delectationis, non producit velle, et operari, quatenus gradus terrenæ concupiscentiæ superant gradus cælestis delectationis, propterea que gratia inefficax evadit, contra ac contingit, quando gradus cælestis delectationis superant gradus delectationis terrenæ. Unde statuunt, unam, eamdemque gratiam esse posse efficacem respectu unius, in quo gradus concupiscentiæ terrenæ sunt minores gradibus cælestis delectationis: inefficacem autem respectu alterius, in quo gradus concupiscentiæ terrenæ sunt majores gradibus concupiscentiæ cælestis: esse, inquam efficacem respectu unius operis facilioris, inefficacem respectu alterius difficilioris. Gratia igitur inefficax, et sufficiens pro una, eademque re habetur ab illis, eaque dicunt excitari in nobis sanctam cogitationem, et bonam voluntatem, sed parvam, et invalidam.

Omissis Calvinistis, qui in Synodo Dordracena ann. 1619. improbarunt ut sibi adversam gratiæ distinctionem in sufficientem, et efficacem, Jansenius sicuti in aliis pluribus, ita etiam in hoc illos sequutus, post lapsum Adæ nullum dari adjutorium revera sufficiens, quod simul non sit efficax, lib. 3. de *Grat. Christi* cap. 1. propugnavit, et cap. 2. statuit, adjutorium pure sufficiens *reparationi inutile esse, et perniciosum;* sequentibus autem capitibus in gratiam sufficientem quodammodo debacchatus fuit. Hæc omnia, licet longiora, duximus præmittenda, ut res, de qua nunc sumus acturi, in bono lumine poneretur. In 1. cap. hujus lib. agemus, de existentia, et natura gratiæ sufficientis: in 2. de systematibus, in quibus nullus sufficienti gratiæ locus esse videtur: in 3. de causa, propter quam habens auxilium sufficiens, a Deo non recipit etiam auxilium efficax: in 4. de iis, quibus datur, vel non datur auxilium sufficiens.

CAPUT PRIMUM.

De existentia, et natura gratiæ sufficientis.

Pluribus propositionibus nunc explicabimus, quid sentiendum sit de hoc toto capite doctrinæ, quæ respicit gratiam sufficientem.

Prop. I. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ aliquando resistitur.

Prob. prop. Gratia efficax, habita etiam ratione diversorum systematum, est illa, quæ ex sui natura facit, ut liberum arbitrium Deo interius moventi consentiat, indeque quod vult Deus, operetur: sed præter hanc gratiam datur altera, et illa quidem interior, quæ ex sui natura non facit liberum arbitrium Deo moventi consentire, et quod vult Deus, operari: ergo præter gratiam efficacem admitti debet altera gratia interior, cui in statu naturæ corruptæ aliquando resistatur, et ab illa distinguatur ex sui natura. Prob. min. *Lucæ* 10. 13. ait Christus: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, et Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere sedentes pœniterent.* Et Matth. cap. 23. 27. *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* Gratia ergo, quæ reluxit in virtutibus factis coram Corozaitis, et Bethsaiditis, non fuit efficax ad illos inducendos ad pœnitentiam; sicut etiam affectus Christi, procul dubio non otiosus, non habuit efficaciam ad faciendam Jerusalem ex nolente volentem. *Act.* 7. 51. S. Stephanus ita redarguit Judæos: *Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus! vos Spiritui Sancto semper resistitis.* Apostolus I. *Thessal.* 5. 19. inquit: *Nolite Spiritum extinguere.* Spiritus autem extinguitur, sicut explicat S. Thomas lect. 2. in cit. cap., quando impeditur bonus motus pietatis, quem excitat Spiritus Sanctus in cordibus hominum. Judæi igitur Spiritui Sancto interius in se agenti restiterunt, aliundeque Apostolus monet omnes, ne impediant Spiritus Sancti motum excitatum in cordibus suis. Ex his autem abunde constat, præter gratiam efficacem admitti debere alteram, cui aliquando resistatur, ab illa distinctam, et quidem ex sui natura, quia gratia, quæ ex sui natura non facit, liberum arbitrium sibi consentire, et operari juxta motum illius, distincta est ex sui natura ab altera gratia, quæ ex sui natura utrumque facit.

Aliqua nunc in rem istam ex S. Augustino expendamus. S. Doctor lib. 83. Quæst. 63. quæst. num. 5. agens de illis, quos Christus vocavit ad cœnam, ait: „Qui autem vocatus non ve„nit, sicut non habuit meritum præmii, ut vocaretur, sic „inchoat meritum supplicii, quum vocatus venire neglexit. „Is„te ergo gratiam vocationis neglexit, et non sine supplicii me„rito neglexit." De *Spir. et litt.* numer. 18. loquens de aliis, qui renuunt recipere fidem Christi, ait: „Infideles quidem „contra voluntatem Dei faciunt, quum ejus Evangelio non cre„dunt... experturi in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis „misericordiam contempserunt." Homo ergo illius quoque gratiæ, quam contemnit, dona recepit a Deo. Lib. 1. de *Peccat. merit. et remis.* num 69. loquens de parvulo, qui pervenerit ad adultam ætatem, ait: *Habet cum qua* (concupiscentia) *pugnet, eamque, adjuvante Deo, superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobatus esse noluerit.* Demum Auctor Operis de *Vocat. gent.* lib. 2. cap. 26. paucis complexus est omnem gratiam, quæ venit a Deo, et ab homine refutatur, sicut ipse inquit: *Quæ opitulatio per innumeros modos, sive occultos, sive manifestos, omnibus adhibetur, et quod a multis refutatur, ipsorum est nequitiæ; quod autem a multis suscipitur, et gratiæ est divinæ, et voluntatis humanæ.* Verum hanc, quam propugnamus, esse doctrinam Ecclesiæ, constat ex hac 2. jam proscripta prop. Jansenii: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*, quæ uti hæretica condemnata fuit. Plures Quesnellii de gratia proscriptæ propositiones continent hunc eumdem errorem contra rectam fidem.

Dices. Omnis actualis gratia est semper efficax, quum sit a voluntate Dei, quæ non impleri non potest: ergo præter efficacem nulla alia gratia datur.

R. cum distinctione: est semper efficax respectu effectus, ad quem et proxime, et ex sequenti voluntate Dei ordinatur, conc. respectu effectus, ad quem et remote ordinatur, et ex voluntate Dei antecedente, nego. Gratiam non esse aliud, quam voluntatem omnipotentis Dei, Quesnellius affirmavit, sicuti constat ex illius propositione proscripta num. 11. Ex hoc autem principio profluit error, quem refutamus. Quare gratia illa, qua homo quandoque proficit, quandoque non proficit, indeque sua culpa se gravat majori crimine, duplicem effectum respicit, unum proxime, et a voluntate Dei consequente præintentum, alterum remote, et præintentum a voluntate Dei antecedente. Prior effectus semper habetur: si enim Deus illuminat intellectum, et pia desideria excitat in voluntate, et intellectus recipit lumen, et pia desideria excitantur in voluntate, habetur sane effectus hujusmodi. Alter autem effectus non semper habetur: ille quidem habetur, puta actualis conversio ad Deum, si homo re-

cepta semel illuminatione, et excitatione ad bonum bene utatur: tunc enim superaccedente efficaci gratia fit, ut revera sese ad Deum convertat. Hæc autem actualis conversio est effectus remotus respectu illius gratiæ, qua nos quandoque proficimus, quandoque non proficimus, estque intentus a Deo voluntate antecedenti.

Hac tamen in re debet adverti, quod, sicuti inquit S. Augustinus lib. de *Correpț. et Grat.* num. 31. *Liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.* Et S. Thomas 1. 2. quæst. 112. art. 2. ait: *Ipse bonus motus liberi arbitrii, quo quis præparatur ad donum gratiæ suscipiendum, est actus liberi arbitrii moti a Deo.* Quare quando diximus, ad eam gratiam, de qua nunc loquimur, non solum consequi illuminationem, et excitationem ad bonum, sed etiam, semel ac homo obtemperet Deo illuminanti, et excitanti, ulteriorem quoque effectum, qui est ab efficaci gratia; ita accipi debet, ut homo non ex se, et propria virtute Deo illuminanti, et excitanti obtemperet, sed ex auxilio Dei moventis.

Prop. II. Gratia, de qua in præcedenti propositione egimus, potentiæ virtutem confert ad efficienda opera salutis.

Prob. prop. Si ejus gratiæ auxilio, quam per visionem signorum Corozaitæ, et Bethsaiditæ receperant, in cilicio, et cinere non potuissent pœnitentiam agere, immerito Christus illis objecisset, Tyrios, et Sidonios pœnitentiam acturos fuisse, si hujusmodi signa vidissent: immerito enim alicui exprobratur, si non faciat, quod non potest: sed impium est dicere, Corozaitas, et Bethsaiditas immerito exprobratos a Christo fuisse: ergo Corozaitas, et Bethsaiditas inde merito exprobratos fuisse, dici debet, quia in visione signorum receperant gratiam, qua pœnitentiam agere poterant. Item qua ratione Christus Jerusalem increpare inde poterat, quod filios suos congregari noluisset, si ut hoc illa posset, ipse interius in cordibus hominum non præstitisset? revera autem præstitisse exemplo gallinæ foventis suos pullos confirmavit. Quomodo S. Stephanus exprobrare poterat Judæis duritiem cordis, quia Spiritui Sancto resisterent, si a Spiritu Sancto non acceperant, ut illi obtemperare possent? Tandem qua ratione S. Paulus monuit omnes, ne Spiritum extinguerent, si Spiritum, quo id præstare possent, non acceperant?

Hoc autem, quod nunc volumus, non minus compertum est ex allatis Scripturæ locis, quam ex auctoritate SS. Patrum. Nam, sicuti propositione 1. animadvertimus, S. Augustinus ait eum, qui absque suo merito vocatus non venit, sibi inchoare meritum supplicii: ergo supponit, hujusmodi hominem in ipsa vocatione recepisse potentiam ad veniendum. Affirmat, infideles nolentes credere in suppliciis experturos potestatem Dei, quoniam misericordiam ejus contempserunt in donis: ergo in donis talem

potentiam illis datam supponit, qua possent misericordiam Dei non contemnere. Tradit, adultum pugnare debere cum sua concupiscentia; tamen, si non in vacuum gratiam Dei ipse susceperit, illam superaturum: ergo supponit, ea gratia, quæ in vacuum recepta fuerit, datam potentiam ad superandam concupiscentiam. Tandem Auctor Operis de *Vocat. Gent.* statuit, opitulationem Dei per innumeros modos, sive occultos, sive manifestos, omnibus adesse: hæc autem opitulatio, de qua ipse loquitur, respicit solam potentiam ad agendum salutariter, quum, sicuti ipse superaddit, ab aliquibus respuatur, ab aliis suscipiatur. Constat ergo gratiam, de qua in præcedenti propositione egimus, potentiæ conferre virtutem ad efficienda opera salutis.

Prop. III. Gratia, de qua egimus in duabus præcedentibus propositionibus, est gratia sufficiens juxta communem acceptionem Thomistarum, quibus S. Doctor Augustinus jam præiverat.

Prob. prop. Illa gratia, quam ex sui natura, et munere distinctam ab efficaci in priori propositione esse admittendam, ostendimus, confert virtutem potentiæ ad efficienda opera salutis, sicut in altera propositione jam evicimus, et quidem talem virtutem, qua potentia reddatur proxime potens ad efficienda opera salutis, sicuti nunc evincemus: sed gratia sufficiens juxta communem acceptionem Thomistarum est illa, quæ facit potentiam proxime expeditam ad opera salutis: ergo. Prob. min. Christus Corozaitas, et Bethsaiditas redarguit, quia gratia semel recepta per signa, quæ viderant, pœnitentiam non egerunt, quam sane egissent Tyrii, atque Sidonii, si eadem signa vidissent; ergo supposuit in illis potentiam virtute gratiæ proxime expeditam ad pœnitentiam. Nam quum ad actu agendum potentia proxime expedita requiratur, sine ea ipsam actionem, seu ipsam actualem pœnitentiam ab illis exigere non poterat, indeque eam Tyrios, et Sidonios acturos fuisse confirmat, semel ac ipse cum iisdem idem fecisset, quod cum Corozaitis, et Bethsaiditis fecerat. Altera quoque objurgatio, quam Christus fecit Jerusalem, ex eo quod suos filios congregari noluisset, supponit id illi datum, per quod suos filios congregare posset, tum quia Christi voluntas fuit, quæ sane non est otiosa, ut filii Jerusalem congregarentur, tum quia justitia objurgationis postulat, ut quod objurgatur non factum, proxime, expediteque fieri potuerit. Id autem inde aperte confirmatur, quia Deus *Isaiæ* 5. 4. ait: *Quid est, quod ultra facere debui vineæ meæ, et non feciei?* sub parabola vineæ judæi indigitantur: si ergo Deus quærit, quid ultra facere debuerit vineæ suæ, et non fecerit, id omne ei dedisse consequitur, propter quod proxime, et expedite poterat facere uvas. Item exprobratio a S. Stephano facta Judæis, quod resisterent Spiritui Sancto, id supponit in Judæis, per quod non resistere proxime possent. Ex his constat illud tertium, quod volebamus, vi-

delicet, non solum admitti debere gratiam ex sui natura, atque munere ab efficaci distinctam, neque solum hac gratia virtutem ad efficienda opera salutis potentiæ conferri, sed etiam ad eadem opera facienda potentiam hac gratia proxime expeditam fieri, ac propterea hujusmodi gratiam esse sufficientem juxta communem acceptionem Thomistarum.

Quod de potentia, quæ per gratiam fit proxime expedita ad agendum, usque modo diximus, confirmat S. Augustinus pluribus in locis. Lib. 3. de *Lib. Arb.* num. 45. inquit: *Ex eo igitur, quod non accipit, nullus est reus: ex eo vero quod non facit, quod debet, juste reus est. Debet autem, si accepit voluntatem liberam, et sufficientissimam facultatem.* Verum nunc ex eodem S. Doctore singulariter ea de gratia, quæ confert potentiam ad agendum. Profecto S. Doctor duo adjutoria distincta posuit in homine, habita ratione tam naturæ integræ, quam corruptæ: prius vocat *sine quo*, alterum *quo*: priori tribuit dare potentiam ad agendum, atque ita quidem, ut potentia proxime, et expedite possit agere: alteri; facere, ut faciamus. Hæc vero duo dona inter se distincta esse posuit. De priori, prout nunc interest, videamus. Lib. de *Corrept. et Grat.* num. 32. præter bonam voluntatem Deum primo homini dedisse dicit, *Adjutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet*, indeque duo colligit: 1. quod poterat *permanere, si vellet, quia non deerat adjutorium, per quod posset*: 2. quod „Si hoc adjutorium vel „Angelo, vel homini, quum primum facti sunt, defuisset, quo„niam non talis natura facta erat, ut sine adjutorio posset per„manere, si vellet, non utique sua culpa cecidissent: adjutorium „quippe defuisset, sine quo manere non possent." Quare S. Au„gustinus in primo homine, et Angelis posuit adjutorium *sine quo*: illius esse statuit dare potentiam ad perseverandum, ac propterea eo perseverare potuisse hominem, et Angelos, si ipsi voluissent: statuit etiam, hoc adjutorio semel posito, potentiæ illorum nihil defuisse ad perseverandum, quia sua culpa ceciderunt, ex eo quod illud habuerint: tandem decernit, adjutorium *sine quo* esse distinctum ab adjutorio *quo*: „Unum enim istorum (in„quit) in illo (primo homine) fuit, alterum non fuit. Namque „ut reciperet bonum, gratia non egebat, quia nondum perdide„rat: ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratiæ, sine „quo id omnino non posset, si vellet, sed non habuit velle, quod „posset: nam si habuisset, perseverasset." Hoc igitur S. Augustini adjutorium *sine quo* esse idem, atque unum cum gratia sufficienti Thomistarum, nimis perspecta res est. Quod autem cit. num. 32. vocat S. Augustinus adjutorum *quo*, et *sine quo*, in præced. num. appellat gratiam *qua*, et *sine qua*, hoc est, sufficientem, et efficacem.

In locis supra citatis S. Augustinum admisisse auxilium suffi-

ciens distinctum ab efficaci, etiam Jansenius vidit : hinc lib. 3. de *Grat. Christ.* cap. 1. et seqq. illud tantum ostendere sibi proposuit, *adjutorium nullum dari post lapsum, quia simul efficax sit.* Verum si, S. Augustino sentiente, primo homini, et Angelis, qui habebant bonam voluntatem, qui nulli corruptioni naturæ erant obnoxii, quique aliquam pugnam non experiebantur partis inferioris contra superiorem, necessarium fuit illud adjutorium, per quod perseverare possent, illudque si non habuissent, sua culpa non cecidissent ; quanto magis juxta eadem S. Augustini principia nunc homini in tanta corruptione naturæ, in tanta debilitate potentiarum ad agendum bonum, erit necessarium auxilium, quo ad perseverandum potestas conferatur, sicuti etiam ad agendum opera salutaria?

Demum S. Augustinus non minus in integræ, quam in corruptæ naturæ statu agnovit necessitatem adjutorii *sine quo*. Ait enim cit. lib. num. 32. nunc per Jesum dari amplius adjutorium, quam Adamo datum fuerit, *Ut non solum adsit, sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus ; verum etiam tantum, ac tale sit, ut velimus.* Num. 34. ita prosequitur : *Itemque ipsa adjutoria distinguenda sunt : aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit, et aliud est adjutorium, quo aliquid fit :* Prius adjutorium Adamo datum fuisse affirmat, ut perseverare posset, utrumque vero dari sanctis prædestinatis. „ Ac per hoc (sicuti „ inquit num. 38.) nec de perseverantia voluit Deus, sanctos „ suos in viribus suis, sed in ipso gloriari : qui eis non solum „ dat adjutorium, quale primo homini dedit, sine quo non possint perseverare, si velint, sed in eis etiam operatur et velle; „ ut quoniam non perseverabunt, nisi et possint, et velint, per„ severandi eis et possibilitas, et voluntas divinæ gratiæ largita„ te donatur." *Posse*, et *velle* distinguit S. Doctor : *posse* tribuit potentiam agendi, et ita quidem tribuit, ut ex parte potentiæ ad agendum nihil aliud requiratur : *velle* autem actionem tribuit : *posse* in auxilio sine quo reponit ; velle in auxilio quo: auxilium sine quo et distingui ab auxilio quo, et cum eo semper non esse unitum, et utrumque esse a Deo, et ab eo ordinatum ad diversum finem dicit. Distingui quidem, quia auxilium sine quo complet potentiam ad agendum, auxilium autem quo movet ad actum : non semper hæc duo auxilia unita esse, quia prius in Adamo fuit, alterum non fuit, in sanctis vero esse tam prius, quam alterum : esse utrumque a Deo, et ab eo ordinatum ad diversum finem, quia ad perseverandum et possibilitas, et voluntas divinæ gratiæ largitate tribuitur justis : possibilitas, ad quam ordinatur a Deo auxilium sine quo, est distincta a voluntate perseverandi, ad quam ordinatur a Deo auxilium quo. Constat igitur ex hisce omnibus in doctrina de gratia sufficienti S. Doctorem Augustinum Thomistis præivisse. Hinc Emin. Brancatus hanc de gratia suf-

ficienti sententiam, quam Thomistæ propugnant. a S. Augustini *sequacibus* defendi affirmavit in Opus. 3. de *Gratiis actual.*, iisque se *subscribere*, affirmavit. S. Thomas ejus doctrinæ, quam usque modo propugnavimus 1. 2. quæst. 109., atque alibi principia tradidit, lect. 2. in cap. 3. epist. ad *Ephes.* ipsam doctrinam docuit.

Multa Jansenius susdeque miscet lib. 3. de *Grat. Chr.* cap. 1. et seqq., ut ostendat, nullam in statu naturæ corruptæ dari gratiam sufficientem, quam tamen distincte designatam fuisse a S. Augustino, quando loquutus fuit de auxilio sine quo Adami, et Angelorum, ipse quoque agnovit. Cap. 1. dicit, a se non controverti eo de auxilio, quod *sufficiens dicatur, sicut a quibusdam dicitur, quod satis est, ut homo dicatur posse operari, quamvis aliud necessarium sit, ut de facto operetur.* Hæc si attendantur, admittere auxilium sufficiens ipse videtur. At statim contra statuit, et aggreditur propugnare, *nullum* nunc dari hominibus adjutorium sufficiens, quin sit simul efficax.

Prop. IV. Admitti debet auxilium revera sufficiens, quod ab efficaci ex sui natura distinguatur.

Prob. prop. Dari gratiam interiorem, cui resistatur, Ecclesia definivit, quando secundam Jansenii propositionem uti hæreticam proscripsit, nosque jam ostendimus (1. prop. hujus cap.) auctoritate tum Scripturæ, tum SS. Patrum, præter gratiam efficacem admitti debere alteram gratiam, quæ ex sui natura ab illa distinguatur. Gratia enim efficax etiam juxta Jansenium est illa, quæ facit, ut faciamus: quum ergo et ipsa Ecclesia in damnatione Jansenianæ propositionis definierit, et nos ostenderimus, dari quoque alteram gratiam, quæ non facit, ut faciamus, et eam quidem dari etiam separatim a gratia, quæ facit, ut faciamus: aliunde vero quum gratia, quæ non facit, ut faciamus, ex sui natura debeat esse distincta, sicuti nemo potest negare, a gratia, quæ facit, ut faciamus, istaque ab illa; constat, admitti debere auxilium revera sufficiens, quod ab efficaci ex sui natura distinguatur.

Auxilium, inquam sufficiens. Nam et illud quoque evicimus, (prop. 2.) illa gratia, quæ non facit, ut faciamus, potentiæ conferri virtutem ad efficienda opera salutis, propterea que (prop. 3.) certa ratiocinatione collegimus, illam gratiam, quæ non facit, ut faciamus, et distingui a gratiam, quæ facit, ut faciamus, et eam gratiam quæ potentiæ confert virtutem ad opera salutis, esse sufficientem juxta sensum Thomistarum. Ex his vero omnibus consequitur, admitti debere auxilium sufficiens, quod ex sui natura ab efficaci distinguatur. Sub nomine auxilii *sine quo* S. Augustinum gratiam sufficientem designasse, consentit etiam Jansenius: at S. Augustinus auxilium *sine quo* habuisse uti rem distinctam ab auxilio *quo*, hoc est, ab efficaci gratia, modo vidimus, et

non est, cur rem actam nunc agamus. Hic illud unum monemus, utramque gratiam, licet una distinguatur ab altera, aliquando simul a Deo infusam fuisse, sicuti contigit in Apostolo Paulo; tamen multa loca Scripturarum, quæ in medium protulimus, et alia plura, quæ proferre possemus, nos dubitare non sinunt, quin gratia sufficiens plerumque separatim a gratia efficaci conferatur, atque ita sæpe separatim, ut gratia quidem sufficiens conferatur, non vero efficax propter defectum recipientis gratiam sufficientem sicuti infra ostendemus.

Jansenius, ut evincat, nullum nunc dari sufficiens auxilium, quod simul non sit efficax lib. 3. de *Grat. Chr.* cap. 1. abutitur auctoritate Facultatis Lovaniensis, et Duacensis, atque opponit, illam in censura prop. 14. statuisse: hominibus induratis non dari illam gratiam, quæ auferat cor lapideum: istam in censura assertionis 2.; etiam illos, quibus prædicatur Evangelium, non posse credere, si Deus non aperiat cor illorum.

Neque prius, neque alterum ad rem nostram nunc facit, et utrumque certum est apud omnes recte sentientes: si enim induratis detur gratia, quæ cor lapideum auferat, desinunt ii esse tales. De gratia sufficienti quid sentiamus quoad istos, infra explicabimus. Item requiritur gratia efficax, ut actus fidei habeatur: tamen, Deo interius operante, fit, ut quis visione signorum fiat proxime potens ad credendam, atque ulterius intus agente efficaci Dei gratia, credat, non credat autem, si illa non superadveniat. In altera censura assertionis 2. a Facultate Duacensi facta hoc sane statuitur: præter gratiam excitantem, qua peccator ad Deum se convertere potest, requiri aliam gratiam ad conversionem ejus. Hoc sane totum et pro nobis, et contra Jansenium facit; tamen pro se Jansenius illud in medium adducit, quia utpote præjudicii sui erroris prævcntus, id videre sibi visus fuit, quod ipsa aperta ratio loquendi omnino non patiebatur.

Ultra pergit Jansenius, atque effutit, auxilium sufficiens esse *Pelagianicum adjutorium*, atque illi simile, quod Massilienses statuerunt esse necessarium, et sufficiens ad credendum. Hinc pro se quædam ex Augustino depromit, quibus S. Doctor errorem Pelagianorum refutavit.

Verum Jansenius non solum omnino illiberaliter, ne quid gravius dicam, sed etiam falsæ, suppositioni innixus illud prius dicit. Se enim non novisse fingit, propugnatores gratiæ sufficientis, immo vero etiam S. Augustinum, tueri, illos quidem hac gratia, quæ est a Deo, Augustinum autem suo auxilio *sine quo*, quod item est a Deo, reddi potentiam proxime expeditam ad opera salutaria, contra autem Pelagiani, exclusa Dei gratia, quæ moveret interius, nihil gratiæ tribuere, quod ad legem, et doctrinam referri non posset, sicut S. Augustinus Pelagio

semper objecit. Semipelagiani autem, sicuti tradit S. Prosper in *Carm. de Ingratis* car. 852. et seqq., hominem *cælestia* et videre, et facere sua virtute posse, tuebantur. Hoc sane uno Jansenii calumnia valde turpis refellitur. Unde mirandum non est, si cit. lib. cap. 2. et 3. eo etiam ipse progrediatur, ut defensoribus auxilii sufficientis nonnulla eorum opposuerit, quæ S. Augustinus scripsit contra Pelagianos. Sicuti in communi proverbio est, extra chorum canit.

Hoc quoque facit Antonius Arnaldus, quando in suo libro, quem inscripsit: *Constitutionis Innocentii X. defensio*, plura tum ex Sacris litteris, tum ex Conciliis congessit ad adstruendum potentiam agendi esse a gratia efficaci, ac propterea gratiam efficacem a sufficienti distingui non debere. In rem istam in medium adducit illud *Joan.* 6. 44. et 66. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Et: *Quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo.*

Verum hisce duobus in locis gratia quidem efficax indicatur, tamen non respectu potentiæ in actu primo, hoc est, potentiæ completæ ad agendum, sed respectu potentiæ in actu secundo, videlicet euntis ad Christum per fidem: „Sed ut doceret (inquit S. Augustinus Serm. alias 2. de *Verbis Apostol.*, nunc 131. in *Joan.* num. 2.) etiam ipsum credere doni esse, non meriti: *Sicut*, inquit, *dixi vobis, nemo venit ad me, nisi cui datum fuerit a Patre meo.* Ubi autem hoc Dominus dixerit, si superiora recolamus, inveniemus eum dixisse: *nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.*" Unde ita S. Thomas lect. 5. in cit. cap. *Joannis*. „Est ergo humana facultas deficiens ad veniendum ad Christum per fidem, et ideo dicit: *nemo potest venire ad me.* 2. Divinum auxilium est efficax ad subveniendum: unde subdit: *nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.*"

Concilia, inter quæ Arausicanum II. et Carthaginense ab Arnaldo citata, hoc unum docent, nos aliquid salutare sine gratia Dei non solum velle non posse, sed neque etiam desiderare. De Arausicano constat ex canonibus a nobis supra relatis lib. 2. cap. 3. prop. 2., de Carthaginensi ex epistola illius ad Innocentium data, inter Augustinianas alias 95., nunc 175. in qua num. 2. Innocentium certiorem facit, sentire Pelagianos: „In eo Dei gratiam deputandam, quod talem hominis instituit, creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei possit implere, sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris. Hunc ergo errorem, ut secum proscribat, Innocentium rogat." Profecto si desiderium salutis efficaci gratia, quæ facit, ut faciamus, excitatur, eodem homo peccator evaderet justus: eodem, qui ageretur in ordine ad fidem, jam credidisset; nunquam in illo ir-

ritum evaderet quoad resipiscentiam a peccatis, in isto quoad donum fidei.

De S. Augustino non est, cur nunc aliqua dicamus: supra enim satis diximus, quæque Arnaldus ex eo accepit, non est, cur aggrediamur explicare.

At, reponit Arnaldus, S. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 2. et seqq. mentionem tantum facit tum auxilii habitualis, tum alterius, quod vocat *auxilium Dei moventis*. Auxilium sufficiens non comprehenditur sub habituali, neque etiam sub auxilio Dei moventis, quia istud est efficax. Hinc factum est, inquit, ut Thomistis antiquioribus hoc auxilium sufficiens fuerit incognitum.

Verum enim vero, sicut alibi monuimus, S. Thomas non solum lectione: 2. in cap. 3. epist. ad *Ephes.*, sed etiam in pluribus aliis locis explicat doctrinam gratiæ sufficientis. Hac in eadem quæst., quam citat Arnaldus, art 6. postquam pluribus ostendit, hominem sua virtute se ad gratiam præparare non posse, ita habet: *Unde patet, quod homo se præparare non potest ad lumen gratiæ suscipiendum, nisi per auxilium gratuitum Dei interius moventis.* An fortasse istud auxilium est illud efficax, de quo Arnaldus loquitur? Quæst. 112. art. 2. ad 1. *Est autem* (inquit) *alia præparatio gratiæ imperfecta, quæ aliquando præcedit donum gratiæ gratum facientis, quæ tamen est a Deo movente. Sed ista non sufficit ad meritum, nondum homine per gratiam justificato.* Ad 2. *Contingit autem quandoque, quod Deus movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum: et talis præparatio præcedit gratiam.* Superaddit autem quæst. 113. art. 10., hac plerumque fieri ratione; *Ut Deo movente interius animam, homo convertatur ad Deum, primo quidem conversione imperfecta, ut postmodum ad perfectum deveniat.* Porro præparatio imperfecta gratiæ, quæ est a Deo movente, quæque justificationem hominis plerumque prævenit, non est sane gratia efficax, sed talis, qua potentia proxime disponitur ad opera salutaria.

Utrum lex nova justificet, quærit Angelicus 1. 2. quæst. 106. art. 2., et respondet, legem evangelicam justificare: sibi secundo loco opponit, legem evangelicam non justificare, quia juxta Apostolum *Hebræor.* 10. 29. majori pœna dignus est, qui post legem novam datam adhuc peccat: ita solvit hanc difficultatem S. Doctor: „Quod gratia novi Testamenti etsi adjuvet „hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bo„no, ut homo peccare non possit, hoc enim pertinet ad sta„tum gloriæ. Et ideo si quis post acceptam gratiam novi Tes„tamenti peccaverit, majori pœna est dignus, tamquam ma„joribus beneficiis ingratus, et auxilio sibi dato non utens; nec „tamen propter hoc dicitur, quod lex nova iram operatur: „quantum est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccan-

„ dum." Hoc autem auxilium tum nomine, tum re est illud, quod usque modo propugnavimus.

Quare sub nomine auxilii Dei moventis venit etiam gratia sufficiens. „ Alio modo (sicut recte animadvertit Reginaldus Antoninus de *Mente Concil. Trid.* part. 1. cap. 42.) explicanda „ est ratio gratiæ efficacis, quam per hoc, quod est habere „ semper conjunctum actum hominis, si hoc ipsum habeat, sicuti revera habet gratia sufficiens. Et sane hæc ratio convincit omnino hoc postremum, gratiam nimirum non debere dici efficacem ex eo præcise, quod habeat adjunctum aliquem „ actum, quum hoc debeat habere omnis gratia actualis ex generali ratione motionis; sed dici debet efficax, ex eo quod „ habeat semper conjunctum actum perfectum, ad quem per „ se ordinatur; in quo differt a gratia sufficienti, quæ non „ habet conjunctum actum perfectum, ad quem ex sui natura „ ordinatur."

Auxilium autem sufficiens Thomistæ etiam antiquiores docuerunt, sicut Cajetanus super epist. Pauli explicans illud I. *Corint.* 10. 13. *fidelis Deus, qui non patitur vos tentari* etc. Ferrariensis in cap. 159. lib. 3. *Cont. Gent.*, Dominicus Soto in IV. dist. 14. quæst. 1. art. 10., Medina in 1. 2. quæst. 109. art. 10., et alii plures, quos commemorare possem.

Quæ vero Arnaldus tum in cit. Opere, tum in Provinciali epist. 2. contra ipsam notionem auxilii sufficientis opponit, nullius momenti esse, constat ex iis, quæ in hujus libri initio præmisimus.

CAPUT SECUNDUM.

De systematibus, in quibus nullus locus reliquus esse videtur gratiæ sufficienti, quæ conferat, et perficiat potentiam ad opera salutis.

In utroque systemate tum pure Molinistico, tum Congruistarum gratia sufficiens est illa gratia versatilis, quæ a libero arbitrio fit efficax, vel inefficax, efficax quidem, si liberum arbitrium consentiat, si autem dissentiat, inefficax. Systema Congruistarum supra systema Molinisticum habet hoc unum, quod gratia versatilis fiat congrua, quia Deus eam confert homini posito in illis circumstantiis, in quibus illum consensurum esse per scientiam mediam prævidit; tamen ea in se non desinit esse versatilis, et a libero arbitrio, quod Deus prævidit esse consensurum, suam efficaciam habet.

In systemate Jansenii major delectatio cælestis, quæ est a gratia, et major delectatio terrena, quæ est a concupiscentia, sunt duo illa principia, propter quæ vel opera salutaria, vel

non salutaria, immo vero mala, agimus: si cælestis supra terrenam prævaleat; operamur bene, atque salutariter: si terrena supra cælestem: male. Quare delectatio cælestis relative victrix a Jansenio dicitur, quia non quæcumque delectatio cælestis supra quamcumque delectationem terrenam simpliciter potest prævalere, sed ea tantum, quæ in se habet gradus majores, quam terrena: idemque de delectatione terrena dicit. Hæc in pluribus capit. lib. 4. de *Grat. Chr.* ipse habet. Illud quoque tradit cap. 4. et seqq., delectatione cælesti relative victrici fieri, ut salutaria opera, licet non coacte, tamen necessario, et non libere, agamus, sicut etiam delectatione terrena relative victrici fieri, ut necessario agamus opera terrena. Verum etiamsi non habeatur ratio hujusmodi erroris, qui est contra fidem, quod nos volumus, ex ipso systemate delectationis victricis evincere conabimur.

Prop. I. In systemate Molinæ, atque etiam Congruistarum nullus locus reliquus esse videtur gratiæ sufficienti, quæ conferat potentiam ad opera salutis.

Prob. prop. Gratia versatilis non ex se, sed vel ex consensu, vel ex dissensu liberi arbitrii habet, ut sit efficax, aut inefficax: ergo in se non habet, ut potentiæ virtutem conferat ad opera salutis, quemadmodum revera confert gratia sufficiens: ergo in se spectata non potest dici sufficiens: neque etiam spectata prout consensum, vel dissensum liberi arbitrii sibi adjunctum habet: si enim consensum sibi adjunctum habeat; tunc in hoc systemate est efficax: si dissensum; est inefficax. Opponuntur autem inter se inefficax, et sufficiens: nam quod est revera sufficiens, habet aliquam efficaciam, propter quam dicitur sufficiens.

Neque est, cur reponatur, dici inefficax per oppositionem ab efficaci, non vero quatenus nullam potentiam ad agendum tribuat: nam hoc auxilium, quoad usque manet, ut ita dicam, in sua versatilitate, non confert potentiam potius ad unum, quam ad alterum, alioquin non esset versatile. Accedente dissensu voluntatis, fit, ut quod ad unum poterat habere, hoc est ad inclinandam, vel movendam voluntatem in bonum, prorsus amittat. Hoc autem semel posito, in gratia versatili non remanet aliqua sufficientia ad bonum, propter quam dici possit auxilium sufficiens.

Supra vero ostendimus, admitti debere gratiam, cui aliquando resistatur: (cap. 1. prop. 1.) hac gratia potentiæ conferri virtutem ad opera salutis: (prop. 2.) eamque esse gratiam sufficientem Thomistarum, quibus præivit S. Augustinus: (prop. 3.) et propterea admitti debere gratiam sufficientem, quæ ab efficaci ex sui natura distinguatur. Contra systema Molinistarum, in quo nullus est gratiæ sufficienti locus, hæc omnia faciunt, quorum primum spectat ad fidem, utpote definitum ab Ecclesia, cetera autem

consequi ex illo primo, certa theologica argumentatione nos confecisse videmur.

Unum tantum in rem nostram ex Augustino superaddimus. S. Doctor naturam adjutorii divini distinxit in adjutorium sine quo, et adjutorium quo: isti virtutem tribuit, qua agamus opera salutis: adjutorium quo primum hominem non recepisse dicit, sed adjutorium sine quo: nos autem recipere tam adjutorium sine quo, quam adjutorium quo. Utrique autem adjutorio, accepto in eo sensu, in quo accepit Augustinus, semel admissa opinione Molinistarum, nullus amplius locus remanet. Sensum, in quo accipit S. Doctor, adjutorium sine quo, jam explicavimus, sensum vero illius de adjutorio quo, infra aperiemus.

Prop. II. In systemate delectationis victricis nullus locus reliquus esse videtur gratiæ sufficienti, quæ potentiam ad opera salutaria conferat.

Prob. prop. Sicuti in Moliniano systemate una est gratia, quæ fit efficax, si consensus liberi arbitrii ad illam accedat; inefficax, si non accedat: ita in systemate delectationis victricis est similiter una gratia, quæ est victrix relative, atque efficax singulariter, si gradus illius superaverint gradus concupiscentiæ: si non superaverint, est non victrix, et inefficax. Hoc discriminis inter utrumque systema intercedit, ut in Moliniano gratia efficaciam, vel inefficaciam habeat a consensione, vel dissensione voluntatis, in altero delectationis victricis gratia eam efficaciam, quam habet, ab ipsa sua delectatione habet; tamen efficacia ejus non absolute operatur, sed relative: sua enim efficacia, quam habet, fit ipsa victrix; si gradus cælestis delectationis fuerint majores gradibus delectationis terrenæ: si autem fuerint minores; non gratia, sed concupiscentia fit victrix, atque prævalet supra illam efficaciam, quam habet gratia. Si prius habeatur, sicuti diximus, gratia est efficax: si alterum; inefficax. Hæc vero altera est illa gratia, quæ a propugnatoribus victricis delectationis dicitur sufficiens; attamen sufficiens non proxime, sed remote, eaque voluntas excitatur ad eliciendos actus debiles, hoc est, desideria, conatus, orationes minus fervidas etc.

Verum gratiam, quæ est inefficax ob majores gradus concupiscentiæ, dici posse sufficientem etiam remote, videre non posse, mihi videor. Gratia, si fuerit efficax ob suos majores gradus delectationis cælestis supra gradus delectationis terrenæ, vires, et efficaciam concupiscentiæ quoad illum actum, ad quem ipsa concupiscentia movet, omnino frangit: pluralitas enim graduum contra gradus minoris numeri prævalere debet: ergo in concupiscentia non superest aliqua virtus, qua in ipsa decertatione præstet, vel præstare voluntati possit quodvis auxilium sufficiens ad actum illum, ad quem ipsa fertur. Simili ratione si concupiscentia fuerit efficax, atque victrix ob suos majores

gradus supra gratiam, vires, et efficaciam quoad actum illum, ad quem ipsa gratia movet, omnino frangit: ergo in gratia non superest aliqua virtus, qua in ipsa decertatione præstet, vel præstare voluntati possit quodvis sufficiens auxilium ad actum sibi proprium. In gratia igitur, quæ in ipsa decertatione cum concupiscentia evadit inefficax, fingitur quodvis auxilium sufficiens ad aliqua opera salutis.

Hoc autem magis perspectum fiet, si advertatur, decertationem inter delectationem cælestem, et terrenam esse quoad hunc, vel illum actum determinatum: delectatio cælestis vult, ut fiat opus salutare, delectatio terrena vult, ut fiat opus terrenum: ut opus sit terrenum, vult terrena delectatio, ut illud sit salutare, ipsa cælestis delectatio conatur. In hoc conflictu, si ob majores suos gradus vincat delectatio cælestis, erit salutare: si vincat delectatio terrena; etiam opus erit terrenum, propterea quæ si prius habeatur; gratia est efficax: si alterum; inefficax. Ex hac autem inefficaci gratia, videlicet, non operante sua virtute ob victoriam terrenæ delectationis supra cælestem, in nullius unquam mentem venerit, promanare posse in voluntatem aliquod sufficiens auxilium ad opera salutaria, quæ terrenæ jam victrici delectationi adversantur.

Neque est, cur reponatur, gratiam in se absolute spectatam esse efficacem, indeque semper ab illa promanare aliquod auxilium ad opera salutis: hoc enim ad rem nostram non facit, quum, iis quoque consentientibus, contra quos pugnamus, hic agatur de gratia, quatenus viribus suæ cælestis delectationis pugnat singulariter contra vires delectationis terrenæ. Quapropter sicut prævalentibus viribus delectationis cælestis, vires delectationis terrenæ vel omnino fractæ, vel saltem diminutæ remanent, nullo autem modo vim recipiunt ad actum, ad quem tendunt; ita etiam prævalentibus viribus concupiscentiæ, vel omnino fractæ, vel saltem diminutæ remanent vires delectationis cælestis, nullo autem modo vim recipiunt ad actum, ad quem tendunt. At vero quando vires delectationis terrenæ prævalent supra vires delectationis cælestis, tunc gratia est inefficax: ergo ab hac gratia nullum adjutorium, licet remote sufficiens, proficisci potest ad eliciendos actus etiam debiles, hoc est, desideria conatus, orationes minus fervidas etc.

Quæ sit doctrina S. Augustini de sufficienti gratia, tum integræ, tum corruptæ naturæ habita ratione, in præced. cap. prop. 3. explicavimus, atque ostendimus, S. Doctorem prævisse Thomistis.

Hic illud adverto, nomine gratiæ parvæ gratiam sufficientem S. Doctorem non intellexisse: nam etiam Jansenius consentit, pro gratia sufficienti habuisse S. Doctorem illud auxilium sine quo, quod Adam a Deo recepit: loquens autem S. Augustinus de gra-

tia istiusmodi auxilii lib. de *Correpl. et Grat.* num. 33. ait: *nec illa quidem parva erat.*

Supra autem cap. 1. prop. 4. evicimus, auxilium *sine quo* S. Augustinum admisisse non minus in natura integra, quam in corrupta. Quare conformiter ad doctrinam illius non loquuntur ii Theologi, contra quos agimus, quando affirmant, auxilium sufficiens esse quamdam gratiam parvam. Quid intellexerit S. Augustinus nomine gratiæ parvæ, ut fusius explicemus, ipsa brevitas institutionum Theologicarum non patitur. Ex his autem omnibus constare arbitramur, quod in systemate delectationis victricis nullus locus reliquus esse videtur gratiæ sufficienti, quæ potentiam conferat ad opera salutaria.

CAPUT TERTIUM.

De eo principio, ex quo contingit, ut non omnis, qui habet auxilium sufficiens, consequatur etiam efficax.

Nunc hac de re agere instituimus, ut magis magisque constet, hoc auxilium, de quo usque modo fuimus loquuti, esse revera ex se sufficiens, atque non ex defectu illius, sed ex malitia, et culpa ipsius hominis contingere, ut non omnis, qui habet auxilium sufficiens, consequatur etiam efficax. „Si loquamur de gratia (in„quit S. Thomas 1. 2. quæst. 112. art. 2.) secundum quod sig„nificat auxilium Dei moventis ad bonum; sic nulla præparatio „requiritur ex parte hominis, quasi præveniens divinum auxi„lium, sed potius quæcumque præparatio in homine esse po„test, est ex auxilio Dei moventis animam ad bonum." Attamen, sicuti superaddit Angelicus lib. 3. *Cont. Gent.* cap. 159. homo potest se ipsum impedire, ne recipiat gratiam. Unde „illi soli „gratia privantur, qui in se ipsis gratiæ impedimentum præs„tant; sicut sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei, „qui oculos claudit, si ex hoc sequatur aliquod malum, licet „videre non possit, nisi lumine solis præveniatur."

Prop. Non provenit ex defectu ipsius auxilii sufficientis, sed ex defectu hominis, ut non omnis, qui habet auxilium sufficiens, etiam efficax consequatur.

Prob. prop. *Oseæ* 13. 9. inquit Dominus: *Perditio tua ex te Israel: tantummodo in me auxilium tuum.* Et hoc quidem ostendunt ea omnia, quæ cap. 1. prop. 1. commemoravimus: nam quod visis signis, atque virtutibus, pœnitentiam non egissent, Corozaitis, ac Bethsaiditis Christus exprobravit: Jerusalem autem, quod congregari noluisset, licet eam ipse congregare sæpius vo-

luisset, sicut gallina congregat pullos suos sub alas: duritiem cordis, indeque quod resisterent Spiritui Sancto S. Stephanus Judæis objecit, atque Apostolus deprecatus fuit omnes, ne extinguerent Spiritum. Profecto semel ac non admittatur, sicuti sine gravissimo errore contra fidem non potest admitti, sua virtute hominem ad gratiam se præparare posse, tota exprobratio Christi facta Corozaitis, Bethsaiditis et Jerusalem, item exprobratio Stephani facta Judæis, atque etiam Pauli deprecatio ad omnes fideles, supra ea impedimenta cadunt, quæ propter suam malitiam opponunt homines, atque efficiunt, ne ad gratiam sufficientem, quæ sane designatur in omnibus prædictis locis (hujus lib. cap. 1. prop. 3.) consequatur ulterior effectus, antecedenti voluntate a Deo præintentus, hoc est, gratia efficax.

Idem probatur auctoritate SS. Augustini et Thomæ. Ille lib. de *Corrept. et Grat.* num. 32. loquens de Adamo ait: *Sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset.* Lib. de *Peccatorum merit. et remis.* num. 26. *Ut autem innotescat, quod latebat, et suave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates: qua ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est.* Hoc idem confirmat Tract. 53. in *Joan.* num. 16., et multis aliis in locis. S. Thomas 1. 2. quæst. 112. art. 3. ad 2. ait: „quod defectus gratiæ prima causa est ex nobis, sed collationis gratiæ prima causa est a Deo, „secundum illud *Oseæ* 13. 9. *perditio tua ex te Israel: tantummodo ex me auxilium tuum.*" Rem eamdem pluribus, atque distincte explicat lib. 3. *Cont. Gent.* cap. 159. Est ergo perspicuum non provenire ex defectu sufficientis auxilii, sed ex defectu hominis, ut non omnis, qui habet auxilium sufficiens, consequatur etiam efficax.

Dices. S. Augustinus in epist. ad Vitalem alias 107., nunc 217. num. 19. advertit, multos infantes mori sine baptismate, licet nullam contrariam voluntatem ipsi habeant, immo *Aliquanda cupientibus, festinantibusque parentibus, ministris quoque volentibus, ac paratis, Deo nolente, illis non dari baptisma.* Lib. 2. *De Peccat. mer. et remiss.* num. 6. *Cur autem illum adjuvet, illum non adjuvet, illum tantum, illum autem non tantum: istum illo, illum isto modo; penes ipsum est, et æquitatis tam secreta ratio, et excellentia potestatis.* Hoc autem utrumque nostræ assertioni adversatur: ergo.

R. hæc S. Augustini loca non facere contra nos, qui nunc illud contendimus, non fieri ex defectu ipsius sufficientis auxilii, sed ex defectu hominis, ut non omnis, qui habet auxilium sufficiens, etiam efficax consequatur. Tamen dico, S. Augustinum in priori loco illos refellere, qui contendebant, gratiam dari ob merita, illamque omnes esse consequuturos, si non resisterent Deo, qui vult omnes salvos fieri. Opponit ergo illis S. Doctor exemplum

puerorum, qui ex hac vita decedunt sine baptismate, quique non solum ipsi non resistunt Deo, sed neque etiam alii, qui ad baptisma illorum concurrere possent: ex hoc autem colligit, Deo nolente, non baptizari tales pueros. *Unde hoc* (inquit idem S. Doctor lib. 1. de *Peccat. merit. et remiss.* num. 28.) *quando eos clarum est, peccata propria non habere, si nec peccato originali teneantur obnoxii?* Igitur ad peccatum originale refert, quod hujusmodi pueros baptizari Deus nolit.

R. in altero loco inculcare, quod ante ipsum etiam Apostolus inculcaverat, videlicet, in hoc toto negotio inscrutabilia esse judicia Dei, neque inquirendum, cur unum Deus relinquat in suo peccato, alterum, licet æque peccatorem, atque fortasse etiam magis, ad se convertat. Hoc tamen non obstat, quin dicatur, eos, quos ad se non convertit, ob illorum præcedentia peccata non convertere, quibus facti sunt indigni gratia Dei. Verum hæc attendenda, quæ habet S. Thomas lib. 3. *Con. Gent.* cap. 161. „Licet autem ille, qui peccat, impedimentum gratiæ præstet, et „in quantum rerum ordo exigit, gratiam non deberet recipe„re; tamen quia Deus præter ordinem rebus inditum operari po„test, sicut quum cæcum illuminat, vel mortuum resuscitat, in„terdum etiam eos ex abundantia bonitatis suæ, qui impedimenta „præstant, auxilio prævenit, avertens eos a malo, et convertens „ad bonum: et sicut non omnes cæcos illuminat, et omnes lan„guidos sanat, ut et in illis, quos curat, opus virtutis ejus ap„pareat, et in aliis ordo naturæ servetur, ita non omnes, qui „gratiam impediunt, auxilio suo prævenit, ut avertantur a ma„lo, et convertantur ad bonum, sed illos, in quibus vult suam „misericordiam apparere, ita quod in aliis justitiæ ordo manifes„tetur." Manifestatio autem ordinis justitiæ semper præsupponit peccatum.

CAPUT QUARTUM.

De iis, quibus datur, vel non datur auxilium sufficiens.

Non est, cur immoremur in explicatione diversarum opinionum, quæ hac de re circumferuntur. Quinque sunt, in se tamen diversæ auctorum opiniones, qui volunt non dari omnibus auxilium sufficiens. Illud nunc tantum advertimus, quosdam, adhibita distinctione, tenuisse, non dari omnibus illud sufficiens auxilium, quod immediate confert ad fidem, contra vero omnibus dari auxilium immediate sufficiens ad quodvis morale opus bonum, quod ad fidem mediate disponit. Molinæ sectatores generatim tuentur, supernaturale sufficiens auxilium ad salutem dari omnibus,

videlicet, tale auxilium, quod est quidem sufficiens respectu Dei, ab homine autem redditur inefficax, vel efficax malo, aut bono usu liberi arbitrii, sicuti jam explicavimus. De hac multiplicitate opinionum agit Lemosius suæ *Panopl.* tom. 4. lib. 4. part. 2. tract. 3. cap. 8. Quibusdam præmissis, quid nos hac tota de re sentiamus, aliquibus propositionibus explicabimus. I. Adverti debet, sententiam illorum, qui tuentur, auxilia sufficientia denegari obcæcatis, et induratis, nullam cognationem habere cum errore Calvini, et Lutheri sentientium, eos tantum, qui salvi fiunt, habere auxilium sufficiens ad salutem, non vero reprobos. Unde conformiter ad hunc errorem statuerunt, neminem habere gratiam sufficientem, qua in Deum converti possit, quin habeat auxilium efficax, quo convertatur. Sicuti vero nemo non videt, a Lutheri, et Calvini errore distant toto cælo, qui auxilium efficax distingunt a sufficiente, atque istud faciunt commune tam prædestinatis, quam non prædestinatis, illud tamen denegari volunt singulariter obcæcatis, et induratis, illorum nequitiæ peculiaris habita ratione (a).

II. Attendendum est, auxilia divinæ gratiæ alia esse extrinseca, alia intrinseca: prioris generis sunt ista: passio Christi, exemplum illius, sacramenta, exterior prædicatio Evangelii etc. posterioris conditionis sunt auxilia nobis intrinseca, quibus et illuminamur, et interius incitamur ad bonum. Nam Christus quoad sufficientiam passus est pro omnibus, sicut omnibus exemplum dedit, pro omnibus instituit sacramenta, atque præcepit, ut lex Evangelica ubique promulgaretur.

Prop. I. Primus homo in gratia creatus a Deo habuit intrinsecum auxilium sufficiens, quo in accepta gratia, et justitia perseverare posset.

Prob. prop. S. Augustinus in lib. *de Corrept. et Grat.* num. 32. hac de re ita habet: „Tunc ergo dederat homini Deus bo„nam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat rec„tum: dederat adjutorium sine quo in ea non posset permane„re, si vellet.... Si autem hoc adjutorium vel Angelo, vel ho„mini, quum primum facti sunt, defuisset, non utique sua „culpa cecidissent: adjutorium quippe defuisset, sine quo ma„nere non possent." Primus igitur homo in gratia creatus a Deo habuit auxilium sufficiens, quo perseverare in accepta gratia, et justitia posset.

Prop. II. Qui sunt in gratia Dei constituti, et justificati habent a Deo auxilium sufficiens intrinsecum, quo in accepta gratia, et justitia perseverare possint.

Prob. prop. Quilibet in gratia constitutus, et justificatus sine adjutorio gratiæ non potest perseverare, haud secus quam S.

(a) Vid. Lemosius cit. loco.

Augustinus de Adamo affirmavit; immo vero multo minus, quam ille, si ad statum naturæ corruptæ attendatur, in qua sane Adam non fuit. Quare si Angeli, et primus homo non utique sua culpa cecidissent, si defuisset eis illud adjutorium, sine quo non poterant manere; idem dicendum foret de homine in gratia constituto, et justificato, si caderet, quoties non haberet adjutorium, sine quo manere non posset. Nam sicuti in Adamo nulla culpa præcessit, propter quam auxilium sufficiens illi denegaretur; ita etiam in homine in gratia constituto, et justificato nulla talis culpa præsupponi potest. Est autem error in fide, talem hominem sine sua culpa peccare. Hinc ita II. Arausicani Concilii Patres can. 25. *Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod, accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo cooperante, et auxiliante, quæ ad salutem pertinent, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Loquuntur autem Patres non de gratia efficaci auxiliante, et cooperante, alioquin omnes in gratia constituti, et justificati perseverarent, sed de gratia sufficienti, qua possent perseverare, quaque propterea nonnulli abutuntur, alii bene utuntur, indeque gratiam efficacem accipiunt.

S. Augustinus lib. de *Nat. et Grat.* num. 29. hoc discrimen ponit inter medicum terrenum, et cælestem, quod ille sanatum hominem relinquit sustentandum elementis, atque alimentis. „Ipse autem Deus.... spiritualiter sanat ægrum, vel vivificat mortuum, id est, justificat impium, et quum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam, justitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper, justeque vivatur.... Sanat ergo Deus, non solum ut deleat, quod peccavimus, sed ut præstet etiam, ne peccemus." Unde Tridentini Patres sess. 6. cap. 11. „Nemo (inquiunt) temeraria illa, et a Patribus sub anathemate prohibita voce uti (debet), Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia, nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, et facere, quod possis, et petere, quod non possis, et adjuvat, ut possis." Quibus sane est immediate opposita prima propositio Jansenii ab Ecclesia proscripta uti temeraria, impia, blasphema, et hæretica.

Dices. SS. Patrum una sententia est, interdum etiam justis gratiam deesse: sed hoc falsum est, semel ac ponatur, quod nos modo volumus: ergo.

R. dist., deesse gratiam efficacem, conc., sufficientem, neg. Utique etiam justis gratia efficax quandoque deest, alioquin nemo unquam justus amitteret justitiam, quam habet. Quandoque autem etiam justis gratiam deesse, Patres simpliciter, atque absolute pronuntiarunt: 1. quia gratia efficax, utpote perfectissima inter ceteras gratiæ species, dicitur simpliciter gratia: 2. quia

ea de gratia loquebantur, qua semel subtracta, etiam justus deficit, qua adjuvante, nullo modo deficit.

Prop. III. Cum maxima probabilitate dicitur, omnibus fidelibus, quamvis gravi peccato detentis, dari interiorem sufficientem gratiam, quo a peccato possint resipiscere.

De peccatoribus excæcatis, et obduratis in hac propositione non loquimur. De his infra.

Prob. prop. In hisce peccatoribus licet sit fides sine caritate, tamen præcepta fidei in eis obliterata non sunt, indeque timore pœnarum quandoque concutiuntur, ad dolendum de peccatis excitantur, ad resipiscendum, ad satisfaciendum Deo, ad quærenda remedia, quæ sibi præsto sunt. Deinde peccatores hujus conditionis, quamvis non ea dispositione, quæ requiritur ad salutem, plura Dei, et Ecclesiæ præcepta servent, ipsa tamen servant, eaque nullo modo transgrediuntur, piis operibus quandoque vacant, atque ab exercitatione aliquarum virtutum animum alienum non habent. Aliunde vero sentiunt efficaciam exempli bonorum operum, salutaribus monitis perstringuntur interius, explicatio divinorum mandatorum, cui quandoque præbent aures, tam intellectui eorum lumen præbet, quam voluntati quoddam incitamentum ad virtutem confert. Hæc omnia profecto talia sunt, ut iisdem peccatores ad gratiam magis minusve disponantur: ad gratiam autem se disponere, atque præparare nemo sua virtute potest, sicuti in pluribus capit. lib. 2. hujus disput. jam ostendimus: igitur adjuti sufficienti gratia præstant illa omnia: dicitur ergo cum maxima probabilitate, omnibus fidelibus, quamvis gravi peccato detentis, non deesse auxilium sufficiens, quo ad Deum sese convertere possint.

Prop. IV. Non omnes obcæcati, atque indurati semper accipiunt a Deo sufficientem gratiam interiorem, qua a via sua mala possint resipiscere.

Excæcatio secum affert, sicuti advertit S. Thomas 1. 2. quæst. 79. art. 3. „motum animi humani inhærentis malo, et aversi „a divino lumine." Quare excæcatus et voluntatem in malo singulariter obfirmatam habet, et intellectum aversum a lumine divino. De peccatore hujus conditionis nos modo loquimur.

Prob. prop. *Joan.* 12. 39. et seq. de Judæis non credentibus in Christum dicitur, quod *propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: excæcavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, et sanem eos.* Apostolus *Roman.* 1. postquam dixit v. 21. *Quia quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum;* v. 24. hæc superaddit: *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, ut contumeliis affi-*

ciant corpora sua. Ex quibus ita: qui oculos suos ita habent excæcatos, ut iisdem salutaria non videant, atque cor ita induratum, ut a divina gratia sit aversum; sunt profecto distituti auxilio, quo possint bene agere: item qui a Deo traditi sunt in desideria eorum, et in immunditiam, propterea quod, Deo semel cognito, evanuerunt in cogitationibus suis, et cor insipiens illorum quadam obscuritate involutum remansit; sunt expertes cujusvis divinæ gratiæ: sed talem esse statum quorundam peccatorum, tum Joannes, tum Apostolus perspicue tradunt, atque excæcatos, et induratos esse in isto statu, dubitari non potest: ergo saltem non omnes excæcati, et indurati semper accipiunt a Deo gratiam sufficientem, qua a via sua mala possint resipiscere.

S. Augustinus in Exposit. prop. ex epist. ad *Roman.* num. 62. *cujus enim miseretur,* (inquit) *facit eum bene operari, et quem obdurat, relinquit eum, ut male operetur.* Tract. 53. in *Joan.* num. 6. „Si ergo absit, ut sit iniquitas apud Deum, si„ ve quando adjuvat, misericorditer facit, sive quando non „ adjuvat, juste facit, quia omnia non temeritate; sed judicio „ facit.... Unde quum quæstiones hujusmodi in medium vene„ rint, quare alius sic, alius autem sic, quare ille, Deo de„ serente excæcatur, ille, Deo adjuvante, illuminetur; non no„ bis judicium de judicio tanti judicis usurpemus." *Enarrat.* in Psal. 147. num. 26. *Ecce deserit peccatorem, ecce non vocat, non aperit sensum, ecce non infundit gratiam: solvatur homo, si potest, glacie stultitiæ.* S. Gregorius lib. 25. *Moral.* cap. 9. num. 22. ait: „Sed peccatum, quod ex peccato oritur, non „ jam peccatum tantummodo, sed peccatum est, et pœna pec„ cati: quia justo judicio omnipotens Deus cor peccantis obnu„ bilat, ut præcedentis peccati merito etiam in aliis cadat. Quem „ enim liberare noluit, deserendo percussit." S. Thomas III. *Cont. Gent.* cap. 162. explicans plura illa loca Scripturarum, in quibus traditur, peccatores excæcari a Deo, ait: *Quæ omnia secundum hoc intelligenda sunt, quod Deus aliquibus non confert auxilium ad vitandum peccatum, quod aliis quibusdam confert.* Ex his vero omnibus constat, excæcationem, et obdurationem esse in peccatore, quia Deus illum deserit, atque sua gratia nullo modo adjuvat: ergo non omnes obcæcati, et indurati semper accipiunt a Deo sufficientem gratiam, qua a via sua mala possint resipiscere.

Rationes, quibus aliqui hac de re agentes institerunt, omittendas putamus, quia, sicuti inquit S. Augustinus: *Quare ille, Deo deserente, excæcatur, ille, Deo adjuvante, illuminetur, non nobis judicium de judicio tanti judicis* usurpare debemus. Eo vel maxime, quia sicuti pergit advertere S. Augustinus *Enarrat.* in psal. 147. num. 25., quidam præ aliis magis obcæcati, et obs-

tinati, fuerunt prædestinati, et vocati, atque ita quidem nonnulli illorum, *ut pascerent alios, et essent utiles et aliis.* In hujus rei confirmationem affert exemplum Pauli, atque inter illum, et gentes comparationem instituit; inquiens: Iste quam „durus „fuit.... Non audiebat Moysem, et Prophetas Christum præ„dicentes. Magna duritia. Certe gentes non audierant Prophe„tas, non audierant Moysem: frigidi erant, sed crystallum non „erant. Ille, qui credebat in verbis prædicantibus Christum, „et Christo venienti non credebat, nimis obdurabat.

Dices. Plura sunt loca Scripturarum, quibus constat, auxilia sufficientia dari etiam excæcatis, et induratis. Quædam tantum ex iis in medium proferemus. *Rom. an.* 10. 21. *Ad Israel autem dixit: tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem. Apocalyp.* 3. 20. *Ecce sto ad ostium, et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi januam, intrabo ad illum. Ezechiel.* 18. 23. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat?* II. *Petri* 3. 9. *Sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti. Joan.* 1. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Tandem I. ad *Timoth.* 2. 4. *Qui omnes homines vult salvos fieri.* Ex his vero constat, dari unicuique auxilia sufficientia.

R., sæpe in Sacris litteris nomine totius mundi partem illius, nomine omnium hominum partem illorum, nomine totius terræ partem ejus significare. Rem istam Auctor Operis de *Vocat. gent.* plane confecit lib. 1. cap. 9. pluribus ex utroque Testamento locis in medium prolatis. Quibus semel positis, ita ipse: „His igitur, et aliis documentis, quæ possunt inquirentibus nu„merosiora proferri, non dubie demonstratur, interdum et pro „parte terræ omnem terram, et pro parte mundi totum mun„dum, et pro parte hominum omnes homines nominari. Quo„rum tamen discretionem Scriptura cito aperit, ut sensus le„gentis ab universitate ad partem, quæ intelligenda est, „transferatur."

Hoc semel posito, quod tamen poni debere, Scriptura cito aperit; dimus, loca Scripturæ allata in objectione, aliaque similia, ita accipi debere, ut iis aliqua solummodo pars hominum, non vero omnes homines designentur. Et hoc quidem ipsa Scriptura aperit; si loca Scripturæ cum aliis ejusdem locis, et ipse Apostolus cum Apostolo conferatur. Hac de re constabit, etiamsi loca tantum Scripturæ nunc allata in objectione comparentur cum aliis, quæ ad nostram propositionem comprobandam in medium protulimus. Apostolus *Roman.* 10. 21. illa Isaiæ habet: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, et contradicentem;* verum Joannes cap. 12. 39. de Judæis non

credentibus in Christum ait: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias; excæcavit oculos eorum, et indura-vit cor eorum.*

Illa autem loquutio: *ecce sto ad ostium, et pulso*, etiam secundum sensum litteralem non respicit omnes, multoque minus omnes status hominum.

Ezechiel. 18. 23., voluntas Dei esse dicitur, ut impius convertatur: II. *Petri* 3. 9., Deum nolle aliquos perire: *Joan.* 1. 9. Deum illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum: I. ad *Timoth.* 2. 4. velle omnes homines salvos fieri. Hæc profecto omnia sunt unius, ejusdemque rationis, iisque non est, cur nunc respondeamus, quum Disp. 3. lib. 9. de volunt. Dei cap. 5. sensum illorum jam aperuerimus.

Illud nunc explicandum est, qua ratione peccatum imputetur excæcatis, et obduratis, licet, distituti auxilio sufficienti, non possint resurgere a peccato. Verum facilis est hujus rei explicatio, si advertatur, Lutheranorum quidem, et Calvinistarum errorem fuisse, quem Tridentini Patres proscripserunt, et in Bajo, ac Jansenio Ecclesia subinde proscripsit, hominem in statu corruptæ naturæ divina mandata non posse servare. Potest ergo homo servare divina mandata, non quatenus ad hoc potentiam expeditam ipse habeat a se, sed quatenus ei confertur auxilium divinum. „Quod Deus ex parte sua (inquit S. Tho-„mas quæst. 6. de *Verit.* art. 3. ad 7.) paratus est omnibus „dare pro quolibet momento, ut supra explicatum est: et in „hoc sensu propositio illa est verissima (scilicet quemlibet pec-„catorem, quandiu est in hac vita, posse pro quolibet momen-„to, et tempore ad Deum converti) non autem in pri-„mo, quoniam per solam naturæ facultatem non potest homo „potentia proxima ad Deum converti, et salvari."

Hæc quidem recte se habent, inquiet quispiam; attamen, quum hæc potentia proxima sit a gratia Dei, semel ac excæcatis, et obduratis ista denegetur, tales ipsi erunt, ut se ad Deum convertere non possint. Verum ii sane sua excæcatione, et obduratione singulariter impedimento sunt, ne sibi conferatur gratia, qua ad Deum proxime possent sese convertere. *Perditio tua, Israel: tantummodo in me auxilium tuum*, dicitur *Oseæ* 13. 9. „Quod si in potestate hominis esse dicatur (inquit S. Tho-„mas 2. 2. quæst. 2. art. 5.) aliquid, excluso auxilio gratiæ; „sic ad multa tenetur, ad quæ non potest sine gratia reparan-„te; sicut ad diligendum Deum, et proximum, et similiter ad „credendum articulos fidei. Sed tamen hoc potest cum auxilio „gratiæ, quod quidem auxilium quibuscumque divinitus datur, „misericorditer datur, quibus autem non datur, ex justitia non „datur in pœnam præcedentis, aut saltem originalis peccati, ut „Augustinus dicit lib. de *Corrept., et Grat.*"

Tandem, sicuti habet S. Thomas III. *Cont. Gent.* cap. 160. „Quamvis illi, qui in peccato sunt, vitare non possint per „propriam potestatem, quin impedimentum gratiæ præstent, „vel ponant, ut ostensum est, (cap. 1.) nisi auxilio gratiæ „prævéniantur; nihilominus tamen hoc eis imputatur ad cul„pam, quia hic defectus ex culpa præcedente in eis relin„quitur, sicuti ebrius ab homicidio non excusatur, quod per „ebrietatem committit, quam sua culpa incurrit." Unde S. Augustinus de *Perfect. justit.* num. 15. „Peccatum autem est.... „sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit: quia si po„test; præsens voluntas hoc facit: si autem non potest; præ„terita voluntas hoc fecit."

Prop. V. Iis infidelibus, qui nihil audierunt de fide, nulla datur gratia sufficiens interna ad salutem.

Infideles sunt duplicis generis: quidam in infidelitate persistunt, licet eis Evangelium prædicatum fierit, et dicuntur positive infideles: contra alii nihil de fide audiverunt. Istis ad peccatum non imputari infidelitatem, in qua versantur, declaravit S. Pius V. in condemnatione 68. propositionis Michaelis Baji, quæ hæc est: *Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.* Esset autem revera peccatum, si, non obstante defectu prædicationis, sufficientem gratiam ad credendum habuissent.

Prob. prop. „Quomodo ergo invocabunt (inquit Apostolus *Roman.* 10. 14.) in quem non crediderunt? aut quomo„do credent ei, quem non audierunt? quomodo autem au„dient sine prædicante?" Et v. 17. „Ergo fides ex auditu, „auditus autem per verbum Christi." Statuit igitur Apostolus, sine prævio prædicante, prævioque auditu fidem esse in nemine posse: semel ac autem non possit esse fides, neque etiam ad peccatum imputari posse debet defectus illius. Hinc S. Augustinus epist. 105., nunc 194. num. 27. inquit: *Et quia et ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est, in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati.* Et S. Thomas 2. 2. quæst. 10. artic. 1. *Infidelitas pure negativa non est peccatum, sed pœna peccati, quia talis ignorantia divinorum ex peccato consequuta est.* Quum ergo in infidelibus negativis sit defectus fidei absque peccato, indeque propter illum divinæ gratiæ restitisse, dici non possit: aliunde vero ipsa fides quum sit humanæ salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis; necessario consequitur, hujusmodi infideles omni auxilio sufficienti ad salutem esse destitutos. „Quum „vero Apostolus dicit (ita Trident. PP. sess. 6. cap. 8.) jus„tificari hominem per fidem, et gratis; ea verba in eo sensu „intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consen„sus tenuit, et expressit: ut scilicet per fidem ideo justificari

„ dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, „ et radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere „ Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire." Sufficientibus gratiis nobis potentia tribuitur ad id, sine quo et placere Deo, et in consortium filiorum Dei adscribi non possumus: ergo infideles negativi sunt destituti omni sufficienti gratia ad salutem, destituti, inquam, sufficienti gratia ad fidem, indeque destituti initio humanæ salutis, ceterisque omnibus, quæ ad salutem conducunt.

Dices Alexander VIII. die 19. Dec. ann. 1690. proscripsit hanc propositionem num. 3. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino recipiunt a Jesu Christo influxum, adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, et inermem sine omni gratia sufficienti.*

R. nos initio hujus capitis distinxisse inter exteriora, quæ ibi commemoravimus, et inter interiora auxilia sufficientia, istaque diximus communia esse omnibus, prout fides Catholica docet. In citata vero propositione dicitur simpliciter, atque absolute, quod Pagani *nullum omnino* recipiunt a Jesu Christo influxum, propterea que excluduntur etiam ab omni exteriori auxilio sufficienti. Deinde, ut sistamus in Paganis, de quibus modo sermo est, in proscripta propositione non distinguitur inter Paganos negative infideles, et positive infideles, sed Paganis auxilia sufficientia deesse simpliciter pronunciatur. Quamvis autem Paganis negative infidelibus interiora auxilia sufficientia deesse nos tueamur, non tamen Paganis positive infidelibus. Duo igitur errores Jansenii damnantur in proscripta propositione ab Alexandro VIII. prior est jam damnatus in 5. propositione Jansenii videlicet, Christum mortuum non esse pro omnibus: alter vero contentus in 2. propositione Jansenii, hoc est, nullam aliam dari gratiam præter efficacem. Consentanee ad propositionem 5. Jansenii in propositione proscripta ab Alexandro VIII. universe, et generatim dicitur: Paganos, Judæos etc. nullum influxum accipere a Christo, ideoque, prout ex sui natura consequitur, Christum non esse mortuum pro omnibus: consentanee vero ad 2. propositionem Jansenii universe, et generatim dicitur in altera parte propositionis ab Alexandro VIII. proscriptæ, Paganos, Judæos, Hæreticos, et alios hujus generis homines, nullum recipere auxilium sufficiens. Hinc idem Alexander hanc alteram propositionem damnavit num. 6. *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est.* Influxum ergo exterius Pagani, Judæi, Hæretici, et alii omnes hujus conditionis accipiunt a Christo, quatenus etiam pro illis Christus mortuus fuit, et satisfecit pro eorumdem peccatis: interius autem non accipiunt Pagani negative infideles, et non semper Judæi, et hæretici, semel ac sint excæcati, et obdurati.

Ceteris, quæ opponi possunt contra propositionem nostram, ita nunc respondemus cum D. Thoma singulariter loquente de illo auxilio, sine quo homo non potest credere, *Quod auxilium* (sicut ipse inquit 2. 2. quæst. 2. art. 5. ad 1.) *quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur: quibus autem non datur, ex justitia non datur in pœnam præcedentis peccati, et saltem originalis;* quod sane habet locum in pueris, de quibus modo.

Prop. VI. Plures parvuli destituuntur interiori sufficienti gratia ad salutem.

Prob. prop. Plures parvuli, divina providentia ita disponente, omni auxilio, quo baptisma consequi possunt, omnino destituuntur: ergo. Prob. ant. S. Augustini auctoritate non minus quam ipso facto. „Et tamen providentia Dei (inquit S. Doctor in epist. ad Sixtum, alias 105., nunc 194. num. 32.) cui nostri capilli numerati sunt, sine cujus voluntate non cadit passer in terram.... ut renascantur ad hæreditatem cælestem, non consulit omnibus parvulis filiorum suorum, et nonnullis consulit etiam parvulis impiorum. Iste infans de fidelibus conjugatis ortus, lætitia parentum susceptus, matris, vel nutricis somnolentia suffocatus fit extorris, et expers fidei suorum: ille infans de sacrilego stupro nascitur, crudeli timore matris exponitur, alienorum misericordi pietate colligitur, eorum christiana sollicitudine baptizatur, fit æterni consors, et particeps regni." Et sicut superaddit num. 33. „Quorum nec iste sibi nullis propriis meritis malis potuit acquirere violentiam suffocationis, nec bonis ille diligentiam baptizantis." Lib. de *Nat. et Grat.* num. 9. „Ego autem dico parvulum natum in eo loco, ubi ei non potuit per Christi baptisma subvenire, morte præventum, idcirco talem fuisse, id est, sine lavacro regenerationis exiisse, quia esse aliud non potuit... Recte ergo ea damnatione, quæ per universam massam currit, non admittitur in regnum cælorum, quamvis Christianus non solum non fuerit, sed nec esse potuerit." Tandem, ut alia omittamus, lib. de *Dono Persev.* num. 31. „Neque enim fato cogitur Deus illis infantibus subvenire, illis non subvenire, quum sit utrisque causa communis: aut res humanas in parvulis non divina providentia, sed fortuitis agi causis opinabimur, quum rationales vel damnandæ, vel librandæ sint animæ; quandoquidem nec passer cadit in terram sine voluntate Patris nostri, qui in cælis est; aut parentum negligentiæ tribuendum est, quod parvuli sine baptismate moriuntur, ut nihil ibi agant superna judicia; tamquam ipsi, qui hoc modo male moriuntur, parentes sibi negligentes voluntate propria de quibus nascerentur, elegerint: quid dicant, quod parvulus aliquando, antequam illi per ministerium baptizantis succurri possit, expirat?"

Hæc plusquam satis in comprobationem nostræ propositionis.

Objectiones, quæ a nonnullis contra afferuntur, non solum adversus hanc propositionem, sed etiam præcedentes, non est, cur diluamus: sunt enim eæ plerumque petitæ a falsis divinæ gratiæ systematibus, quæ opponuntur notioni divinæ gratiæ nobis traditæ in Sacris litteris, et inculcatæ ab illis potissimum Patribus, qui contra Pelagianos, atque Semipelagianos decertarunt, sicuti usque modo ostendimus, prout ordo doctrinæ postulabat.

Quare nunc unum tantum S. Augustini, divinæ gratiæ Doctoris omnium præstantissimi, locum in medium proferemus, quo paucis contra sentientes omnino refelluntur. „ Conficitur itaque, „ (ita ipse lib. de *Dono persev.* num. 38.) gratiam Dei non se„ cundum merita accipientium dari, sed secundum placitum vo„ luntatis ejus in laudem, et gloriam ipsius gratiæ ejus, ut qui „ gloriatur, nullo modo in se ipso, sed in Domino glorietur: „ qui hominibus dat quibus vult, quoniam misericors est; quod „ si non det, justus est: et non dat quibus non vult, ut no„ tas faciat divitias misericordiæ suæ in vasa misericordiæ. Dan„ do enim quibusdam quod non merentur, profecto gratuitam, „ et per hoc veram suam gratiam esse voluit: non omnibus „ dando quid merentur, ostendit. Bonus in beneficio certorum, „ justus in supplicio ceterorum: et bonus in omnibus, quoniam „ bonum est, quum debitum redditur: et justus in omnibus, „ quoniam justum est, quum indebitum sine cujusquam fraude „ donatur."

LIBER QUARTUS.

De Gratia efficaci, ejusque mira consensione cum arbitrii nostri libertate.

Hujus disputationis initio breviter recensuimus Pelagii, et Semipelagianorum errores de gratia, qui in eo omnes conspirant, ut gratiæ nulla vera efficacia tribuatur, quæ quidem facit, ut faciamus. Molina ex consensu liberi arbitrii metitur efficaciam gratiæ, quum in arbitrii potestate esse positum velit, auxilium gratiæ reddere efficax, aut inefficax, efficax quidem suo assensu, inefficax dissensu (a). Unde moralem motionem tribuit gratiæ, efficacem, et physicam aversatur. Discipuli Molinæ, qui Congruistæ singulariter vocantur, efficaciam gratiæ in quadam

(a) Vid. Anton. Reginaldus in *Brevi Comp.* doct. Mol. §. 18. et seq.

congruitate reponunt, quatenus Deus illis, quos efficaciter, et infallibiliter vult trahere ad se, dat gratiam congruam respectu omnium circumstantiarum, in quibus eosdem esse consensuros, per scientiam mediam prævidit. In hoc systemate Dei bonitati id singulariter datur, ut gratia sit congrua prævisis circumstantiis, indeque gratia congrua dicitur, quæ non efficaciter, et physice, sed moraliter voluntatem movet.

Jansenius totus in eo est, et quidem S. Augustini auctoritate, sicuti sibi fingit, ut ostendat, efficaciam gratiæ reponi debere in cælesti delectatione relative superiori, atque victrici. „Delectatio victrix (inquit lib. 8. de *Grat. Chr.* cap. 2.) quæ „Augustino est efficax adjutorium, relativa est. Tunc enim est „victrix, quando alteram superat. Quod si contingat, alteram „ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet, quod volendum est." Quare duplicem delectationem ipse distinguit: unam terrenam, quæ est a concupiscentia, rebusque creatis cor hominis ad se allicientibus: altera cælestis a Deo, quam tunc esse victricem ponit, quando supra delectationem terrenam habet majores gradus, indeque est, ut delectatio cælestis, quæ est victrix respectu unius habentis minores gradus concupiscentiæ terrenæ, non est victrix respectu alterius habentis majores. Hanc sententiam Jansenii in se spectatam, et nulla habita ratione illorum errorum, quos cum eadem simul ipse conjungit, nos modo refutabimus.

Nunc de vera efficacia gratiæ juxta sententiam S. Augustini, et Angelici Præceptoris. Vocem gratiæ, seu auxilii efficacis a S. Cyrillo Alexandrino lib. de *Adorat. et cultu* traditam habemus, S. Augustini, et ceterorum Patrum, qui contra Pelagianos, et Semipelagianos decertarunt, atque etiam Angelici Præceptoris auctoritate confirmatam, eaque significarunt, quod hac eadem de gratia in Scriptura legimus. Ea vero est apud hos SS. Patres acceptio gratiæ efficacis, ut illa neque a consensu voluntatis, neque a prævisione actuum humanorum aliquo modo pendeat, neque a majoribus gradibus delectationis cælestis supra terrenam, sed in se virtutem, et efficaciam habeat, qua Deus præbet vires efficacissimas voluntati, eamque movet, et applicat, ut sibi excitanti consentiat. Quamvis autem vires efficacissimas voluntati, præbeat; tamen ipsa prius, quam nos, actum nostrum non efficit, sed cum nobis consensum nostrum, cum nobis determinationem ad actum, cum nobis actum ipsum operatur.

Gratia efficax non solum vires efficacissimas voluntati præbet, sed etiam suo lumine dirigit intellectum, quum ipsa agat in homine prædito ratione, quæ sane ob divinam motionem perficitur. Unde sicuti tradit S. Augustinus lib. de *Corrept. et Grat.* num. 3., gratia et monstrat quid faciendum sit, ut illud sciamus,

et præstat, ut faciamus. Tamen tum S. Augustinus, tum alii Patres agentes de efficacia gratiæ, expenderunt potissimum vires, quas voluntas recipit a gratia, qua Deo vocanti voluntas assentitur, se determinat ad opus, atque revera operatur.

Cap. 1. hujus lib. totam de efficacia gratiæ doctrinam pluribus propositionibus explicabimus: quia vero nonnullis, licet omnino immerito, videtur, efficaciam gratiæ cum libero arbitrio simul conciliari non posse, cap. 2. agemus de concordia gratiæ efficacis cum libero arbitrio.

CAPUT PRIMUM.

De efficacia Gratiæ.

Prop. 1. Gratia ex se, atque ex sui natura efficax admittatur, oportet.

Prob. prop. Gratia ex se, atque ex natura sui efficax dicitur, quæ præbet vires efficacissimas voluntati nostræ, atque facit, ut faciamus, sicuti S. Augustinus sæpius tradit: sed hanc gratiam, quæ vires efficacissimas voluntati præbet, atque facit, ut faciamus, distincte singulariterque traditam habemus in Sacris litteris: ergo. Prob. min. *Jer.* 17. 14. dicitur: *Sana me Domine, et sanabor, salvum me fac, et salvus ero. Ezechiel.* 36. 26. et seqq. *Dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri...faciam, ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini.* Apostolus ad *Philip.* 2. 13. *Deus est, qui operatur in nobis velle, et perficere pro bona voluntate. Rom.* 8. 14. *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.* 9. 16. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Joan.* 6. 44. et 45. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.... omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me.* Hæc usque modo ex illis, quæ in hanc rem afferri possunt, quæque S. Augustinus lib. 4. *Cont. duas epist. Pelag.* num. 14. copiose collegit. Modo ita. Salus, et sanitas gratiæ Dei simpliciter tribuitur, sicut etiam spiritus novus, et cor novum, quo ambulemus in præceptis Dei, ejusque judicia custodiamus, et operemur: item ut velimus bonum, atque perficiamus, gratia Dei facit, indeque qui aguntur Spiritu Dei, sunt filii ejus: est enim Dei miserentis quod bonum facimus, non nostri, qui volumus, et currimus: item qui est aversus a Deo, non vadit ad illum, nisi ab eodem prius trahatur, audiat, atque discat. His autem positis tam constat, quam quod maxime, nos habere in Sacris litteris eam gratiam distincte, singulariter-

que traditam, quæ nostræ voluntati præbet vires efficacissimas, quæque facit, ut faciamus.

Hoc vero est, quod SS. Patres inculcarunt contra Pelagianos. De Augustino videamus. Lib. de *Corrept. et Grat.* num. 43. inquit: „ Cui volenti salvum facere, nullum hominis resistit ar„ bitrium: sic enim velle, aut nolle in volentis, aut nolentis „ est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec supe„ ret potestatem." Antea vero dixerat num. 41. gratia non tolli voluntatem humanam, sed ex mala mutari in bonam. Lib. 2. *Cont. duas epist. Pelag.* num. 17. advertit, Christum *Joannis* 6. v. 44. non dixisse: nemo potest venire ad me, nisi Pater meus duxerit eum, sed *traxerit* eum: „ Et tamen (inquit) nemo venit, ni„ si velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui no„ vit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, „ quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex no„ lentibus fiant." Lib. de *Gestis Pelagii* num. 5. „ Procul du„ bio plus est agi, quam regi: qui enim regitur, aliquid agit, et „ a Deo regitur, ut recte agat: qui autem agitur, aliquid vix „ ipse agere intelligitur: et tamen tantum præstat voluntatibus nos„ tris gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere: *quot„ quot spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei.*" Usque modo, ut alia prope infinita omittamus, de sententia Augustini, quam tuetur Angelicus 1. part. quæst. 19. art. 3. ad 5., et art. 8., 1. 2. quæst. 110. art. 2., quæst. 101. art. 3., quæst. 112. art. 2., et „ 3., quæst. 113. art. 3., atque etiam sæpe in aliis suis operibus.

Dices. *Isaiæ* 5. 4. inquit Dominus: *Quid ultra debui facere vineæ meæ, et non feci? expectavi, ut faceret uvas, et fecit labruscas. Matt.* 11. 21. inquit Christus: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, et Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, et cinere pœnitentiam egissent.* Ex quibus ita: gratia efficaci semel posita, non expectatur, ut fiant bona opera, quia ut fiant, ipsa gratia facit: sed licet Deus Hebræis ad resipiscentiam illorum tanta contulerit, ut nihil ultra facere debuisse ipse dixerit; tamen expectavit ab eis, ut facerent opera salutis: ergo quum gratia efficax habeat præcipuum locum inter ea, quæ ad opera salutaria facienda conducunt, ex hac increpatione Dei colligitur, gratiam ex se efficacem non esse, idemque etiam constat ex increpatione facta a Christo Corozaitis, atque Bethsaiditis.

R. Deum, sicut in citatum locum Isaiæ advertit S. Thomas, commemoratis multis beneficiis, quæ tribuerat Judæis, sub nomine vineæ designatis, iisdem objecisse nequitiam illorum, quum dixit: *expectavi, et faceret uvas*, id est, *fructum bonorum operum*, sicut inquit Angelicus, *et fecit labruscas*, scilicet, uti prosequitur Angelicus, „ Uvas sylvestres ab hoc dictas, quia in „ labiis viarum nascuntur, scilicet, sæpibus, in quo amaritudo

„ vitiorum notatur. Quare dixit Deus: *expectavi, ut faceret uvas,* „ non quasi ipse ab æterno non novisset obdurationem Judæo- „ rum in malo, sed ipsius judicii, quod tunc fecit de illis, ha- „ bita ratione. In judicio enim ob oculos rei admissa ab ipso „ crimina proponuntur, deinde contra eumdem sententia fertur. „ Hoc utrumque Deus fecit cum Judæis: primo exprobravit ope- „ ra, quæ fecerant, licet etiam propter accepta singularia be- „ neficia longe aliter agere debuissent, atque productio uvæ, non „ autem labruscæ expectanda, deinde contra eos sententiam pro- „ tulit." Unde quum in judicio, quod egerit contra ac quævis accepta ab eo beneficia postulabant, alicui recte objiciatur; licet Judæi ad faciendi opera salutis gratiam efficacem non accepissent, sed sufficientem, qua illa poterant facere, sicut ex citatis scripturæ locis manifestum est, (lib. super. cap. 1. prop. 1. et seqq.) merito Deus illis exprobravit, se expectasse, ut salutis opera facerent. Eo vel maxime, quia licet sine auxilio Dei quis bene uti non possit gratia sufficienti; tamen potest ex se impedire effectum, ad quem gratia sufficiens remote, et ex antecedenti voluntate Dei ordinabatur, (super. lib. cap. 1. prop. 1.) Est illud quoque superaddendum, non provenire ex defectu ipsius auxilii sufficientis, sed ex defectu hominis, ut non omnis, qui habet auxilium sufficiens, etiam efficax consequatur, (super. lib. cap. 3.):

R. ad alterum, a Christo increpari Corozaitas, et Bethsaiditas uti obstinatiores in malo præ Tyriis, et Sidoniis. Quamvis enim tam illi, quam isti neque consequi auxilium gratiæ, neque ad illud recipiendum se præparare potuerint sua virtute, potuerunt tamen magis minusve impedire, ne sibi donaretur a Deo juxta illud *Oseæ* 13. 9. *perditio tua, Israel, tantummodo ex me auxilium tuum.* Hinc S. Augustinus lib. 2. de *Dono persev.* num. 35. *Ubi,* inquit (id est, in massa perditionis) *Tirii relicti sunt, et Sidonii, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent. Sed quoniam ut crederent, non erat eis datum, etiam unde crederent, est negatum.*

Prop. II. Gratia Dei ab omnipotentia ejus, et supremo dominio supra voluntates hominum suam efficaciam habet.

Prob. prop. *Ezechiel.* 36. 27. hæc leguntur: *Faciam; ut in præceptis meis ambuletis, et judicia mea custodiatis, et operemini. Joan.* 6. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Sicuti explicat S. Augustinus lib. 1. *Cont. duas epist. Pelag.* num. 37. *Non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant. Roman.* 8. 26. Spiritus Sanctus dicitur interpellare pro nobis gemitibus inenarrabilibus, *Matt.* 10. 20. loqui in sanctis viris. Profecto Spiritus non pro se interpellat, sed nos interpellantes facit, sicut etiam facit loquentes sanctos viros, quando in eis

dicitur loqui. Nam uti habet S. Augustinus epist. alias 105., modo 194. num. 16. *Neque enim et hoc ita fit de nobis, tamquam nihil facientibus nobis. Adjutorium igitur Spiritus Sancti expressum est, ut ipse facere diceretur, quod ut faciamus, facit.* Quia vero hoc, quod nunc volumus, ea quoque loca Scripturæ inculcant, quæ in præced. prop. in medium protulimus, non est, cur nunc alia superaddamus. Ita nunc: quia divinæ omnipotentiæ voluntates hominum omnino subjiciuntur, inde Deus agit in illas, easdemque vertit quocumque voluerit: at mutatio, voluntatis in bonum fit gratia Dei: ergo gratia Dei ab omnipotentia ejus, et supremo dominio supra voluntates hominum suam efficaciam habet.

Hoc vero est, de quo constat etiam ex traditione. Innocentius I. in epist. ad Concilium Carthaginense (a) contra hostes divinæ gratiæ affirmat, nihil tam *mortiferum* esse, quam ut, Aue„ toris nostri obliti, ejus potentiam, ut nos ostendamus liberos, „ abjuremus." Cælestinus ad Episcopos Galliæ (b) dicit, ita Deum operari in cordibus, atque in ipso libero arbitrio hominum, *ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit.* S. Augustinus de *Grat. Chr.* num. 25. „ Le„ gant ergo, et intelligant, intueantur, atque fateantur, non lege, „ atque doctrina insonante forinsecus, sed interna, et occulta, „ mirabili, atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus „ hominum non solum veras revelationes, sed bonas etiam volun„ tates." Lib. 1. *Cont. duas epist. Pelag.* num. 36. „ Non enim „ est homo bonus, si nolit, sed gratia Dei etiam ad hoc ad„ juvatur, ut velit: quoniam non inaniter scriptum est: Deus „ est enim, qui operatur in nobis et velle, et operari pro bona „ voluntate." Lib. 4. num. 26. „ Quid ergo petimus, nisi ut fiant „ ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex op„ pugnantibus amantes? a quo? nisi ab illo, de quo scriptum „ est: præparatur voluntas a Domino." Tandem lib. de *Corrept. et Grat.* num. 43. „ Cui volenti salvum facere nullum hominum „ resistit arbitrium. Sic enim, velle, aut nolle in volentis, aut „ nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec „ superet potestatem."

Dices. Gratiam habere suam efficaciam ab omnipotentia Dei, Ecclesia jam proscripsit 11. 21. usque ad 25. inclusive propositionibus Quesnellii, in quibus omnipotentiam Dei in gratia operantem ipse ponit: ergo.

R. Quesnellium in prop. 11. statuere, gratiam esse manum omnipotentis Dei jubentis, et facientis quòd jubet: in 21. comparare operationem gratiæ cum operatione Dei incarnantis, et resuscitantis filium suum: in 22. cum operatione incarnationis: in

(a) Inter Augustin. modo epist. 181. num. 5.
(b) Apud Coustantium epist. 21. num. 10.

23. cum operatione, qua Deus creata produxit ex nihilo, et vitam mortuis restituit: in 24. eamdem esse ideam Dei sanantis corpora, et sanantis animas: in 25. hoc idem confirmare. In his autem propositionibus, ut ceteros nunc errores in iisdem contentos omittam, excluditur activa cooperatio liberi arbitrii quoad illa, quæ sua omnipotentia Deus per gratiam operatur in nobis. In 11. simpliciter dicitur, Deum in nobis facere, quod jubet, nulla arbitrii cooperantis mentione facta: in 21. et sequentibus, si comparationum a Quesnellio institutarum ratio habeatur, constituitur, liberum arbitrium sub gratia omnipotentis Dei mere passive se habere. Nam humanitas Christi evecta ad unionem hypostaticam, et resuscitata a morte, mere passive sese habuit, sicut etiam creata mere passive sese habuerunt in sui productione ex nihilo, itemque mortua corpora, quando resuscitata, aut infirma, sanata fuerunt. Quare dum Quesnellius comparat actionem Dei sanantis animam cum actione Dei sanantis corpora, vult illam sanationem, sicuti istam, fieri passive. Hanc sane gratiam, quæ proficiscitur ab omnipotentia Dei, atque facit, ut voluntas recipiendo illam mere passive sese habeat, semper Ecclesia reprobavit, atque in Quesnellio proscripsit, et quidem non quia proficiscitur ab omnipotentia Dei, sed solummodo quia per eam tollitur libertas arbitrii. At vero gratiam, quæ est ab omnipotentia Dei, quæque facit, ut faciamus, atque liberum arbitrium non lædit, sed perficit, sicuti in sequenti capite mox ostensuri sumus, in Augustino, ejusque discipulis Ecclesia semper probavit. Legimus quidem tum in Scriptura, tum in SS. Patribus comparationem inter prædicta; verum in eo tantum, ut sicut nihil præcedit rem creatam, nihil vitæ reperitur in mortuo, nullum meritum præcessit in humanitate, propter quod assumeretur ad unionem hypostaticam; ita nihil meriti in homine præcedit ipsam gratiam.

Prop. III. Deus efficacia suæ gratiæ physice movet nostram voluntatem ad bonum supernaturale.

Prob. prop. „Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, at„que nobiscum, ut operemur, operatur." Ita Arausicanum II. Concilium can. 2. Et can. 6. definitur, gratia Dei fieri, ut credamus, et velimus. Profecto causa, quæ facit, ut operemur, ut credamus, et ut velimus, facit ex non operantibus operantes, ex non credentibus credentes, ex non volentibus volentes: ergo physice agit, quum in interiori statu animæ, et potentiarum ejus physicam mutationem inducat: sed gratia efficax facit credentes ex non credentibus, volentes ex non volentibus, operantes ex non operantibus: ergo.

Unde S. Augustinus lib. de *Grat. et lib. arb.* num. 32. ait: *Certum est nos facere, quum facimus, sed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit: faciam, ut in justificationibus meis ambuletis.* Et lib. 1. *Cont.*

duas epist. Pelag. num. 37. *Trahitur miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant.* S. Thomas lect 5. in cap. 6. *Joan.* explicans illa verba: *nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum*, ait: „Trahit multos Pater ad Filium per ins-„tinctum divinæ operationis moventis interius cor hominis ad „credendum." *Philip.* 2. *v.* 13. *Deus est, qui operatur in nobis velle, et perficere.* Hanc vero trahendi rationem S. Doctor distinguit ab ea, quæ fit suasione, aut interiori revelatione. Et 1. 2. quæst. 111. artic. 2. ad 2. ait, quod Deus „Non sine „nobis non justificat, quia per motum liberi arbitrii, dum jus-„tificamur, Dei justitiæ consentimus: ille tamen motus non est „causa gratiæ, sed effectus: unde tota operatio pertinet ad gra-„tiam." Ut ergo nunc alia multa omittamus, quæ ad rem nostram facerent, sicuti revera etiam illa multa faciunt, quæ in præcedentibus propositionibus in medium protulimus, ita ultimo colligimus: gratia, quæ dicitur efficax, et revera est, prædeterminat voluntatem: sed hæc prædeterminatio sine motione physica agente in voluntatem dari non potest: et ostendo: voluntas in eam physicam actionem prorumpit, quæ erat supra vires illius, quæque in alium statum ipsam transfert: ergo oportet, ut gratia efficax prædeterminans ipsam physice afficiat, physice faciat, ut agat, physicam virtutem conferat ad agendum, quod est supra virtutem illius, in altero physico statu ponat, ac antea erat, habita ratione conjunctionis cum Deo. Hinc S. Augustinus lib. de *Grat. Chr.* num. 49. *Et ideo quod ibi scriptum est: respexit eum* (Petrum) *Dominus: intus actum est, in mente actum est, in voluntate actum est.*

Prop. IV. Deus sua gratia efficaci ita movet liberum arbitrium, ut ipsum infallibiliter Deo moventi cooperetur.

Prob. prop. Inquit Christus *Joan.* 6. 45. *Omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me.* Omnem, excepto nemine, qui audivit a Patre, et didicit, ad se venire, Christus hoc in loco absolute pronuntiat. Postulat autem veritas hujusmodi assertionis, ut omnis, qui audivit a Patre, et didicit, infallibiliter vadat ad Christum. „Non est autem consequens, (inquit S. „Augustinus de *Grat. Chr.* num. 15.) ut qui potest venire, etiam „veniat, nisi id voluerit, atque fecerit: sed omnis, qui didicit „a Patre, non solum potest venire, sed etiam venit: ubi et „possibilitatis profectus, et voluntatis affectus, et actionis effec-„tus est." Et de *Correpț. et grat.* num. 38. „Subventum est „infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, „et insuperabiliter ageretur, et ideo quamvis infirma, non ta-„men deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur." Rationem hujus rei affert S. Doctor in eodem libro num. 45. „Non est

„ itaque dubitandum (inquit) voluntati Dei, qui in cælo, et in „ terra omnia, quæcumque voluit, fecit, humanas voluntates „ non posse resistere, quo minus faciat ipse, quod vult. Quan„ doquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult quum „ vult, facit... habens humanorum cordium, quo placeret, in„ clinandorum omnipotentissimam potestatem." S. Thomas 1. 2. quæst. 112. art. 3. „ Nam intentio Dei (inquit) deficere non po„ test: unde si ex intentione Dei moventis est, quod homo cu„ jus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter consequitur „ secundum illud *Joan.* 6. 45. *omnis, qui audivit a Patre, et didicit, venit ad me.* His omnibus in confirmationem nostræ propositionis illud superaddi potest, gratiam ex se, atque ex sui natura efficacem esse, habere suam efficaciam ab omnipotentia Dei, ejusque dominio supra voluntates hominum, quas ad supernaturale bonum physice movet, sicuti in superioribus propositionibus jam ostendimus.

Qua ratione humana libertas ab hac infallibilitate, de qua usque modo egimus, nullum detrimentum patiatur, immo vero perficiatur, in seq. cap. explicabimus.

Prop. V. Gratia efficax quoad suam efficaciam non pendet a prævio consensu voluntatis humanæ.

Prob. prop. Ut ea nunc urgere omittamus, quæ pro intrinseca efficacia gratiæ, et effectibus respondentibus hujusmodi efficaciæ jam disseruimus, hac argumentatione rem nostram conficimus: non posse hominem in his, quæ ad salutem spectant, discernere se ipsum ab alio: gloriari non debere nisi in Domino: nihil habere, quod non acceperit per gratiam Jesu Christi, tradit Apostolus I. *Corint.* 4. 6. et seq. inquiens: *Ne supra quod scriptum est, unus contra alterum infletur præ alio. Quis enim te discernit? quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Et ad *Ephes.* 2. 9. *Non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Quare si gratia spectata in se est versatilis, atque subjecta consensui hominis, ideoque ob consensum illius efficax evadit, inefficax ob dissensum: procul dubio qui consentit, habet in his, quæ spectant ad salutem, unde glorietur supra non consentientem, unde supra alterum se discernat, unde jactet se non accepisse, quod revera accepit, unde glorietur de operibus. Nam a gratia Dei quidquid prævium habetur est versatile, atque dependens a consensu hominis, quod est concomitans, sicuti revera est concursus simultaneus Dei, est versatile juxta Molinistas, tum ipsius actionis, tum speciei illius habita ratione (a): quod consequitur ad concursum, est versatile respectu auxilii divini; hoc est, si attendatur ad auxilium

(a) Vid. Lemosius tom. I. *Panopl.* tract. 2. cap. 4.

divinum, actio tam mala, quam bona esse potest. Uno verbo: omnia versatilia: versatile auxilium Dei præveniens; versatile auxilium Dei concomitans; versatile utrumque auxilium respectu actionis, quæ consequitur; versatilis actio ipsa, hoc est, tam bona, quam mala respectu auxilii divini. Si, inquiebat Augustinus lib. 1. *Op. Imperf.* cap. 95. „Per nostræ voluntatis arbitrium „diligamus, quod esse diligendum, Deo docente, (dicere hic „possumus, Deo suadente, non autem movente) cognoscimus, „quomodo res minor ex Deo est, et major ex nobis?" Lib. de *Nat. et Grat. Operamur et nos: sed illo operante cooperamur, quia misericordia ejus prævenit nos.* Cit. lib. *Op. Imperf.* cap. 134. addit: *Ut enim faciat homo, Deus facit, quia ut diligat homo, Deus prior diligit.*

Tandem, ut alia multa omittamus, semel ac ponatur, gratiam esse efficacem ex effectu, hoc est, ex consensu voluntatis humanæ, Apostolum *Roman.* 9. 16. falso dixisse consequitur, non esse volentis, neque currentis, sed miserentis Dei: tunc enim Dei miserentis tantum esset auxilium versatile tam præveniens, quam concomittans; humanæ autem voluntatis suo consensu utrique efficaciam tribuere, eique præstare, ut produceret opera salutis: ergo licet aliquis divinæ misericordiæ locus remaneret, quatenus auxilium versatile esset ab ea; tamen effectus volenti, et currenti tribuendus esset, quia volens, et currens facit, ut quod in se versatile erat, evadat efficax, atque salutis opera producat. Quapropter „Certum est (sicuti habet S. „Augustinus de *Grat. et lib. arb.* num. 32.) nos velle, quum „volumus, sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum „est, quod paulo ante posui: præparatur voluntas a Domino, „de quo dictum est: a Domino gressus hominis dirigentur, et „viam ejus volet, de quo dictum est: Deus operatur in nobis „et velle." Hæc eadem repetit S. Doctor lib. de *Corrept. et Gr.* num. 30., atque multis aliis in locis. Igitur tam certum est, quam quod maxime, gratiam quoad efficaciam sui non pendere a consensu humanæ voluntatis.

Dices. *Apocalyp.* 3. 20. hæc leguntur: *Ecce sto ad ostium, et pulso: si quis audierit vocem meam, et aperuerit januam, intrabo ad eum. Isaiæ* 30. 18. dicitur: *Expectat Deus, ut misereatur vestri:* Hæc autem duo, sicut alia ejusdem generis, quæ occurrunt in Sacris litteris, ostendunt, Deum expectare a nobis, ut ipsi pulsanti aperiamus, et motionem illius reddamus efficacem.

Hinc S. Ambrosius in psal. 118. explicans illa verba: *prævenerunt oculi mei ad te diluculo* serm. 39. num. 30. ait: „Vult „se præveniri sol justitiæ, et ut præveniatur, expectat: audi „quemadmodum expectat, et cupiat præveniri: dicit Angelo

„ Pergami Ecclesiæ.... (a) *age pœnitentiam : ceterum veniam*
„ *tibi cito* : dicit Angelo Ecclesiæ Laodicææ (b): æmulare ergo,
„ et pœnitentiam age : *ecce sto ad ostium , et pulso : si quis*
„ *audierit vocem meam, et aperuerit januam , intrabo ad eum.*
„ Poterat intrare... sed studia devotionis tuæ desiderat experiri."

Idem confirmat S. Augustinus lib. 83. QQ. quæst. 68. num. 5. inquiens: *Parum est enim velle , nisi Deus misereatur: sed Deus non miseretur , qui ad pacem vocat , nisi voluntas præcesserit.*

R. etiam Julianum in medium protulisse illa Evangelii: Math. 7. v. 7. *petite, et accipietis: quærite , et invenietis: pulsate , et aperietur vobis* , ut ostenderet aliqua expectari ab humana voluntate. Cui ita S. Augustinus lib. 4. contra eumdem num. 41. „ Ibi enim vos , ut video , ponere jam cœpistis merita gratiam „ præcedentia , quod est quærere, petere, pulsare , ut his me- „ ritis debita illa reddatur , ac sic gratia inaniter nuncupetur: „ tamquam gratia nulla præcesserit, et cor tetigerit , ut beatifi- „ cum bonum peteretur a Deo , ut quæreretur Deus , ut pul- „ saretur ad Deum , frustraque sit scriptum : misericordia ejus „ præveniet me." Sua itaque gratia, quam tamen nos pulsantem non fecimus, Deus stat ad ostium cordis nostri, et pulsat. Quid inde? si illius motum interiorem sequamur , veniet ad nos; hoc est , si iis gratiis , quibus non solum resisti potest, sed etiam quandoque resistitur , quibusque , uti ad ultimum finem , ad amicitiam Dei ex illius antecedenti voluntate remote ordinamur, sicut jam explicavimus , si iis , inquam, gratiis non resistamus; tunc ipse Deus , non expectato nostro consensu, sicuti etiam verba scripturæ præseferunt, intrat ad nos. Quare sicuti gratia præcedens secundum Augustinum facit , ut petamus , quæramus , et pulsemus ; ita etiam facit , ut Deo pulsanti aperiamus. Quamvis autem non nostra virtute , sed divina, sufficientis interioris gratiæ motum sequamur ; tamen si ei resistamus , nostra propria malitia resistimus , atque secundum hanc rationem Deus expectare dicitur , ut illi aperiamus. Unus autem, idemque est sensus verborum Apocalypsis, et Isaiæ.

Est idem quoque sensus S. Ambrosii explicantis prædicta verba Davidis, quibus nos excitari dicit ad surgendum mane, ut devotas preces Deo offeramus. Unde num. 30. ait: *Si hunc solem* (scilicet Christum) *præveneris , antequam iste* (hoc est, sol materialis) *oriatur; aspicies Christum illuminantem.* Ne autem quispiam putaret, non dicam , se sua virtute mane surgere ad fundendas preces, sed ad hoc vocatum a Deo ob suum

(a) Apocalyp. 2. 16.
(b) Ibid. 3. 19. et 20.

consensum vocationi Dei fundere preces, statim superaddit: „Ipse prius in tui cordis illucescit arcano: ipse tibi dicenti: *de nocte vigilat ad te spiritus meus*, (*Isaiæ* 26. 9.) matutinum lumen temporibus faciet splendere nocturnis, si meditaris verba Dei. Dum enim meditaris, lux est." Ipse, inquam, prius illucescit, ipse prius matutinum lumen temporibus facit splendere nocturnis, indeque de nocte spiritus Dei ad nos vigilat, suaque luce nos prævenit in meditatione nostra. Quare hoc unum vult S. Ambrosius, quando dicit, quod Deus vult præveniri, atque experiri studia nostræ devotionis, hoc est, ut vocationi illius obtemperemus, antequam illucescat in arcano nostri cordis. Nam licet non nostra, sed divina virtute Deo vocanti obtemperemus; tamen si resistimus, malitia nostra resistimus, sicuti supra animadvertimus.

S. Augustinus post citata verba statim aperit, quo sensu dixerit: Deum non misereri, nisi voluntas præcedat: *Quia* (inquit) *pax hominibus bonæ voluntatis*. Deinde vero ita prosequitur: „Et quoniam nec velle quispiam potest nisi admonitus, et vocatus, sive intrinsecus, ubi nullus hominum videt, sive extrinsecus per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia, efficitur, ut etiam ipsum velle Deus operetur in nobis."

Prop. VI. Gratia est efficax independenter a prævisione futuri consensus humani in quibusdam circumstantiis.

Prob. prop. Efficacia gratiæ in systemate Congruistarum in eo posita est, ut Deus homini largiatur gratiam in iis circumstantiis, in quibus eum consensurum per scientiam mediam prævidit, ita ut si daret gratiam in aliis circumstantiis, in quibus hominem non consensurum per scientiam mediam prævidisset, gratia nullum effectum haberet: igitur prævisus consensus hominis est sane ille, a quo gratia suam efficaciam habet. Quapropter licet in systemate Congruistarum bonitas, et etiam misericordia Dei in eo singulariter eluceat, ut Deus largiatur gratiam, habito respectu ad prævisionem futuri consensus: tamen semper consensus et prout prævisus a Deo, et prout suo tempore cum gratia conjunctus, eamdem efficacem facit. Igitur hoc etiam in systemate unus se discernit ab altero in iis, quæ ad salutem spectant: homo de se gloriari potest, et non in Domino: habet aliquid, quod per gratiam Jesu Christi non accepit. Item erit sane volentis, et currentis, non vero miserentis Dei, quatenus fieret opus salutis ob gratiam, quæ et secundum præscientiam divinam, et secundum effectum, quem ipsa produceret, suam a consensu hominis efficaciam haberet. Rursus: non iret ad Christum ille, qui trahitur a Patre, sed qui accepit gratiam versatilem in iis circumstantiis, in quibus Deus eum consensurum esse prævidit, et revera suo tempore ipse consen-

tit. Auctoritas igitur S. Scripturæ non minus contra Molinam facit, quam contra Congruistas, idemque dicendum est de auctoritate SS. Patrum.

Verum nunc ipsum systema introspiciamus, ut ulterius constet, illud gratiæ Dei quam maxime opponi. Congruitas gratiæ in eo posita est, ut Deus gratiam largiatur in iis circumstantiis, in quibus per scientiam mediam prævidit, voluntatem consensuram gratiæ, habita ratione illarum dispositionum, in quibus hoc, aut illo determinato tempore erit. Hic primum quærimus, utrum hujusmodi dispositiones sint ordinis supernaturalis, an vero naturalis: si prius; inaniter confingitur, illas Deum per scientiam mediam in homine prospicere, semel ac non sine gravissimo errore contendatur, hominem in se habere posse ex se ipso supernaturales dispositiones: si alterum; ergo dispositiones naturalis ordinis faciunt, ut gratia sit congrua, indeque habeat suum effectum: ergo habendæ erunt saltem ut comprincipium operum salutarium. Nam congruitas est a dispositionibus prævisis: gratia quatenus congrua principium est operis salutaris: ergo gratia et prout est a Deo, et prout est congrua ob prævisas dispositiones, producit opera salutis: ergo congruitas habenda erit uti comprincipium salutaris operis. At inquit S. Augustinus lib. de *Grat. et lib. arb.* num. 32., *Certum est enim nos mandata servare, si volumus, sed quia præparatur voluntas a Domino, ab illo petendum est, ut tantum velimus, quantum sufficit, ut volendo faciamus.*

Deinde in hoc systemate quod est a Deo largiente, infirmum esset, quod vero habetur ex parte hominis, esset firmum, atque efficax in ipso opere salutis: nam gratia est a Deo: hæc autem, utpote versatilis in se, congrua evaderet, quatenus est attemperata prævisis dispositionibus: ipsa igitur gratia, quæ est a Deo, spectata in se nullam singularem congruitatem habet ad hoc, vel illud salutare opus; acquirit autem hujusmodi congruitatem a dispositionibus prævisis: sed gratia congrua magis conducit ad opus salutis, quam non congrua: ergo quum congruitas sit a prævisis disipositionibus, inde certo consequitur, in hoc systemate, quod est a Deo, esse infirmum, quod autem a dispositionibus prævisis, firmum, atque efficax in ipso opere salutis. Hoc quam repugnet, nemo non videt. Quare S. Augustinus lib. de *Grat. Christ.* num. 49. explicans illa verba (a): *respexit eum Dominus*, ait. „Intus actum est, in mente actum est, in voluntate actum est: misericordia Dominus latenter subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiori gratia sua visitavit Petrum, interioris hominis usque ad exteriores lachrymas movit, et produxit affectum. Ecce quomodo Deus adjuvando

(a) Luc. 22. v. 61.

„ adest voluntatibus, et actionibus nostris. Ecce quomodo velle, „ et operari operatur in nobis."

Dices. S. Augustinus lib. 1. ad *Simplicianum* quæst. 2. num. 13. ait: „ Verum est ergo: multi vocati, pauci vero electi. Il- „ li enim electi, qui congruenter vocati: illi autem, qui non con- „ gruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia „ non sequuti, quamvis vocati. Itaque verum est, *non volen- „ tis, neque currentis, sed miserentis est Dei:* quia etiamsi „ multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quo- „ modo eis vocari aptum est, ut sequantur. Falsum est autem, „ si quis dicit: igitur non miserentis est Dei, sed volentis, at- „ que currentis est hominis: quia nullius Deus frustra misere- „ tur, cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei „ congruere, ut vocantem non respuat." Hæc sunt præcipua, quæ Congruistæ in medium proferunt, iisque ostendi contendunt, efficaciam gratiæ consistere in ea congruitate, quam ipsi tuentur.

R., plura adverti debere, ut constet de vero sensu verborum S. Augustini. Quamvis igitur modus explicandi, quo S. Doctor utitur in hac quæstione, nonnihil differat ab illo, quem adhibuit in aliis locis agens de efficacia gratiæ: licet in hac quæstione sæpius disputet in utramque partem, atque varietate interrogationum involutum relinquere videatur, quod explicandum sibi proposuerat; tamen quæ in eadem quæstione tradit, iis omnibus quoad substantiam conformia esse contendo, quæ docuit in aliis libris contra Pelagianos, licet in istis majori perspicuitate, quam in quæstione ad Simplicianum, efficaciam gratiæ tradiderit, atque propugnaverit.

Quum igitur in libris, quos ante sui Episcopatum conscripserat, versatus in eo errore fuisset, in quem postea Massilienses inciderunt; *Quia* (sicuti ipse inquit lib. de *Prædest SS.* num. 8.) *non sicut legere libros meos; ita in eis curaverunt proficere mecum*, videlicet, initium fidei esse a Deo, non a nobis, atque Apostoli verbis I. *Corint.* 4. 7. maturius expensis, *Deus illi revelasset* (ita ipse cit. loco) quænam esset doctrina catholica de initio salutis, et fidei; mirandum non est, si in libris ad Simplicianum, in quibus omnium primis factus Episcopus illum errorem retractavit atque refutavit, vel prorsus non introspexerit veritatem, aut saltem non dilucide explicaverit. Quod tamen spectat ad præcipuum caput, videlicet, initium salutis, et fidei in Deum esse referendum, in 2. quæstione ad Simplicianum aperte docuisse, ipse S. Doctor testatur lib. de *Prædest. SS.* num. 8., et de *Dono persev.* num. 55.

Nunc videamus, utrum revera S. Augustinus etiam in hac 2. quæstione ad Simplicianum efficaciam gratiæ propugnaverit, non secus ac in aliis libris contra Pelagianos, licet non eadem ratione loquendi, ac in istis, quandoque usus fuerit, et ad quamdam

congruitatem recurrerit, illorum habita ratione, quibus infunditur gratia. S. Doctor in principio hujus quæstionis initium fidei esse a Deo, defendit, atque propugnat. In hanc rem num. 3. urget illud Apostoli *Rom.* 9. 11. et seqq. *Quum enim nondum nati essent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori.* Ex quibus S. Augustinus ita colligit: *Vocantis ergo gratia, percipientis vero gratiam sunt opera bona, non quæ gratiam pariant, sed quæ gratia pariantur.* S. Doctor neque a dispositione operantis, neque ab ipsis operibus hic quoque, sicuti in suis libris contra Pelagianos, efficaciam gratiæ repetit: a gratia autem ipsa opera unice, et singillatim repetit.

Num. 8. Quærit S. Doctor, „Quibus malis suis (Esau) hoc „meruit, quum et ipse nondum natus fuisset, neque aliquid egis„set boni, aut mali, quando dictum est: et major serviet mi„nori.". Ita vero respondet: „An forte quemadmodum illud de „Jacob nullis meritis bonæ actionis dictum est; ita Esau nul„lis meritis malæ actionis odiosus? Si enim quia præsciebat Deus „futura ejus opera mala, propterea eum prædestinavit, ut ser„viret minori; propterea prædestinavit et Jacob, ut ei major ser„viret, quia futura ejus bona opera præsciebat, et falsum est „jam: *non ex operibus*.... Ut autem odisset Esau nisi injustitiæ „merito, injustum est. Quod si concedimus, incipit et Jacob „justitiæ merito diligi. Quod si verum est, falsum est, quod non „ex operibus." Profecto in systemate Congruistarum voluntas bona ob naturales dispositiones gratiæ consensura prævidetur, ideoque et consensus illius in gratiam prævidetur, qui est sane opus bonum: at S. Augustinus insistens auctoritati Apostoli affirmat, Jacob non proter prævisa bona opera, ideoque neque propter prævisum consensum illius Deo vocanti prædestinatum ad imperium, Esau autem ad servitutem non propter prævissa mala opera, ideoque neque propter prævisum dissensum illius a Deo vocante, quia alioquin Jacob merito justitiæ præelectus fuisset, Esau merito injustitiæ reprobatus: ergo hoc quoque in loco S. Augustinus systemati Congruistarum omnino adversatur.

Num. 11. Versat eamdem quæstionem, et illi eadem, qua supra, ratione respondet, atque ultimo ita simpliciter statuit: *At enim quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio voluntatem, propterea vocanti Deo recte tribuitur, quod bene volumus, nobis vero tribui non potest, quod vocamur.* Voluntas, quæ est ita disposita, ut vocationi respondeat, est sane voluntas bona: sed vult Augustinus, quod voluntas bona non præcedat vocationem, sed vocatio voluntatem bonam, propterea quod bene velimus, Deo vocanti recte tribuitur: ergo excludit Augustinus a voluntate quamvis bonitatem, quæ sit in illa ob quasvis

dispositiones antecedenter ad vocationem : ergo excludit etiam prævisionem Dei, qua ipse videat voluntatem ob sui dispositionem esse vocationi consensuram.

Tandem num. 13. ita habet S. Augustinus : *Sed si vocatio ista ita est effectrix bonæ voluntatis, ut omnis eam vocatus sequatur, quomodo verum erit, multi vocati, pauci electi?* His autem verbis S. Doctor, semel posito, quod ipse supra uti certum constituerat, hoc est, voluntatem fieri bonam ipsa vocatione, illud explicandum aggreditur, qua ratione dicatur, multos esse vocatos, paucos electos. Si præsupponatur, ait, obtemperare vocationi esse in potestate vocati, inde consequitur, quod *recte etiam dici potest: igitur non miserentis Dei, sed volentis, et currentis est hominis.*

Si ponatur, prosequitur S. Doctor, alios consentire vocationi, quia vocati sunt, *prout aptum erat eis*, et ideo eos non solum vocatos, sed etiam electos, alios autem non consentire, quia ita vocati sunt, ut *nec vocationem capere apti essent*, et ideo illos vocatos, non vero electos, idem, quod supra, absurdum consequi statuit, dicens : „ Et non jam similiter verum „ est : igitur non miserentis Dei, sed volentis, atque currentis „ est hominis: quoniam non potest effectus misericordiæ Dei esse in „ hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit."

Hisce omnibus præhabitis, ea habet S. Doctor, quæ in objectione contra opponuntur. Verum ex his, quæ antea aperte docuit, sicuti usque modo vidimus, dicendum est, ne sanctum Doctorem sibi contradicentem faciamus, nomine congruitatis ipsum intellexisse eam gratiæ efficaciam, quæ quæcumque merita præcedentia, quascumque præcedentes dispositiones humanas excludit in illo, qui divina gratia vocatur.

Hinc S. Doctor seq. num. 14. in medium prolatis multis exemplis illorum, qui vocationi divinæ consenserunt, vel non consenserunt, superaddit. *Quis audeat dicere, defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret, in qua Jacob justificatus est?* Num. 15. ex Sacris litteris ostendere prosequitur, exclusis præviis meritis hominis atque disputationibus, a voluntate Dei pendere totum negotium efficaciæ vocationis divinæ.

Ex quibus semper magis constat, S. Doctorem congruitatem gratiæ ad efficaciam illius retulisse. Et re quidem vera Deus sua gratia *Dignos nos facit in partem sortis sanctorum in lumine*, sicuti habet Apostolus ad *Coloss.* 1. 12. sed congruitas repeti debet ab eo principio, quo Deus nos dignos facit in partem sortis sanctorum in lumine: ergo congruitas est ab ipsa gratia. Hinc Apostolus *Hebr.* 13. 20. et 21. ait : *Deus autem pacis... aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem.* Quæ explicans S. Thomas lect. 3. in cit. locum, dupliciter aptari hominem

dicit ad benefaciendum : uno modo exterius ; *Et sic* (ait) *aptat alium vel persuadendo , vel comminando : alio modo aliquid interius exhibendo ; et sic solus Deus aptat voluntatem, qui solus potest illam mutare.*

Unum tantum hic adverto, videlicet, in systemate Congruistarum gratiam , quod congruitatis ipsa habet , habere a prævisis dispositionibus, quæ erunt in homine, quando accipiet gratiam: hæc congruitas quid tale est, propter quod gratia habet suum effectum: at non solum in infinitis prope locis, sed etiam in isto, de quo usque modo egimus, S. Augustinus, quod est virtutis in gratia, repetit a solo Deo , exclusis prorsus omnibus , quæ haberi possint ab illo , qui gratiam recipit : ergo S. Augustinus hoc quoque in loco omnino sese opponit systemati Congruistarum.

Prop. VII. Semel ac ponatur gratiam sua delectatione esse relative victricem, vera illius efficacia solvitur.

In hac propositione hoc tantum doctrinæ caput contra Jansenium tuendum aggredimur , videlicet, gratiam a sua efficacia decidere , semel ac ponatur suum effectum ab ea produci , habito respectu ad illum , in quem agit , ita ut suum effectum producat in uno , quia est minori , non producat in altero, quia est majori terrena cupiditate detentus. Cetera , in quibus erravit contra fidem , nunc omittimus.

Prob. prop. Gratia ex se , et ex sui natura est efficax: (prop. 1.) ergo sive sit majori , sive minori cupiditate voluntas implicata , in suo effectu ab illa non pendet ipsa gratia. Item: gratia ab omnipotentia Dei , ejusque supremo dominio supra voluntates hominum suam efficaciam habet : (prop. 2.) ergo quibusvis tandem affectionibus pravis sit detenta voluntas , non potest impedire , ne gratia producat suum effectum. Rursus : Deus efficacia suæ gratiæ voluntatem physice movet ad bonum supernaturale : (prop. 3.) ergo quacumque ratione sit interius affecta voluntas physicæ motioni virtutis infinitæ obsequatur oportet. Tandem ; Deus sua efficaci gratia ita movet voluntatem , ut ipsa Deo moventi infallibiliter cooperetur : (prop. 4.) quum ergo hæc infallibilitas sit ab ipsa efficacia gratiæ , repugnat sane, ut in cooperatione voluntatis attendatur, qua ipsa sit affecta ratione, atque juxta diversam affectionem cooperari , vel non cooperari dicatur. Et re quidem vera Summi Pontifices , concilia, atque Patres simpliciter, atque absolute statuerunt , efficaciam gratiæ, nullo habito respectu illius , qui gratiam recipit : sed si dicatur gratiam sua delectatione esse relative victricem, habetur sane respectus illius, qui gratiam recipit : ergo semel ac ponatur gratiam efficacem esse relative victricem, ea desinit esse talis, qualem Summi Pontifices , concilia , et Patres contra Pelagium statuerunt.

Prop. VIII. Gratiam efficacem esse relative victricem, op-

ponitur iis principiis, in quibus S. Augustinus efficaciam gratiæ reposuit.

Prob. prop. Singillatim, quamvis S. Augustini auctoritate probaverimus eas propositiones, ex quibus consequi jam ostendimus, gratiam efficacem non esse relative victricem. Quia vero nimis longum esset, S. Augustini loca hac de re exscribere, summatim doctrinam aliquorum locorum in medium proferemus. S. Augustinus gratiam efficacem ita quodammodo delineat: quæ *facit* in nobis, in bono recipiendo, et perseveranter tenendo non solum *posse*, quod volumus, sed etiam *velle*, quod possumus (a): quæ a *nullo* duro corde respuitur (b): quæ tribuitur, ut duritia cordis *primitus* auferatur (c): quæ facit *volentes ex nolentibus* (d): quæ facit, ut faciamus, præbendo vires *efficacissimas* voluntati (e): quæ perseverandi *possibilitatem*, et *voluntatem* nobis tribuit (f): quæ in voluntatem *indeclinabiliter*, et *insuperabiliter* agit (g): quæ operatur in nobis et velle, et operari pro bona voluntate (h): sine qua nullius est bona voluntas, et cum qua *nullius* est nisi bona voluntas (i): qua donante, *invictissime*, quod bonum est, *volumus*, et hoc deserere *invictissime nolumus* (k). Modo ita: Profecto repugnat, gratiam sua virtute in nobis facere, non solum ut possimus, sed etiam ut velimus, et esse illam relative victricem, hoc est, victricem esse, si gradus concupiscentiæ terrenæ non superaverint gradus delectationis cælestis. Repugnat gratiam ob efficaciam sui a nullo duro corde respui, et quod a duro corde revera respuatur, quando gradus duritiei sunt superiores gradibus delectationis cælestis: repugnat, gratiam sua efficacia primitus auferre duritiem cordis, et in eo prævalere gradus concupiscentiæ terrenæ, a qua nascitur cordis durities: repugnat, gratiam sua virtute facere volentes ex nolentibus, atque vires efficacissimas voluntati præbere, et voluntatem nolentem persistere ob vim suæ adhæsionis ad terrena: repugnat, gratiam ob efficaciam, quam habet in se, tribuere voluntatem perseverandi, atque in voluntatem indeclinabiliter, insuperabiliterque agere, et voluntatem ei resistere ob majorem vim, qua afficitur a concupiscentia terrena: repug-

(a) De *Corrept. et grat.* num. 32.
(b) De *Prædest. SS.* num. 13.
(c) Eodem loco.
(d) De *Prædest. SS.* num. 15.
(e) De *Grat. et lib. arb.* num. 32.
(f) De *Corrept. et grat.* num. 38.
(g) Cit. loco
(h) De *Dono persev.* num. 33.
(i) Lib. 3. *Oper. Imperf.* cap. 122.
(k) De *Corrept. et grat.* num. 38.

nat tandem, gratiam sua virtute operari in nobis velle, et operari, cum ea nullius voluntatem esse nisi bonam, illa donante, nos invictissime velle bonum, invictissimeque illud nolle deserere, et cum eadem gratia voluntatem esse malam ob terrenæ concupiscentiæ vires prævalentes supra vires delectationis cælestis, proptereaque voluntatem cum gratia esse malam, et ea donante, neque invictissime velle bonum, neque invictissime nolle illud deserere.

Ex his omnibus ita colligo. In hac a nobis instituta comparatione quam priori loco doctrinam posuimus, est sane doctrina S. Augustini iisdem verbis ab eo tradita: quam vero secundo loco doctrinam cum priori comparavimus, est doctrina Jansenii, atque illorum, qui gratiam efficacem esse relative victricem tuentur: sed hanc doctrinam priori opponi ex ipsa utriusque inter se comparatione constat: ergo gratiam efficacem esse relative victricem opponitur iis principiis, in quibus S. Augustinus posuit efficaciam gratiæ.

Dices. Efficacia gratiæ utique aliquando est absoluta, ita ut omnem penitus duritiem frangat cujusque cordis: at sæpe numero est efficax tantum comparative, id est, in uno, non in altero, quoniam in illo minorem, in isto majorem invenit obdurationem.

Deinde efficacia gratiæ duobus modis spectari potest, videlicet, tum in se, tum quatenus est instrumentum voluntatis divinæ: secundum priorem rationem est relative victrix pro majori, vel minori contrarietate concupiscentiæ resistentis: secundum alteram; semper ad illam consequitur effectus intentus a Deo, qui pro gravitate tentationis aut validiorem caritatem inspirabit, aut minuet incitamentum cupiditatis. Hæc si animadvertantur, præsumpta oppositio evanescit.

R. hisce duobus præsumptam oppositionem non tolli, sed confirmari. Nam si *aliquando*, et non semper, efficacia gratiæ est absoluta, simpliciter, absolute, et absque ulla exceptione de gratia efficaci dici non potest, eam facere, ut velimus, a nullo duro corde respui, efficere volentes ex nolentibus, præbere voluntati efficacissimas vires, agere in voluntatem indeclinabiliter, et insuperabiliter etc. sed hæc omnia, aliaque similia S. Augustinus de gratia efficaci dixit simpliciter, absolute, et absque ulla exceptione: ergo præsumpta oppositio semper magis magisque confirmatur. Quin immo altera nascitur contra defensores delectationis relative victricis: nam certi cujusdam principii loco absque ulla exceptione ipsi ponunt, gratiam efficacem sua delectatione esse relative victricem. At vero absolutum opponitur relativo, et quod aliquando est absolutum, dici simpliciter, et absque ulla exceptione relativum non potest, sicut ipsi dicunt.

Profecto gratia dicitur efficax, habita ratione effectus, quem

producit, sicuti constat etiam ex ipsa etimologia nominis. Hac de gratia loquens S. Doctor Augustinus simpliciter, et sine ulla exceptione affirmat, eam facere, ut velimus, a nullo duro corde respui, efficere volentes ex nolentibus, præbere voluntati vires efficacissimas, agere in voluntatem indeclinabiliter, et insuperabiliter: ergo contra apertam, evidentem, et sæpe repetitam S. Doctoris sententiam statuitur, gratiam efficacem *sæpe numero* comparative tantum esse talem, hoc est, in uno, non in altero, quoniam in illo minorem, in isto majorem invenit obdurationem. Igitur hoc alterum membrum divisionis manifestæ doctrinæ S. Doctoris adversatur: sed in hoc altero membro divisionis situm est totum systema de gratia efficaci relative victrici: ergo hoc totum systema evidenti sententiæ S. Augustini prorsus opponitur.

Neque minus opponitur quod secundo loco dicebatur: nam S. Augustinus loquitur de virtute gratiæ efficacis, quando dicit, eam facere, ut faciamus, a nullo duro corde respui etc. Hoc vero omne gratia efficax operatur, quatenus ab omnipotentis Dei, ejusque supremo dominio supra voluntates hominum suam efficaciam habet, sicuti auctoritate quoque S. Augustini ostendimus propositione secunda, ac propterea quatenus est instrumentum voluntatis divinæ: semper ergo gratia est instrumentum voluntatis divinæ. Quapropter haud recte dicitur, immo vero dici nullo modo potest, gratiæ efficaciam spectari posse dupliciter, hoc est, tum in se, tum quatenus est instrumentum voluntatis divinæ.

Prop. IX. Essentia gratiæ efficacis reponi non potest in cælesti delectatione relative victrici, quæ vincat conatus cupiditatis terrenæ.

Sensisse S. Augustinum consistere in cælesti delectatione relative victrici, et plures Theologi gravissimi tuentur, et Jansenius propugnavit lib. 4. de *Grat. Christi* cap. 1. et seqq. Id autem potissimum *ex lucta duarum delectationum terrenæ, et cælestis* cap. 4. conatur ostendere.

Prob. prop. Et quidem singulariter auctoritate S. Augustini. Sicuti modo ostendimus, gratia victrix relative cum gratia revera efficaci pugnat juxta principia a S. Doctore posita ad adstruendam efficaciam gratiæ contra Pelagianos: ergo essentia gratiæ efficacis in delectatione relative victrici non potest consistere. Semel ac enim ponatur, essentiam gratiæ efficacis consistere in delectatione relative victrici, delectatio relative victrix, et gratia relative victrix sunt unum, et idem. Et re quidem vera absolute, et simpliciter facere ex nolente volentem, ex corde lapideo cor carneum, vires efficacissimas præbere voluntati, prævenire reluctantes, ut fiant volentes, indeclinabiliter, et insuperabiliter agere, facere, ut invictissime velimus bonum, et etiam invictissime nolimus illud deserere, sunt profecto omnia,

ut alia similia nunc omittamus, in quibus S. Doctor Augustinus reposuit efficaciam gratiæ: at vero nihil horum tale est, quod cum delectatione relative victrici stare simul possit. Hæc enim ideo est relative victrix, quia decertat cum cupiditate terrena, quæ minores, quam ipsa, gradus habet: ceterum si cupiditas terrena habeat majores gradus, quam delectatio cælestis; tunc ista succumbit, et cupiditas remanet relative victrix. At semel ac gratia efficax absolute, et simpliciter faciat, sicuti, auctore S. Augustino, revera facit, ex nolente volentem, ex corde lapideo cor carneum, voluntati præbeat vires efficacissimas etc., nullus omnino locus amplius remanere potest victoriæ contrariæ cupiditatis decertantis contra cælestem delectationem: ergo essentia gratiæ efficacis non consistit in cælesti delectatione relative victrici.

Dices. Tam multa sunt loca, in quibus S. Augustinus reposuit efficaciam gratiæ in cælesti delectatione relative victrici, ut ea numerari vix possint. Jansenius præ ceteris uberius illa collegit lib. 4. de *Grat. Christi* cap. 1. et seqq. sed hujus S. Doctoris hac potissimum de re est maxima apud Ecclesiam auctoritas: ergo.

R. Constare ex dictis, notionem efficacis gratiæ a S. Augustino traditam, in pluribus Operibus illius, contra Pelagianos, et Semipelagianos sæpissime inculcatam, et auctoritate Scripturæ confirmatam, nullo modo pati, ut gratia efficax sit relative victrix, nullo modo ferre, ut essentia efficacis gratiæ in delectatione relative victrici consistat. Anne fortasse S. Augustinus sibi contradicit, et in uno loco unam rem, in altero alteram dicit? Minime gentium. Profecto quæ de cælesti delectatione sæpe tradidit, non ad ipsam efficaciam gratiæ, non ad essentiam ipsius efficacis gratiæ, sed ad illius effectum ipse retulit. Hoc ut ostendamus, unum tantum S. Augustini locum explicabimus, qui, uti inquit Jansenius lib. 4. de *Grat. Christi* cap. 6. *Aureis meretur scribi characteribus, quo Augustini mentem plenissime capiamus.* Hinc fatetur, quod ipse in superioribus capitibus *filo verborum ipsius perspicuorum ductus, tamquam ab eo existimatum, et traditum ratiocinando* collegit, hoc in loco a S. Augustino *manifestissima, et resolutissima auctoritate* definiri. Locum integrum exscribemus, sicut exscripsit Jansenius. Ita igitur habet S. Augustinus in *Exposit. epist. ad Galatas* num. 49. *Regnant ergo spirituales isti fructus* (loquitur de fructibus ab Apostolo recensitis ad *Galat.* 5. 22.) *in homine, in quo peccata non regnant.* Id quidem verissime dicitur: *quæ enim conventio Christi ad Belial?* Verum hoc ad rem nostram non facit. Prosequitur S. Augustinus: *Regnant autem ista bona, si tantum delectant, ut ipsa teneant animum in tentationibus, ne in peccati consensionem ruat.* Profecto si magis erga spiritualia, quam

erga temporalia bona affecti simus, illorum major affectio facit, ne in tentatione ruamus in consensionem peccati. At hæc major affectio nonne est a gratia efficaci ex se, et ex sui natura? *Subventum est* (inquit S. Augustinus lib. de *Corrept. et Grat.* num. 38.) *infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia infallibiliter, et insuperabiliter ageretur, et ideo quamvis infirma non deficeret.* Subdit S. Doctor in cit. Expositione : „ Quod enim amplius nos „ delectat, secundum id operemur necesse est : ut verbi gratia „ occurrit forma speciosæ feminæ, et movet ad delectationem „ fornicationis; sed si plus delectat pulchritudo illa intima, et „ sincera species castitatis per gratiam, quæ est in fide Chris- „ ti; secundum hanc vivimus, et secundum hanc operamur, ut, „ non regnante in nos peccato ad obediendum desideriis ejus, „ sed regnante justitia per caritatem, cum magna delectatione „ faciamus, quidquid in ea Deo placere cognoscimus." Hæc quoque omnia non solum non faciunt pro Jansenio, sed contra ipsum faciunt : nam unde habet, ut pulchritudo castitatis plus delectet? habet sane per gratiam, si S. Augustinum audiamus : ob regnantem justitiam per caritatem fit, ut cum magna delectatione faciamus, quidquid in ea Deo placere cognoscimus. A gratia igitur est, ut pulchritudo castitatis magis delectet, quam turpitudo fornicationis, a caritate vero, quod cum magna delectatione faciamus quidquid Deo placere cognoscimus. Igitur delectatio est effectus gratiæ, adeoque manifestissima, et resolutissima auctoritate Augustini nihil minus conficitur, quam quod Jansenius vellet. Manifestissima, inquam, et resolutissima auctoritate Augustini non solum nihil minus conficitur, sed etiam contrarium apertissime suadetur.

Ut autem innotescat quod latebat (inquit S. Doctor lib. de *Peccat. merit. et remiss.* num. 26.) *et suave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei est.* Lib. 1. *Cont. duas epist. Pelagian.* num. 22. *Ipsa delectatio boni, qua* (homo) *etiam non consentit ad malum... nonnisi gratiæ deputanda.* Lib. *de Spiritu, et litt.* num. 5. *Nos autem dicimus, humanam voluntatem sic divinitus adjuvari ad faciendum justitiam, ut... accipiat Spiritum Sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio, dilectioque summi illius, et incommutabilis boni.* Lib. 1. de *Nupt. et concup.* num 34. *Ista condelectatio legi Dei secundum interiorem hominem de magna nobis venit gratia Dei.* Lib. 1. ad *Simplicianum* quæst. 2. num. 21. *Quum ergo nos ea delectant, quibus proficimus ad Deum, inspiratur hoc, et præbetur gratia Dei.* In *Enchirid.* num. 22. ait S. Augustinus, a terrena delectatione tunc vinci cælestem, quando ignorantia, et infirmitate laboramus : *Contra quæ quidem* (inquit) *pugnare nos convenit : sed profecto vincimur, nisi divinitus adjuvemur, ut non solum videamus, quid faciendum sit, sed etiam, accedente sanitate,*

delectatio justitiæ vincat in nobis harum rerum delectationes. Infirmitatem vero nostram ipsa gratia sanat, eaque ob nostram infirmitatem indigemus, quod utrumque tradit S. Augustinus lib. 3. *Oper. Imperf.* cap. 149., et lib. de *Nat. et Grat.* num. 76. Ad effectum igitur gratiæ respexit S. Augustinus, quando cælesti delectationi victoriam tribuit supra terrenam.

Etiam Jansenius agnovit lib. 9. de *Grat. Christi* cap. 8., S. Augustinum nomine gratiæ non ipsam gratiam, sed effectum illius intelligere *in infinitis locis.* Huic tamen interpretationi locum esse negat, quando Augustinus ad cælestem delectationem provocat, quamvis S. Doctor fateatur in pluribus locis, delectationem esse effectum gratiæ, quamvis, sicut jam ostendimus, evidentissimis S. Augustini principiis repugnet, efficaciam gratiæ consistere in delectatione relative victrice, repugnet, gratiam efficacem esse relative victricem, repugnet demum essentiam gratiæ efficacis reponi in delectatione relative victrice.

Illud tandem non possumus præterire, S. Augustinum existimasse, nos duci ad Deum non solum delectatione, sed etiam timore pœnarum, pudore peccatorum, atque iis omnibus diversis, innumerisque modis, qui auctori ipsius gratiæ placuerint: *Trahitur ergo* (inquit S. Doctor lib. 1. *Cont. duas epist. Pelagian.* num. 37.) *miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari.* Et de *Corrept. et Grat.* num. 8. ait: *Sed quare isti sic, illi aliter, atque alii aliter diversis, et innumerabilibus modis vocentur, ut reformentur, absit, ut dicamus judicium luti esse debere, sed figuli.* S. Prosper discipulus S. Doctoris varios, multiplicesque hujusmodi modos cap. 7. *Cont. Collatorem* prosequutus fuit.

At enim plures etiam Thomistæ adoptarunt systema delectationis victricis. Nego plures, sed solummodo quidam adoptarunt, non advertentes sane, quod ipsi systema una cum ceteris de efficacia gratiæ tuebantur, cum systemate delectationis relative victricis nullo modo conciliari posse. Profecto ut nunc omittam alios Thomistas tum antiquiores, tum recentiores, atque valde excultos scientia rerum theologicarum, unum tantum Lemosium commemorabo, virum omnium judicio doctissimum, et non minus in S. Thomæ, quam in S. Augustini doctrina valde versatum, qui in Congregationibus de Auxiliis pro efficacia gratiæ summa cum laude pugnavit. Hic sane sui confratris Joannis Gonzalesii de Albeda de victrici delectatione sententiam vix dum vulgatam tom. 4. *Panopl.* lib. 4. part. 2. tract. 4. cap. 11. refutavit, affirmavitque, Gonzalesium in omnibus suis assertionibus, quas ipse refert, excepta priori parte assertionis primæ. *Nihil quod placere possit veris defensoribus divinæ gratiæ, multa vero, quæ merito eis displicere valeant* continere. Cap. 18. iterum mentionem facit sententiæ Gonzalesii, atque

ait : *Ceterum ista sententia nova est contra S. Patrem Augustinum, et Thomæ sententiam, et revera voce dumtaxat gratiæ efficaciam admittit, sed re negat, dum illam impossibili modo constituit.* A priori tamen sententia Joannes Gonzalesius de Albeda contrariis argumentis convictus recessit, licet eam non retractaverit, propterea quod opus illius jam in publicam lucem prodierat, sicuti tradit Joannes Gonzalesius de Lion in suo Opere inscripto : *Controv. inter. defens. libert., et Prædic. grat.*, Controv. de grat. excitante art. 6. Joannes Gonzalesius de Albeda, absolutis jam Congrationibus de auxiliis ann. 1608. Romam venit : unde quidam auctor victricis delectationis propugnator non multis ab hinc annis falso supposuit, Congregationibus de auxiliis illum interfuisse, atque id a Hyacintho Serrio traditum etiam falso supposuit. Nam Serrius *Hist. Congreg. de Auxil.* lib. 4. cap. 26. edit. Venet. ann. 1770. ita contra habet : „ Verum nec præsentem auxiliorum historiam satis „norunt, qui Gonzalem Dominicanis Romæ disputatoribus an„numerant."

Unum hic ex S. Thoma superaddo ad majorem dilucidationem hujus rei, de qua usque modo egimus. Est igitur advertendum, gratiam dici posse majorem in uno, quam in altero ex duplici capite, hoc est, tum ex parte finis, vel objecti, tum ex parte subjecti : ex parte finis, vel objecti gratia non potest esse major in uno, quam in altero, quia secundum sui rationem conjungit hominem summo bono, quod est Deus : ex parte subjecti potest : „ Cujus diversitatis ratio quidem (inquit S. Tho„mas 1. 2. quæst. 112. art. 4.) est aliqua ex parte præparantis „se ad gratiam : qui enim se magis ad gratiam præparat, plenio„rem gratiam accipit. Sed ex hac parte non potest accipi prima „ratio hujus diversitatis, quia præparatio ad gratiam non est „hominis, nisi in quantum liberum ejus arbitrium præparatur „a Deo. Unde prima causa diversitatis accipienda est ex parte „ipsius Dei, qui diversimode suæ gratiæ dona dispensat ad hoc, „ut ex diversis gradibus pulchritudo, et perfectio Ecclesiæ con„surgat."

Quare semel ac ponatur, delectationem esse effectum gratiæ, sicuti revera S. Augustinus sæpissime posuit, atque singulariter in hac delectatione virtutem gratiæ sese prodere voluit ; quia gratia, habita ratione subjecti, potest esse magis intense in uno, quam in altero, delectatio quoque potest esse major in uno, quam in altero : tamen semel ac delectatio sit ab efficaci gratia, quæ ex se importat conjunctionem cum Deo, quævis delectatio ab illa proveniens quamvis terrenam delectationem superat. Si autem delectatio proficiscatur ab ea gratia, cui resistitur, non vincit terrenam delectationem, nisi superaccedat delectatio, quæ est ab efficaci gratia physice, non sine suavi delectationis modo, vo-

luntatem movente, ac prædeterminante. Ex hac verissima distinctione S. Thomæ semper magis magisque constat, quid sentiendum sit de delectatione relative victrice.

CAPUT SECUNDUM.

De admirabili consensione gratiæ efficacis cum arbitrii nostri libertate.

Disputatione 9. lib. 1. cap. 1. præcipue contra Jansenium copiose jam disseruimus de iis omnibus, quæ ad veram rationem libertatis arbitrii requiruntur: huic ergo libertati nullo modo obesse efficaciam divinæ gratiæ, qua infallibiliter movemur ad agendum, nunc ostendemus. „Quod non sit liberum arbitrium, si in„digeat auxilio Dei, quoniam propriam voluntatem habet unus„quisque aut facere aliquid, aut non facere" fuit error Pelagii, atque Cælestii, sicuti ex S. Augustino novimus lib. de *Gestis Pelagii* num. 65. Voluntatem sub manu Dei se habere passive, non aliter ac lutum in manu figuli se habet, et calamus in manu scribentis, Lutherus effutiit; Calvinus autem voluit, voluntatem ita agi a Deo, ut licet ipsa quoque se active moveat, tamen non libere, sed spontanee, sicuti agit manus, voluntate se movente. Unde Lutherus comparat voluntatem instrumento materiali, et passivo, Calvinus instrumento naturali, et activo (a). Bajus, Quesnellius, et Jansenius negantes activam indifferentiam potestatis requiri ad libertatem, volentesque libertatem manere integram, semel ac nullus sit coactioni locus (b), hominem sub gratia efficaci liberum esse, tuentur, licet juxta illos sub eadem efficaci gratia indifferentiam activam non retineat. De Bajo id constat ex illius proscriptis propositionibus 39. et 65., de Quesnellio ex illius proscriptis prop. 14. 21. et quatuor sequentibus. Jansenius pluribus in locis docet hæc duo: 1. ad libertatem requiri immunitatem a coactione, non vero a necessitate: 2. voluntatem sub ipsa gratia necessario quidem agere, non vero premi aliqua coactione, propterea que agere spontanee, et non per coactionem (c), quod sane sufficere ad rationem veræ libertatis, ipse putavit. Hunc errorem illius, quum jam refutaverimus, atque ostenderimus, indifferentiam activam, atque potestatis ad agendum, vel non agendum veræ libertatis propriam

(a) Vid. Bellarm. de Grat. et lib. arb. lib. 6. cap. 9.
(b) Vid. cit. Disput. et cap.
(c) Legatur lib. 4. de *Grat. Chr.* cap. 4. et seqq., lib. 7. cap. 5.

esse, nunc conabimur evincere, istam remanere in homine, qui gratia efficaci movetur a Deo. Pluribus propositionibus rem istam totam explicabimus, quam valde difficilem esse, etiam S. Augustinus, licet quam maximo esset ingenii acumine præditus, confessus fuit lib. *de Grat. Christi* num. 52., eamque esse quæstionem obscuram lib. de *Grat. et lib. arb.* num. 1. confirmavit. Verum sicut ipse inquit epist. alias 46. nunc 214. num. 2. *Si igitur non est Dei gratia, quomodo salvat mundum? et si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?*

Prop. I. Ipsa natura liberi arbitrii nullo modo exigit, ut tam bene, quam male agere possit, sed hoc alterum, licet sit signum libertatis, est tamen imperfectio liberi arbitrii.

Prob. prop. Hanc veritatem non uno in loco, sed in pluribus S. Augustinus contra Julianum propugnavit. Lib 1. *Oper. Imperf.* cap. 100. inquit: *Si liberum non est, nisi quod duo potest velle, id est, et bonum, et malum; liber Deus non est, qui malum non potest velle.* Hoc idem contra ipsum urget lib. 5. *Oper. Imperf.* cap. 38. lib. 6. cap. 11. et 19. „Nec te vi„des (inquit) ipsi Deo tollere libertatem, et nobis, quando cum „illo in regno ejus immortales vivere cœperimus, nec motus „nostros nunc in bonum, nunc in malum, nobis erit possi„bile variare; et tamen tunc felicius liberi erimus, quando „non poterimus servire peccato, sicut ipse Deus, sed nos ip„sius gratia, ille vero sua natura." Quare autem Deus sua natura peccare non possit, id vero nos ex nostra natura non possimus, explicat S. Doctor lib. 5. *Oper. Imperf.* cap. 38., etiam nulla habita ratione infectionis humanæ naturæ propter peccatum originale: „Angelus ergo (inquit) vel homo peccare potuit, id „est, propterea isto Dei munere, quod est liberum arbitrium, „male uti potuit, quia non est Deus, hoc est, de nihilo fac„tus est a Deo, non de ipso Deo. Intellige, et tace." Hæc alia nunc ad nostrum propositum iis superaddenda censuimus, quæ de re ista jam disseruimus Disput. 9. lib. 1. cap. 2. prop. 3., in qua, præeunte S. Thoma illud advertimus; *quod velle malum non est libertas, sed quoddam libertatis signum.*

Prop. II. Perficitur liberum arbitrium, quando superiori virtute movetur ad bene agendum.

Prob. prop. Est imperfectio liberi arbitrii, quod etiam ad malum se possit movere, sicuti modo vidimus: ergo ipsum perficitur, quando superiori virtute fit, ut sua libertate utatur in bonum. „Liberum arbitrium (ait S. Thomas in II. *Sentent.* quæst. „1. art. 1. ad 2.) in bonum per se ordinatum est, quum bo„num sit objectum voluntatis, nec in malum tendit, nisi prop„ter aliquem defectum, quia apprehenditur ut bonum: quum „non sit voluntas, aut electio, nisi boni, aut apparentis boni, „et ideo ubi perfectissimum est liberum arbitrium, ibi in malum

„ tendere non potest." Perficitur ergo liberum arbitrium, quando superiori virtute movetur ad bene agendum. S. Augustinus epist. alias 89., nunc 157. num. 8. ita: „ Hæc enim voluntas li- „ bera tanto erit liberior, quanto sanior: tanto autem sanior, „ quanto divinæ misericordiæ, gratiæque subjectior." Num. 10. „ Neque enim volentis arbitrium ideo tollitur, quia juvatur, sed „ ideo juvatur, quia non tollitur."

Prop. III. Liberum arbitrium in se non habet, unde possit facere opera supernaturalis ordinis, ac propterea gratia efficaci perficitur, quando virtute illius talia opera facit.

Prob. prop. Nos non indigere gratia Dei, ut faciamus opera salutis, purus, putusque fuit error Pelagianorum, sicuti constat ex S. Augustino lib. 1. *Cont. duas epist. Pelagian.* num. 7. lib. 2. num. 19., lib. 2. *Oper. Imperf.* cap. 154., lib. 3. cap. 114. illosque vocat *præcipitatores liberi arbitrii, superbos defensores, et inflatores.* Liberum igitur arbitrium in se non habere, unde ex se possit facere opera salutis, est dogma fidei definitum in pluribus canonibus II. Arausicani Concilii, et in tribus primis canonibus Tridentini sess. 6. Ex hoc autem illud consequitur, ut liberum arbitrium efficacia gratiæ perficiatur: nam est sane imperfectio liberi arbitrii, ut etiam male possit agere: (prop. 1.) sed gratia efficaci fit, ut bene agat, et quidem ita bene, ut potentia illius elevetur ad agendum, quod ipsa per se nullo modo poterat, quodque est supra naturalem ordinem: ergo liberum arbitrium perficitur ab ipsa eficacia gratiæ. Hinc in *superadditis* epist. Cælestini ad Episcopos Galliæ (a) hæc leguntur: *Quo utique auxilio, et munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur, ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum.* Et S. Augustinus in lib. *de Spiritu, et lit.* num. 52. inquit: *Sicut enim lex per fidem, sic liberum arbitrium per gratiam non evacuatur, sed statuitur.*

Prop. IV. Quod Deus sit primus motor, quando sua gratia efficaci nos movet ad agendum, nullo modo obstat libertati arbitrii, sed illi est omnino consentaneum.

Prob. prop. Gratia Dei ab omnipotentia ejus, et supremo dominio supra voluntates hominum suam efficaciam habet: (cap. præced. prop. 3.) sed ex hoc consequitur, ut Deus sit primus motor, eique liberum arbitrium ex sui natura subjectum sit: ergo. Deinde est dogma fidei contra Pelagianos, hominem suis viribus opera salutis agere non posse: ergo ad hæc agenda aliunde moveatur, immo et præmoveatur, oportet: ergo primus mo-

(a) Epist. 21. apud Constantium, qui in adnotationibus citata additamenta auctoritatum priorum Rom. Pont. Cælestino facta non fuisse, recte animadvertit.

tor, qualis est solus Deus, præcedere debet voluntatem ad illa se movendam: ergo consentaneum est libero arbitrio ejusque viribus, quod Deus sit primus motor, quando sua gratia efficaci nos movet ad agendum. Quod sane magis, magisque inde constat, quia, uti inquit S. Augustinus lib. de *Corrept. et Grat.* num 46., atque etiam suadet ipsa ratio, si tum ad supremum dominium divinum, tum ad subjectionem cujusvis rei creatæ attendatur: *Sic enim velle, seu nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Immo vero, sicut superaddit idem S. Doctor num. 45., Deus *magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas*: Unde illis Apostoli verbis *Roman.* 9. 16. *non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, sicuti advertit S. Thomas III. *Cont Gent.* cap. 149. „Non excluditur liberum voluntatis arbitrium, sicut quidam male intellexerunt, „quasi homo non sit dominus actuum interiorum, et exteriorum, „sed ostenditur, Deo esse subjectum." Quare etiam illud *Zachariæ* 1. 3. *convertimini ad me, et ego convertar ad vos* ita accipi debere dicit: „Non quia nostra operatio Dei conversionem præveniat, ut dictum est, sed quia conversionem nostram, qua ad ipsum convertimur, adjuvat subsequenter roborando, ut ad effectum perveniat, et stabiliendo, ut finem debitum consequatur."

Prop. V. Ut libere velimus, et operemur, ipsa efficacia gratiæ facit.

Prob. prop. Gratia efficaci ita interius movemur, ut cor nostrum longe aliter affectum evadat, ac antea erat, atque erga id sit omnino affectum, ad quod efficacia divinæ gratiæ movet nostram voluntatem: sed ex hoc infallibiliter consequitur, ut velimus libere: ergo ut velimus libere, ipsa efficacia gratiæ facit. Majorem propositionem primo ostendemus, deinde minorem. *Ezechiel.* 11. 19. Dominus explicat modum, quo se facturum dicit, ut Israel ambulet in præceptis suis: *Et dabo eis cor unum, et spiritum novum tribuam in visceribus eorum, et auferam cor lapideum de carne eorum, et dabo eis cor carneum.* Hisce similia leguntur *Ezechiel.* 36. 26. Unde S. Augustinus lib. *de Grat. et lb. arb.* num. 33. „Certum est, nos velle, „quum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum, de quo „dictum est, quod paulo ante posui: *præparatur voluntas a „Domino....* Certum est, nos facere, quum facimus: sed ille „facit, ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, „qui dixit: *Faciam, ut in justificationibus meis ambuletis, et „judicia mea observetis, et faciatis.* Quum dicit: *faciam, ut „faciatis*, quid aliud dicit, nisi *auferam a vobis cor lapi„deum*, unde non faciebatis, *et dabo vobis cor carneum*, un„de faciatis. Et hoc quid est, nisi auferam cor durum, unde non

„ faciebatis, et dabo cor obediens, ut faciatis?" Lib. 1. *Cont. duas epist. Pelag.* num. 37. postquam animadvertit, Christum dixisse: nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum, ne, nostram voluntatem præcedere, aliquo modo intelligeremus, superaddit: „Quis trahitur, si jam volebat? Trahi„ tur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in „ ipsis hominum cordibus operari, non ut homines, quod fieri „ non potest, nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus „ fiant." Constat ergo efficaci gratia nos interius ita moveri, ut cor nostrum longe aliter affectum evadat, ac antea erat, atque erga id omnino fiat affectum, ad quod ab ipsa efficaci gratia movetur.

Sed ex hoc infallibiliter consequitur, ut velimus libere, quod sic ostendo. Liberi sumus libereque agimus, quando per Spiritum novum inhærentem in visceribus nostris, et facta mutatione cordis lapidei in carneum, cor nostrum, sive affectionem nostri cordis ab una re omnino avertimus, convertimusque ad alteram omnino oppositam, propterea que illam priorem aversamur, hanc alteram volumus, atque prosequimur: sed hoc in nobis facit efficacia gratiæ, sicuti modo ostendimus: ergo efficia gratiæ facit, ut libere velimus, et operemur. „Deus igitur „ est prima causa (inquit S. Thomas 1. p. quæst. 83. art. 1. „ ad 3.) movens et naturales causas, et voluntarias. Et sicut „ naturalibus causis, movendo eas, non aufert, quin actus ea„ rum sint naturales; ita movendo causas voluntarias, non au„ fert, quin actiones earum sint voluntariæ, sed potius hoc in „ eis facit: operatur enim in unoquoque secundum ejus pro„ prietatem." His vero omnibus, si illud superaddatur, et perfici liberum arbitrium efficacia divinæ gratiæ, ipsumque magis esse in potestate Dei, quam in sua sit, semper magis constabit de veritate nostræ propositionis.

Prop. VI. Liberum arbitrium ad sui integritatem nullo modo exigit, ut habeat potentiam frangendi motum voluntati impressum ab efficaci gratia.

Ut in bono lumine ponantur, quæ propugnaturi sumus tum in ista, tum in sequenti propositione, advertatur oportet, verbum resistere, si secundum generalem significationem accipiatur, æquivalere verbo dissentire: si autem secundum propriam; supra verbum dissentire majorem efficaciam habere. Tunc enim vere, et proprie dicitur, quod causæ moventi resistatur, quando frangitur motus illius, et suum effectum non habet, altera causa contra nitente, atque prævalente. In hac altera significatione nunc accipimus verbum resistere, indeque propugnamus, non requiri ad integritatem liberi arbitrii, ut gratiæ efficaci possit resistere. In superiori capite de actuali resistentia egimus, atque ostendimus, Deum sua gratia efficaci ita movere volun-

tatem, ut voluntas Deo moventi infallibiliter cooperetur: in isto de potentia resistendi agimus. Apostolus *Roman.* 9. 19. docet, esse neminem, qui voluntati Dei resistere possit, qua ratione id affirmet Apostolus, constabit ex illis, quæ nunc disseremus.

Prob. prop. Gratiam ex se, et sui natura efficacem esse: gratiam Dei ab omnipotentia Dei, et supremo dominio supra voluntates hominum suam efficaciam habere; Deum efficacia suæ gratiæ physice movere nostram voluntatem ad bonum supernaturale: ita movere liberum arbitrium, ut ipsum Deo moventi infallibiliter cooperetur: gratiam efficacem quoad efficaciam sui non pendere a prævio consensu voluntatis humanæ, neque a prævisione futuri humani consensus in quibusdam circumstantiis: essentiam gratiæ efficacis in delectatione relative victrici reponi non posse; sunt profecto capita doctrinæ, quæ in superiori capite distinctis propositionibus jam propugnavimus. Hoc autem in capite item distinctis propositionibus jam evicimus, liberum arbitrium ex sui natura non exigere, ut tam bene, quam male agere possit: illud perfici quando ad bene agendum superiori virtute movetur: hoc potissimum fieri, quando efficaci gratia elevatur ad agendum quod est supernaturalis ordinis, quodque per se nullo modo potest: consentaneum esse libero arbitrio, ut sicuti a primo motore a Deo moveatur: efficacia gratiæ fieri, ut libere velimus. Hisce autem semel positis, nemini non perspectum esse debet, liberum arbitrium ad sui integritatem nullo modo exigere, ut efficaci gratiæ Dei possit resistere. Verum nunc hac de re singulariter.

Homo liberum habet quidem dominium sui actus etiam quoad opera salutis, de quibus modo agimus, tamen absolutum, atque primum non habet: ergo. Prob. ant. Primum dominium, atque absolutum a quovis alio independens habet solus Deus, qui est omnium causa universalis, eique sunt cuncta subjecta. Unde, sicuti inquit Angelicus 1. part. quæst. 83. art. 1. ad 3. „Liberum arbitrium est causa sui motus, quia homo per li„berum arbitrium se ipsum movet ad agendum; non tamen „hoc est de necessitate libertatis, quod sit prima causa sui id, „quod est liberum, sicut nec ad hoc, quod aliquid sit causa „alterius, requiritur, quod sit prima causa ejus." Et S. Augustinus lib. de *Prædest. SS.* num. 19. inquit: „Quia etsi fa„ciunt homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum; ip„se facit, ut illi faciant, quæ præcepit, non illi faciunt, ut „ipse faciat, quod promisit: alioquin ut Dei promissa com„pleantur, non in Dei, sed in hominum est potestate, et „quod a Domino promissum est, ab ipsis redditur Abrahæ. „Non autem sic credidit Abraham, sed *credidit* (a) *dans glo-*

(a) Rom. 4. vv. 20. et 21.

„ riam *Deo, quoniam quæ promisit, potens est et facere.*" Est profecto Deus prima causa efficax, et quia efficax, ideo motus liberi arbitrii est liber. S. Thomas 1. part. quæst. 19. art. 8. ostendit, causæ, quæ est revera efficax, suum effectum omnino respondere non solum quoad productionem, sed etiam quoad modum productionis, et existendi, propterea quum velit Deus, ad complementum totius universitatis, certum ordinem esse in ipsis rebus, quædam contingenter, quædam necessario evenire, constituit: „Et ideo (inquit) quibusdan effectibus ap- „ tavit causas necessarias, quæ deficere non possunt, ex qui- „ bus effectus de necessite proveniunt: quibusdam autem apta- „ vit causas contingentes defectibiles, ex quibus effectus contin- „ genter proveniunt. Non igitur propterea effectus voliti a Deo „ eveniunt contingenter, quia causæ proximæ sunt contingentes, „ sed, propterea quia voluit Deus eos contingenter evenire, „ contingentes causas ad eos præparavit." Unde, sicuti superaddit in resp. ad 2. „Dicendum, quod ex hoc ipso, quod ni- „ hil voluntati divinæ resistit, sequitur, quod non solum fiant „ ea, quæ Deus vult fieri, sed quod fiant contingenter, vel „ necessario, quæ sic fieri vult." Videatur hac eadem de re cap. 68. lib. 1. *Cont. Gent.*, et cap. 149. lib. 3. Ex his vero constat, tantum abesse, ut liberum arbitrium ad sui integritatem exigat, ut gratiæ efficaci resistere possit, quin potius ideo liberum sit, quia non potest resistere efficaciæ gratiæ ipsum moventis: gratia enim est instrumentum voluntatis divinæ moventis hominem ad supernaturalia, prout convenit liberæ naturæ a Deo constitutæ.

Dices. S. Stephanus in sua alloquutione ad Sacerdotes, commemoratis multis, quæ Deus fecerat in beneficium Hebræorum, ita ad illos *Actor. 7. 51. Vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita et vos:* ergo Spiritui Sancto revera resistitur.

R. dist., resistitur Spiritui Sancto excitanti, conc., efficaciter moventi, neg. Ea de resistentia S. Stephanus loquitur, quæ adhibetur signis exterioribus, quæque ad bonum excitant moraliter. Hæc enim sunt, quæ ipsæ commemorat a Deo facta in argumentum singularis protectionis populi Judaici. Signis autem exterioribus excitamur ad bonum, sicut diximus, non vero efficaciter movemur. Quare sicut Judæi jam ab antiquo tempore Spiritui Sancto inde restiterunt, quia licet excitati hujusmodi signis, tamen a vero cultu Dei sæpe defecerunt; ita S. Stephanus arguit Sacerdotes de eodem crimine, quia sicuti legitur ejusdem capitis v. 52., Patres eorum occiderunt illum, quem justum prænuntiaverant, ipsi autem ejusdem justi fuerant proditores, atque homicidæ.

C. S. Thomas *Quodlib.* 1. art. 7. ad 2. ait: quod *Divina*

motio a quibusdam participatur cum necessitate, a natura autem rationali cum libertate, propter hoc quod virtus rationalis se habet ad opposita; et ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere.

R. S. Thomam in citat. art. quærere, utrum homo sola libertate arbitrii se ad gratiam præparare possit: id negat, atque pro more suo sibi opponit secundo loco auctoritatem S. Anselmi dicentis in lib. de *Casu Diaboli*: non ideo aliquem carere gratia, quia Deus non vult dare, sed quia eam ipse non vult accipere, ac propterea ex libertate arbitrii pendere, ut homo habeat gratiam. Huic difficultati S. Doctor supradicta respondet. At loquitur de iis, quibus homo præparatur ad gratiam, iisque sane, licet sint oblata divinitus, homo potest resistere. Verumtamen gratiæ efficaci non potest: nam, sicuti inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 112. art. 3. *Si ex intentione Dei moventis est, quod homo, cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur, secundum illud Joan. 6. 45. omnis, qui audit a Patre, et didicit, venit ad me.*

C. Ecclesia hanc secundam Jansenii propositionem proscripsit: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*: proscripsit quoque 14. 15. et 16. propositionem Quesnellii, in quibus, non secus ac in illa Jansenii, dicitur, non resisti gratiæ Dei: ergo.

R. dist., et proscriptio Ecclesiæ respicit gratiam universe, et generatim acceptam, conc. gratiam efficacem, neg. Propositio Jansenii complectitur omnem gratiam, nullamque dari gratiam constituit, cui resistatur. Quesnellii quoque propositiones rem eamdem exprimunt, sicuti constat non solum ex obvio sensu illarum, sed ex verbis, quibus conceptæ sunt. Hoc vero est, quod Ecclesia in utroque proscripsit, propterea que dari etiam gratiam, cui resistatur, definivit contra illos, qui nullam aliam gratiam præter efficacem admiserunt. At vero nos dari gratiam, cui resisti possit, et quandoque revera resistatur, jam propugnavimus hujus Disput. lib. 3. cap. 1. prop. 1. et seqq. Hac autem in propositione quod tuemur, solius efficacis gratiæ habita ratione, tuemur. Gratiæ autem sufficienti revera resistitur, licet etiam ipsa suam efficaciam habeat, quatenus ad eam semper consequitur effectus præintentus a Deo voluntate consequenti: nam alter effectus a Deo præintentus voluntate antecedenti, et ille quidem magis præcipuus, quum ad istum ille prior sit ordinatus, ob culpam, et malitiam hominis quandoque, atque utinam non sæpius, non consequitur.

C. Tridentini Patres sess. 6. cap. 5. ajunt, tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, hominem, qui inspirationem recipit, illam *abjicere* posse: sed abjicere posse illuminationem, quæ fit tangente Deo cor hominis per Spiritus

Sancti illuminationem, est idem ac posse resistere gratiæ efficaci: ergo.

R. dist. Tridentini Patres affirmant, hominem abjicere posse inspirationem, quatenus ipse potest illi dissentire, conc., quatenus illi potest resistere, neg. Tridentini Patres hoc unum contra Lutherum, et Calvinum volunt, ut, Deo sua gratia efficaci movente cor hominis, homo neque coacte, neque necessario agat, sed libere: quia vero ad libertatem requiritur, ut dum quis unum agit, potentiam ad oppositum simul retineat; ideo dixerunt, hominem abjicere posse divinam inspirationem interius corde receptam, hoc est illi dissentire posse, sicuti conceptis verbis can. 4. contra hæresim Lutheri, et Calvini statuerunt: *Si quis dixerit, liberum arbitrium a Deo motum, et excitatum nihil cooperari Deo excitanti... neque posse dissentire, si velit; sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit.* Nunc igitur hac de potentia dissentiendi, quam Patres Tridentini remanere definierunt penes liberum arbitrium motum a Deo.

Prop. VII. Liberum arbitrium sub efficaci gratia retinet potentiam, qua illi potest dissentire.

Res ista singulari indiget explicatione, qua constare possit, non solum efficacia divinæ gratiæ, sed neque etiam immutabilitate divinæ præscientiæ, atque providentiæ nullum libertati nostræ præjudicium afferri. Hoc unum interea monemus, eos, qui adversantur gratiæ efficaciæ, qualem nos usque modo propugnavimus, libero arbitrio tribuere, quod repugnat, ut tribuatur. Patres Tridentini liberum arbitrium a Deo motum, et excitatum posse dissentire, si velit, contra Lutherum, et Calvinum definierunt. Nunc ergo explicandum est, ad quid tendat ista potentia, de qua Tridentini Patres loquuntur, et quid illi tribuendum sit, ut sub divina motione liberum arbitrium semper suum locum habeat.

Ut simul et eodem tempore circa rem eamdem habeatur actus duarum potentiarum, sibi invicem oppositarum, fieri non potest: potentia ambulandi, et potentia sedendi sibi invicem opponuntur, propterea que nemo, licet utraque præditus sit, simul atque eodem tempore ambulare, et sedere potest: contra autem simul atque eodem tempore esse possunt, et revera sunt duæ potentiæ oppositæ, etiamsi una illarum actu agat secundum modum sibi proprium: ita in homine sedente simul remanet potentia ad ambulandum, quamvis in illo sit et potentia contraria sedendi, et actus illius. Hinc in scholis orta distinctio sensus compositi, et divisi, habito respectu exercitii duarum potentiarum, quæ tendunt ad actus oppositos. Quare quando homo sedet, simul habet potentiam ad deambulandum: at hæc potentia non respicit deambulationem acceptam in sensu composito, hoc est,

simul conjungendam cum sessione, sed in sensu diviso, videlicet, faciendam, desinente, vel sublata actione, hoc est, sessione, contrariæ potentiæ. Quia vero potentia deambulandi non potest elicere suum actum in sensu composito, sed tantum in diviso, inde consequi, ut ipsa revera non sit libera, nemo sane dixerit. Nam repugnat, ut simul et eodem tempore sit sessio, et deambulatio: quod autem repugnat, nemo profecto sanæ mentis ad veram libertatem requirit. Igitur deambulandi potentia est libera, immo et veræ, perfectæque potentiæ rationem habet, licet tendat in suum actum in sensu diviso, semel posita actione contrariæ potentiæ, videlicet sedendi.

Est, inquam, libera, et veræ, perfectæque potentiæ rationem habet: libera quidem, quia libertati potentiæ non obest, ut non possit facere, quod fieri repugnat, et eadem ratione ex eo quod non possit facere, quod fieri repugnat, nullo modo desinit habere in se rationem veræ potentiæ.

Hæc, quæ præmisimus, constant lumine naturæ, sunt tamen in se talia, ut illorum ratio debeat haberi in explicatione libertatis humanæ, quatenus ipsa non minus sub scientia Dei, et prædestinatione, quam sub efficacia gratiæ nullo modo læditur. Nam sicuti advertit S. Thomas lib. 1. *Cont. Gent.* cap. 67. num. 6., postquam ostendit ex cognitione Dei non sequi, ut omne, quod ipse cognovit, sit necessarium: *In his, et in omnibus, quæ Dei scientiam circa contingentia oppugnantes argumentantur, secundum compositionem, et divisionem falluntur.*

Falluntur, inquam, nonnulli secundum compositionem, et divisionem, quando agitur de potentia dissentiendi, quam voluntas humana retinet sub efficacia gratiæ divinæ. Nam statuunt, voluntatem motam a Deo posse dissentire in sensu composito, hoc est, voluntatem licet sua cooperatione consentientem motioni Dei, posse eidem motioni dissentire: ergo assensum, et dissensum voluntatis circa rem eamdem simul esse posse, constituunt.

Rem totam explico: liberum arbitrium hominis a Deo motum, et excitatum cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, ipsi quoque admittunt, et non admittere non possunt, utpote definitum a Concilio Tridentino can. 4. sess. 6. Hoc totum contra eos facit, quum ipsi efficaciam gratiæ tribuant præviso consensui voluntatis: contra autem Tridentini Patres simpliciter, et absolute tribuunt motioni Dei cooperationem liberi arbitrii per suum consensum in Deum excitantem, et vocantem.

In defensionem sui systematis ad alteram partem definitionis Concilii appellant, hoc est, liberum arbitrium a Deo motum, et excitatum posse dissentire, si velit, atque dissensum in sensu composito esse accipiendum tuentur, videlicet, liberum arbitrium posse dissentire: etiam prout est sub ipsa motione, et excitatio-

ne Dei: ergo simul admittunt consensum, et dissensum respectu ejusdem divinæ motionis, et excitationis: consensum quidem: quia liberum arbitrium a Deo motum, et excitatum cooperatur consentiendo Deo excitanti, et vocanti: dissensum autem, quia sub ipsa motione, et excitatione Dei potest dissentire, si velit. Pugnantia igitur loquuntur, ut secundum suum systema tueantur, gratiam quoad suum effectum pendere a consensu humanæ voluntatis.

Potest itaque liberum arbitrium dissentire, si velit, Deo moventi, et excitanti, attamen in sensu diviso, hoc est, sub ipsa motione, et excitatione Dei habet quidem veram potentiam dissentiendi, quæ tamen non potest conjungere suum actum cum Dei motione, et excitatione, cui liberum arbitrium consentiendo cooperatur. Unde nunc ita: Tridentinum Concilium definit, Deo moventi, et excitanti liberum arbitrium cooperari assentiendo excitationi, et vocationi Dei: sed si dicatur, liberum arbitrium in sensu composito dissentire posse, tunc verum amplius non esset, Deo moventi, et excitanti liberum arbitrium cooperari assentiendo excitationi, et vocationi Dei: ergo in sensu diviso voluit intelligi, quod liberum arbitrium dissentire possit, si velit.

Palmari, uti inquiunt, exemplo ostendimus; constat enim 1. fieri non posse, ut simul circa rem eamdem habeatur actus duarum potentiarum sibi invicem oppositarum, videlicet, consensus in rem aliquam a potentia consentiendi, et dissensus ab eadem re a potentia dissentiendi: 2. potentiam consentiendi, et potentiam dissentiendi simul stare posse, quamvis actus illarum circa rem eamdem simul stare non possit: 3. propter hoc, quod stare non possint actus illarum potentiarum circa rem eamdem, nullo modo sequi, ut semel posito a potentia consentiendi suo proprio actu, videlicet, consensione, potentiam dissentiendi aut veræ potentiæ rationem non habere, aut non esse liberam.

Quare apposite ad condemnationem erroris Lutheri, et Calvini Tridentini Patres sanxerunt, liberum arbitrium, quod antea statuerant, Deo moventi, et excitanti cooperari consentiendo, sanxerunt, inquam, liberum arbitrium posse dissentire, si velit.

Prob. prop. Auctoritate Tridentini Concilii conceptis verbis definitum fuit, quod nos modo propugnamus, quaque ipsum ratione statuit, liberum arbitrium a Deo motum, et excitatum posse dissentire, si velit, et nos quoque nunc tuemur, sicuti constat ex iis, quæ fuse disseruimus: auctoritate itaque Concilii Tridentini propositionem nostram firmatam habemus. De ea constat etiam ipsa experientia, qua novimus, semel ac agamus libere, etiam dum agimus, remanere in nobis potentiam ad actum oppositum. Hinc Auctor Operis de *Vocat. gent.* lib. 2. cap. 28., Deus, inquit: „Ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, ut etiam a „perseveraturis illam possibilitatem, quæ potest nolle, non au-

„ ferat. Alioquin nemo unquam fidelium recessisset a fide, nemi-
„ nem concupiscentia vinceret, neminem tristitia clideret, ne-
„ minem iracundia debellaret, nullius caritas refrigesceret, nul-
„ lius patientia frangeretur." Et S. Thomas quæst. 23. de *Verit.* art. 5. ad 2. ait: „ Dicendum, quod quamvis Deus possit
„ removere omne impedimentum causæ secundæ, quum voluerit,
„ non tamen semper removere vult, et sic remanet contingen-
„ tia in causa secunda, et per consequens in effectu." Et ad 3,
„ Dicendum, quod quamvis non esse effectus divinæ voluntatis
„ non possit simul stare cum divina voluntate; tamen potentia
„ deficiendi effectum simul stat cum divina voluntate: non enim
„ sunt ista incompossibilia: Deus vult istum salvari, et iste
„ potest damnari; sed ista sunt incompossibilia: Deus vult istum
„ salvari, et iste damnatur." Verum hac de re satis.

Prop. VIII. Semel ac gratia reponatur in cælesti delectatione *indeliberata*, non subsistit integritas liberi arbitrii cum efficacia gratiæ.

De cælesti delectatione spectata in se modo non agimus, sed de illa, quatenus indeliberata esse dicitur. Jansenius lib. 4. de *Grat. Christi* cap. 11. illam cælestem delectationem, in qua, uti vidimus, essentiam gratiæ reponit, dicit esse: *Actum indeliberatum cælitus immissum in voluntatem, per quem ei bonum propositum vel suaviter tantum placet... vel etiam in bonum appetendum commovetur.* Unde superaddit, hujusmodi delectationem *esse partim primum illum, et indeliberatum affectum animæ, qui actualis complacentia est, partim etiam, ac crebro secundum, qui desiderium indeliberatum dicitur.* Delectationem autem, de qua loquitur, esse *actum voluntatis* ipse quoque fatetur, sicuti non fateri non poterat.

Verum ut, quod nunc contendimus, magis distincte pateat, adverti debet, in hoc toto negotio motionis divinæ gratiæ, quoad unam partem actioni voluntatis nullum locum esse, quoad alias esse sane, atque ita quidem, ut voluntas libere agat. „ Quoniam
„ ipse, (inquit S. Augustinus lib. de *Grat. et lib. arb.* num.
„ 33.) ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus coope-
„ ratur perficiens... Ut ergo velimus, sine nobis operatur; quum
„ autem volumus, et sic volumus, ut faciamus, nobiscum coo-
„ peratur." His S. Augustini verbis insistens Præceptor Angelicus 1. 2. quæst. 111. art. 2. distinguit duplicem operationem respectu gratiæ moventis: „ In illo effectu, (inquit) in quo mens
„ nostra est mota, et non movens, solus autem Deus movens,
„ operatio Deo tribuitur... In illo autem effectu, in quo mens
„ nostra et movet, et movetur, operatio non solum attribuitur
„ Deo, sed etiam animæ." Ut ergo velimus, fiamusque volentes ex nolentibus, Deus operatur in nobis sine nobis, propterea quum ad hoc nullus interveniat actus nostræ voluntatis,

neque deliberatio ejus potest intervenire : ea tamen interveniat oportet, quando volumus, et operamur, atque Deus nobiscum operatur, indeque nos contendimus, non subsistere liberi arbitrii integritatem, semel ac ponatur, nos sub efficaci gratia velle, et operari ductos *indeliberata* cælesti delectatione.

Prob. prop. Indeliberatio opponitur deliberationi : sed ad libertatem deliberatio necessario requiritur : ergo indeliberatio opponitur libertati : ergo delectatio indeliberata, quatenus indeliberata opponitur libertati actus ipsius delectationis. Prior propositio est per se nota : de veritate autem alterius non minus constat. Sicuti enim inquit S. Thomas 1. part. quæst. 83. art 3., et ipsa per se ratio suadet, „ Proprium liberi arbitrii „ est electio : ex hoc enim liberi arbitrii esse dicimur, quod „ possumus unum recipere, alio recusato, quod est eligere, et ideo „ naturam liberi arbitrii ex electione considerare oportet. Ad „ electionem autem concurrit aliquid ex parte cognitivæ virtutis, „ et aliquid ex parte appetitivæ. Ex parte quidem cognitivæ re- „ quiritur consilium, per quod dijudicatur, quid sit alteri præfe- „ rendum. Ex parte autem appetitivæ requiritur, quod appeten- „ do acceptetur, quod per consilium dijudicatur." Quapropter ad libertatem arbitrii requiritur electio : ad hanc autem non minus requiritur consilium, per quod dijudicatur, quid sit alteri præferendum, quam deliberatio, qua appetendo acceptetur, quod per consilium dijudicatur : ergo ad libertatem deliberatio necessario requiritur : ergo indeliberatio libertati opponitur. Item : sicuti inquit S. Augustinus lib. 3. de *Lib. Arb.* num. 8. *Non est liberum, quod in potestate non habemus.* Verum, inquit idem S. Doctor lib. de *Spir. et litt.* num. 53. *Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit, si non vult, non facit*: sed absque deliberatione nemo facit, aut non facit, quod in illius est potestate positum tam facere, quam non facere: ergo exercitium libertatis sine prævia determinatione haberi non potest. Hinc S. Thomas 1. 2. quæst. 6. art. 2. ad 2. ait : *Ex hoc contingit, quod homo est dominus sui actus, quod habet deliberationem de suis actibus. Ex hoc enim quod ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas in utrumque potest.* Quod hic habet Angelicus, sentit unusquisque quotidiana experientia in se confirmatum. Constat ergo quam maxime, ad libertatem necessario requiri determinationem : verum est ergo, indeliberationem libertati opponi, itemque verum est, delectationem indeliberatam, quatenus indeliberatam, opponi libertati actus ipsius delectationis. Hac autem de re semper magis magisque constabit, si ad ea attendatur, quæ Disput. 9. lib. 2. cap. 2. de libertate arbitrii contra Jansenium diximus. Mirandum ergo non est, si ipse, hoc suo principio de cælesti indeliberata delectatione semel posito, ad gravissimos errores viam sibi paraverit. Multa pro more suo Jansenius lib.

4. de *Grat. Christi* cap. 11. S. Augustini loca congessit ad ostendendum, quod in ipsa inscriptione capitis sibi proposuerat, quæ hæc est : *Delectatio illa cælestis secundum Augustini mentem est actus vitalis, et indeliberatus animæ, et quidem amoris, et desiderii præcedentis consensum.* Legi singula S. Augustini a Jansenio in medium prolata, et ne unum quidem inveni, ex quo colligi quovis modo possit, quod vult Jansenius. Ea nunc expendere nimis operosum esset, atque ab institutionum Theologicarum natura alienum.

Ex his, quæ huc usque disputavimus de libertate arbitrii sub efficacia gratiæ, facile solvuntur omnes objectiones, quæ in medium afferri possunt, et revera afferuntur a multis, ut ostendant efficaciam gratiæ obesse libertati. Quæ contra efficaciam gratiæ moventis ad bonum cum præjudicio liberi arbitrii objiciuntur petita ex minus recta notione libertatis, quasi ad essentiam illius pertineret, tam bene, quam male agere posse, solvuntur ex iis, quæ in propositione prima disseruimus: quæ in 2.; ostendunt, tantum abesse, ut liberum arbitrium ab efficacia gratiæ lædatur, sicuti quidam opponunt, quin potius perficitur : quæ in 3. ; inde etiam liberum arbitrium ab efficacia gratiæ perfici convincunt, quia ab ea elevatur ad opera salutis, quæ sunt supra virtutem illius: quæ in 4. ; demonstrant, libero arbitrio consentaneum esse, ut moveatur a Deo, propterea que falli eos, qui, libero arbitrio opponi motionem gratiæ efficacis, conantur ostendere: quæ in 5 ; planum faciunt, quomodo ab ipsa efficaci gratia fiat, ut libere velimus, indeque evanescit omnis contrarietas, quæ opponitur intercedere inter efficaciam gratiæ, et liberum arbitrium: quæ in 6. ; suos libero arbitrio fines constituunt, atque ostendunt, illud prævalere nullo modo posse supra efficaciam gratiæ, contra ac ad integritatem ejus nonnulli requirunt: quæ in 7. : suadent sub efficaci gratia liberi arbitrii integram remanere potestatem, atque nullius esse momenti, quæ contra eamdem potestatem, posita gratia efficaci, in medium afferuntur : quæ in 8. ; præfiniunt, quo gratia efficax in suis effectibus sese non extendat in præjudicium humanæ libertatis, indeque locus occluditur impugnandi unionem gratiæ efficacis cum libero arbitrio.

LIBER QUINTUS.

De ceteris divisionibus gratiæ actualis.

Gratia actualis dividitur non solum in sufficientem, et efficacem, de quibus in lib. præc. egimus, sed etiam in excitantem, et

adjuvantem, in operantem, et cooperantem, in prævenientem, et subsequentem. De hac igitur triplici divisione gratiæ in tribus distinctis capitibus nunc agemus.

CAPUT PRIMUM.

De gratia excitante, et adjuvante.

Nomine gratiæ excitantis intelligitur ea gratia, qua Deus illuminat intellectum, excitans in illo sanctam cogitationem supernaturalium bonorum, et singulari auxilio afficit voluntatem, in ea excitans indeliberatam affectionem supernaturalium bonorum respondentem sanctæ cogitationi. Quare gratia excitans suo lumine intellectum, sua virtute voluntatem afficit: suo lumine intellectum respectu sanctæ cogitationis, sua virtute voluntatem respectu indeliberatæ affectionis erga bonum supernaturale. *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, et adjuti fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum*: ita Tridentini Patres sess. 6. cap. 6. Quapropter proprius effectus gratiæ excitantis respectu intellectus nostri, est excitare illum, ut attendat iis, quæ ad salutem pertinent, respectu voluntatis producere in illa quosdam supernaturales motus indeliberatos, quibus disponitur vel ad opera salutis, vel ad perseverandum in justitia. Quare gratia excitans tam in non justificato quam in justificato homine locum habet: non justificatum ad gratiam justificationis remote disponit: justificatum excitat tum ad justitiæ opera, tum ad perseverandum in justitia.

Nunc pauca de notione adjuvantis gratiæ: hæc igitur nostram infirmitatem adjuvat, viresque præbet ad efficienda salutis opera. Unde gratia excitans, et adjuvans in eo præcipue differunt inter se, quod effectus gratiæ excitantis, est prima, atque imperfecta voluntas boni operis, adjuvantis autem est exequutio illius boni operis, quod voluntas per gratiam excitantem jam velle, atque desiderare cœperat.

Prop. I. Gratia convenienter dividitur in excitantem, et adjuvantem.

Prob. prop. *Apocalyp.* 3. 20. hæc leguntur: *Ecce sto ad ostium, et pulso: si quis aperuerit mihi, introibo. Psal.* 78. 9. *Adjuva nos Deus salutaris noster. Psal.* 118. 117. *Adjuva me, et salvus ero. Roman.* 8. 26. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* Concilium Arausicanum II. can. 25. „Hoc etiam salubriter pro„fitemur, et credimus, quod in omni opere bono nos non incipi-

„ mus, et postea per misericordiam Dei adjuvamur, sed ipse „ nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, et fidem, et amo- „ rem sui prius inspirat, ut et baptismi sacramentum fide- „ liter requiramus, et post baptismum ipsius adjutorio ea, quæ „ sibi placita sunt, implere possimus." Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5. declaravit, „ Ipsius justificationis exordium in „ adultis a Dei per Jesum Christum prævenient gratia sumen- „ dum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua, nullis eorum exis- „ tentibus meritis, vocantur, ut qui propter peccatum a Deo „ erant aversi, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad „ convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gra- „ tiæ libere assentiendo, et cooperando disponantur." Unde S. Augustinus lib. 2. de *Peccat. merit. et remiss.* num. 31. ait: „ Quod a Deo nos avertimus, nostrum est: et hæc est voluntas „ mala; quod vero nos ad Deum convertimus, nisi ipso exci- „ tante, et adjuvante, non possumus: et hæc est voluntas bona." Convenienter itaque dividitur gratia in excitantem, et operantem.

Dices. S. Thomas, qui varias divisiones gratiæ diligentissime prosequutus fuit, supradictæ divisionis nullam mentionem fe- cit: ergo.

R., S. Thomam sub divisione gratiæ prævenientis, et sub- sequentis, vel operantis, et cooperantis, uti colligitur ex II. Sen- tent. dist. 26. quæst. 1. art. 5., gratiam excitantem, et operan- tem comprehendisse.

Prop. II. Gratia excitans completa habet in se veram ratio- nem gratiæ sufficientis.

Eam nunc dicimus gratiam excitantem completam, quæ tum intellectum, tum voluntatem afficit ea ratione, quam supra ex- posuimus. Hanc ergo dicimus esse sufficientem respectu actus li- beri, ad quem ipsa excitat, hoc est, ad pœnitentiam, et alia opera salutis. Ceterum si operatio illius sistat in intellectu tan- tum, tunc eam esse sufficientem, dici non potest.

Prob. prop. Gratia excitans, de qua modo loquimur, susci- tat in voluntate affectionem indeliberatam supernaturalis boni, quæ respondet sanctæ cogitationi in mentem, immissæ ab eadem gratia: ergo gratia excitans aliquid supernaturale voluntati tri- buit interius respectu actus liberi, ad quem ipsa excitat: ergo virtute gratiæ excitantis potest homo id operari, ad quod exci- tatur, propterea que gratia excitans completa habet in se ratio- nem sufficientis gratiæ.

Quare gratia excitans et est principium supernaturale actus in- deliberati voluntatis erga supernaturale bonum, et vires sufficien- tes quoad illum liberum actum, ad quem ipsa excitat, volun- tati tribuit.

Disputant Theologi, utrum gratia excitans distinguatur ab ad- juvante: nos hac de re nunc paucis. Concilium Tridentinum utrius-

quc gratiæ distinctam quidem mentionem facit, atque hominem ad justificationem utraque disponi dicit. Illud sane constat, diversa esse munera gratiæ tum excitantis, tum adjuvantis: excitans enim movet ad actus indeliberatos respicientes bonum salutis, adjuvans vero ad actus liberos ordinatos ad opera salutis. Quo sane fit, ut saltem ex parte effectus una distinguatur ab altera. Videatur hac de re tota Lemosius tom. 4. *Panopl.* lib. 4. part. 1. tract. 7. cap. 16.

Unum tantum majoris gratia claritatis nunc superaddemus iis, quæ diximus de indeliberata affectione erga opera salutis. Præced. lib. cap. 2. prop. 8. cum SS. Doctoribus Augustino, et Thoma animadvertimus, dari et gratiam, qua Deus operatur in nobis sine nobis, et gratiam, qua Deus cum nobis operatur: actio, quæ ad istam gratiam consequitur in nobis, est profecto deliberata: actio vero, quæ ad illam consequitur in nobis, est indeliberata, quia illam Deus facit in nobis sine nobis. Gratia excitante Deus operatur in nobis sine nobis, quum sine nobis affectionem ad opera salutis excitet in nobis, ac propterea quæ ob eam nascitur in nobis affectio ad opera salutis, est indeliberata. Quando autem hujusmodi affectioni adhæremus, et volumus opera salutis, cum deliberatione agimus, et Deus simul cum nobis sua gratia operatur. Unde affirmavit S. Augustinus, quod ut velimus, Deus et incipiens operatur, et sine nobis operatur; itemque tradidit S. Thomas, in illo gratiæ moventis effectu, in quo mens nostra est mota, et non movens, solus autem Deus movens, operatio tribuitur Deo, proptereaque illam nulla nostra prævia determinatio præcedit.

CAPUT SECUNDUM.

De gratia operante, et cooperante.

Gratia adjuvans in operantem, et cooperantem dividitur. Hanc autem divisionem suum locum habere, non solum in actuali gratia, sed etiam in habituali, ostendit S. Thomas 1. 2. quæst. 111. art. 2. Etiam S. Augustinus adjuvantem gratiam in operantem, et cooperantem divisit lib. de *Grat. et lib. arb.* num 33. inquiens; Deus *cooperando perficit, quod operando incipit, quoniam ipse, ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.*

Quod spectat ad hoc doctrinæ caput, illud esset ostendendum, gratiam simul cum voluntate non ita cooperari, ut ab ipsa voluntate sit prius consensus in operationem, antequam

Deus cooperetur : nam gratia Dei cooperans et confirmat voluntatem ad actum perficiendum, et in hunc finem præbet illi vires. Verum hac de re, de qua copiose egit Lemosius tom. 4. *Panopl.* lib. 4. tract. 8. cap. 6. et seqq., nunc disputare non aggredimur, quia abunde constat ex iis, quæ de efficacia gratiæ in pluribus distinctis propositionibus disseruimus, gratiam debere esse præviam determinationi voluntatis. Quare gratia cooperans est quidem subsequens respectu bonæ voluntatis, quæ jam effecta est talis per gratiam operantem, sed est præveniens respecta actus, ad quem ordinatur.

CAPUT TERTIUM.

De gratia præveniente et subsequente.

Gratia licet recte dividatur in prævenientem, et subsequentem, tamen tenendum est, eam semper prævenientem esse, ita ut in omni nostra determinatione ad bonum, atque in omni nostro opere bono gratia secundum rationem causæ præcedat nostram voluntatem. Quidquid enim boni volumus, præeunte Dei motione volumus, et quidquid boni facimus, ipse facit, ut faciamus, sicuti a S. Augustino sæpius inculcatum animadvertimus. Qua igitur ratione gratia dici possit subsequens, ita explicat S. Thomas 1. 2. quæst. 111. art. 3. inquiens: „Sicuti gratia „dividitur in operantem, et cooperantem secundum diversos „effectus; ita etiam in prævenientem, et subsequentem, quali„tercumque gratia accipiatur. Sunt autem quinque effectus „gratiæ in nobis: quorum primus est, ut anima sanetur: se„cundus; ut bonum velit: tertius; ut bonum, quod vult, ef„ficaciter operetur: quartus; ut in bono perseveret: quintus; „ut ad gloriam perveniat. Et ideo gratia secundum quod cau„sat in nobis primum effectum, vocatur præveniens respectu „secundi effectus: et prout causat in nobis secundum, voca„tur subsequens respectu primi effectus. Et sicut unus effec„tus est posterior uno effectu, et prior alio; ita gratia potest „dici præveniens, et subsequens secundum eumdem effectum „respectu diversorum." Et S. Augustinus lib. de *Nat. et Grat.* num. 35. *Prævenit* (inquit) *ut sanemur, quia et subsequitur, ut sanati vegetemur: prævenit, ut vocemur, subsequitur, ut glorificemur: prævenit, ut pie vivamus, subsequitur, ut cum illo semper vivamus: quia sine illo nihil possumus facere.* Quare Tridentini Patres sess. 6. cap. 16. loquentes de Christi virtute, quæ influit in justificatos: *Quæ virtus* (inquit) *bona*

eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur. Illud ergo hac in re cavendum est, ne gratia dicatur subsequens, vel quia ipsa subsequitur nostra bona merita, sicuti Pelagiani contendebant, vel quia aliqui *vocationem spontanei cursus fervore prævenerunt*, uti sensit Cassianus, auctore S. Prospero in lib. *Cont. Collator.* cap. 18. num. 2., vel quia Deus non confert gratiam hominibus, nisi prius viribus naturalibus id totum ipsi fecerint, quod in se est, quemadmodum nonnulli Theologi recentiores putarunt, quos jam refutavimus.

LIBER SEXTUS.

De gratia habituali.

Actuales gratiæ, de quibus usquemodo sumus loquuti, sunt ordinatæ ad comparandam, vel jam comparatam conservandam habitualem gratiam. Hæc est omnium præstantissima gratiarum, qua efficimur consortes naturæ divinæ, et Dei filii adoptivi. Dicitur vero habitualis, quia non, sicuti gratia actualis, consistit in motione divina transeunte, sed in quoddam habitu nobis inhærente, quo nos induimus alium statum, ac antea habebamus. Quatuor capitibus complectemur totam de gratia habituali doctrinam: in 1. agemus de habituali gratia, quatenus ipsa est quoddam donum nobis intrinsece collatum a Deo: in 2. de natura hujus doni; in 3. de ea distinctione, quæ inter caritatem, et gratiam habitualem intercedit: in 4. de necessitate gratiæ actualis cooperantis etiam in justis ad bene operandum secundum habitus infusos.

CAPUT PRIMUM.

De gratia habituali, quatenus est donum nobis intrinsece collatum a Deo.

Gratiam non esse aliquid nobis interius infusum a Deo, sed solummodo extrinsecum favorem, et benevolentiam Dei, qua anima fit grata, et accepta Deo, Lutherus, Calvinus, Kemnitius, et alii senserunt, sicuti legere est apud Bellarminum lib. 1. de *Grat. et lib. arb.* cap. 3. Contra quos ita definivit Concilium Tridentinum sess. 6. can. 11. „Si quis dixerit, homi-

„ nes justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola „ peccatorum remissione, exclusa gratia, et caritate, quæ in „ cordibus hominum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque „ illis inhæreat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tan- „ tum favorem Dei, anathema sit."

Prop. Gratia habitualis est intrinsecum donum supernaturale in nobis existens.

Prob. prop. Inquit Apostolus *Roman.* 5. 17. *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum.* Profecto mors est malum intrinsecum unicuique, non vero imputatum exterius: igitur si eo modo, quo regnavit mors per delictum unius, regnabunt in vitam æternam, qui accipiunt abundantiam gratiæ, justitiæ, et donationis, oportet sane, ut hujusmodi abundantia intrinsecus recipiatur. Unde Apostolus v. 21. superaddit: *Sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam æternam.*

Et re quidem vera, uti habet idem Apostolus *Roman.* 5. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Nihil autem in nobis magis intrinsece recipitur, quam quod dicitur recipi in cordibus nostris. „ Caritas quippe Dei (inquit S. Augustinus lib. de *Spir. et* „ *litt.* num. 56.) dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua „ nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos: sicut jus- „ titia Dei, qua justi ejus munere efficimur, et Domini salus, „ qua nos salvos facit, et fides Jesu Christi, qua nos fideles „ facit. Hæc est justitia Dei, quæ non solum docet per legis „ præceptum, verum etiam per spiritus donum." Hinc S. Thomas 1. 2. quæst. 110. art. 1. animadvertit, hoc discriminis intercedere inter gratiam hominum, et gratiam Dei, ut illa bonum præsupponat, ista producat. Voluntas enim hominis movetur a præexistenti bono, indeque non est tota causa bonitatis, sed illam vel omnino, vel ex aliqua parte præsupponit: contra vero quum in rebus creatis quodvis bonum sit a Deo, inde est, ut ex dilectione ejus quodvis bonum in creata profluat. Unde secundum diversitatem boni differens dilectio Dei erga creata debet attendi; una quidem communis, qua Deus diligit omnia, quæ fecit; altera singularis, qua Deus elevat hominem supra conditionem suæ naturæ ad participationem boni divini: et secundum hanc dilectionem dicitur Deus diligere simpliciter, quia ea vult homini bonum æternum, quod ipse est. *Sic igitur* (superaddit S. Thomas) *per hoc, quod dicitur homo gratiam Dei habere, significatur quiddam supernaturale in homine a Deo proveniens.*

Dices. 1. traditur in Sacris litteris, nos esse justos per jus-

titiam Christi, sicuti constat ex Apostolo ad *Philipp.* 3. 9. deinde in Christo Jesu nos effici justitiam Dei, uti II. *Corint.* 5. 21. legitur: 3. hominem non justificari coram Deo, affirmat Regius propheta psal. 142. 2. Hæc autem tria pugnant cum assertione nostra.

R. ex hisce tribus nihil minus colligi posse, quam quod hæretici vellent. Alia est igitur justitia Dei, alia justitia Christi, neutra autem ex illis dici potest justitia nostra. Justitia Dei respectu justitiæ nostræ habet rationem causæ efficientis, justitia autem Christi causæ meritoriæ. Hinc Apostolus cit. loco dicit, se existimare omnia detrimentum esse, ut ipse inveniatur *in* illo, hoc est, Christo Jesu, habens justitiam illam, *quæ est ex fide Christi Jesu.* Unde quam cupit habere justitiam, ex merito fidei in Christum repetit; atque inde etiam *Roman.* 5. 1. ait: *Justificati igitur ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum.* Et *Roman.* 3. 22. *Justitia autem Dei per fidem Jesu Christi in omnes.* Dei: inquam, justitia: nam *Deus justificat*, sicut dicit idem Apostolus *Roman.* 8. 33. Quare S. Augustinus de justitia Dei, ita habet lib. 3. *Cont. duas epist. Pelagian.* num. 20. *Non propterea justitia Dei dicitur, quoniam Deus ea justus est, sed quia homini ex Deo est*; ita etiam non propterea dicitur justitia Christi, quia Christus ea justus est, sed quia homini est ex Deo ob merita Christi.

Ex his autem constat, qua ratione dicatur, nos effici justitiam Dei in Christo: nam sicuti habetur in citato loco, qui subinde opponitur: *Qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso.*

Et quod ait (Regius propheta) non justificabitur, ad illam perfectionem justitiæ retulit, quæ in hac vita non est; inquit S. Augustinus lib. de *Perfect. justit.* num. 38. Nam, sicuti prosequitur S. Doctor num. 39. „ secundum id, quod ex Deo „ nati sumus, in eo, qui apparuit, ut peccata tolleret, id est, „ in Christo manemus, non peccamus... secundum autem quod „ de homine illo nati sumus, per quem peccatum intravit in „ mundum... sine peccato non sumus."

Alia, quæ contra possent opponi, in disputatione de justificatione diluemus, quando demonstrabimus, homines justificari non per imputationem justitiæ Christi, sed per justitiam sibi inhærentem.

CAPUT SECUNDUM.

De natura habitualis gratiæ.

Illud non solum consensione Theologorum, sed etiam Scripturæ auctoritate constat, gratia sanctificante nos fieri Dei filios,

et consortes naturæ divinæ, sicuti legitur in epist. ad *Roman.* 8. 16., et II. *Petri* 1. 4. In quo autem consistat natura ejus doni, per gratiam habitualem nobis intrinsece collati, disputatur a pluribus. Quod Sacris litteris, et definitionibus Ecclesiæ magis conforme esse putamus, nunc tuebimur.

Prop. Gratia habitualis in quadam qualitate consistit, quæ habitus merito dicitur.

Prob. prop. Gratia habitualis est intrinsecum supernaturale donum in nobis existens, sicuti contra Novatores Tridentini Patres definierunt, utpote constitutum auctoritate Scripturæ, quemadmodum in cap. præced. ostendimus. Hoc autem supernaturali dono, interius semel recepto, sumus filii Dei, et consortes naturæ divinæ, sicuti Paulus, et Petrus Apostolus tradiderunt: tales ergo tunc interius efficimur, quales antea non eramus: quædam ergo qualitas nobis infunditur interius, qua evadimus tales, quales antea non eramus: gratia igitur habitualis est quædam qualitas. „Non est conveniens (inquit S. Thomas 1. 2. „quæst. 110. art. 2.), quod Deus minus provideat his, quos „diligit ad supernaturale bonum habendum, quam creaturis, „quas diligit ad bonum naturale habendum. Creaturis autem „naturalibus sic providet, ut non solum moveat eas ad actus „naturales, sed etiam largiatur eis formas, et virtutes quas„dam, quæ sunt principia actuum, ut secundum se ipsas in„clinentur ad hujusmodi motus... Multo igitur magis illis, quos „movet ad consequendum bonum supernaturale æternum, in„fundit aliquas formas, seu qualitates supernaturales, secundum „quas suaviter, et prompte ab ipso moveantur ad bonum æter„num consequendum: et sic donum gratiæ qualitas quædam est."

Hoc esse definitum in Concilio Viennensi sub Clemente V. celebrato ann. 1311., *Clement.* 1. de *Sum. Trinit., et fide Cathol.*, nonnulli voluere. Id sane nos cum gravissimis Theologis non tuemur, sed hoc unum tantum contendimus, auctoritati solum modo Concilii Tridentini inhærentes, nostram sententiam esse valde conformem definitioni ejus latæ in cit. can. 11., immo vero illam ex eadem definitione aperte consequi. Nam in hac statuitur, gratiam in justificatione diffundi in cordibus nostris, atque inhærere illis: hæc autem diffusio gratiæ, ejusque inhæsio in cordibus nostris, si respiciatur respectu hominis recipientis infusionem, et inhæsionem, rectissime designatur nomine qualitatis, et quidem habitualis, unaque simul præcavetur error hæreticorum, qui eamdem gratiam in quadam extrinseca benevolentia Dei reponunt. Hoc autem alterum inde magis magisque confirmatur, quia, sicuti legitur apud Bellarminum lib. 1. de *Grat. et lib. arb.* cap. 3., Calvinus in *Antidoto cont. Trident.* cap. 7. contendit, *nullam justitiæ partem in qualitate sitam esse*, et Kemnitius in *Examine Concil. Trid.* ipsum Con-

cilium redarguit, quia reposuit gratiam justificationis in qualitatibus, et virtutibus infusis, et tandem Tilmannus Keshusius in lib. de *Sexcentis erroribus Pontificiorum* loco 6. num. 2. illud reprobat in Cathechismo Concilii Tridentini, quod docuerit, gratiam justificantem esse divinam qualitatem inhærentem in anima. Verum hac de re satis.

CAPUT TERTIUM.

De ea distinctione, quæ intercedit inter gratiam habitualem, et caritatem.

Non una, eademque hac de re est opinio Theologorum: quidam enim, etiam antiquiores, quos recenset Estius in II. *Sentent.* dist. 26. §. 4., gratiam in se spectatam non distingui realiter a caritate, putarunt, sed solummodo vel nomine tenus, vel secundum diversa munera. Plures quoque recentiores Theologi eamdem sententiam tenent, eamque S. Augustini fuisse, tuentur. Gratiam distingui realiter ab infusis virtutibus, ideoque etiam a caritate, Thomistarum sententia est.

Prop. Gratia spectata in se realiter distinguitur a caritate.

Prob. prop. Apostolus II. *Corint.* 13. 13. ait: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et Caritas Dei.* I. *ad Timot.* 1. 14. *Superabundavit autem gratia Domini nostri Jesu Christi cum fide, et dilectione.* Apostolus in priori loco gratiæ, et caritatis, uti rerum distinctarum, mentionem facit, et gratiam dicit esse Jesu Christi, quia confertur nobis propter merita ejus, caritas autem Dei, quia Deus est caritas: in altero autem affirmat, in nobis superabundasse gratiam cum fide, et dilectione: igitur hoc quoque in loco statuitur, gratiam revera distingui a dilectione, alioquin sequeretur, Apostolum docuisse dilectionem abundasse una cum dilectione. Rem eamdem confirmat Apostolus *Roman.* 5. 5. dicens: *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Et *ad Galat.* 5. 22. *Fructus autem spiritus est caritas, gaudium, pax.*

Nunc de sententia S. Augustini videamus. Lib 1. ad *Simplicianum* quæst. 2. num. 2. ait: *Quum ergo nos ea delectant, quibus proficimus ad Deum, inspiratur hoc, et præbetur gratia Dei.* Lib. 2. de *Peccat. merit. et remiss.* num. 6. *Ut autem innotescat, quod latebat, et suave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates.* De *Nupt. et concup.* lib. 1. num. 33. *Ista condelectatio legi Dei secundum interiorem hominem de magna nobis venit gratia Dei.* Lib.

de Dono persever. num. 41. *gratia prævenit etiam caritatem.* Lib. 4. *Cont. Julianum* num. 48. *Virtus donatur vera per gratiam.* Lib. 2. *Cont. duas epist. Pelagian.* num. 21. *Ergo benedictio dulcedinis, id est, gratia Dei, qua fit in nobis, ut nos delectet, et cupiamus, et amemus quod præcipit nobis.* Non est, cur alia in medium proferamus: nam prolata omnino evincunt, quod volumus.

Nostra sententia est quidem omnino conformis iis, quæ sess. 6. cap. 7. constituerunt Tridentini Patres, licet non secus ac de aliis, de quibus a Theologis in utramque partem disputatur, nullum de illa judicium tulerint. Citato itaque loco declararunt, fieri renovationem interioris hominis *per voluntariam susceptionem gratiæ, et donorum.* Can. 11. ita decrevere: *Si quis dixerit, homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, et caritate... anathema sit.* In canonibus sub forma anathematismi rediguntur principia doctrinæ tradita in capitibus: quum ergo Patres constituerint, homines, quando justificantur, interius renovari per gratiam, et dona; quum distincte definierint, in justificatione hominis excludi non posse tam gratiam, quam caritatem, tum illam, tum istam uti res in se distinctas habuisse, consequitur.

Pluribus in locis gratiam a caritate distingui realiter, propugnat Angelicus: id tuetur 1. 2. quæst. 111. art. 3., in II. *Sentent.* quæst. 1. art. 4., lib. III. *Cont. Gent.* cap. 151. et seqq., quæst. 27. de *Verit.* art. 2., in quo, posita veritate finis supernaturalis, adquem Deus præparat hominem, ita habet: „Unde oportet, quod homini detur aliquid, non solum „per quod operetur ad finem, vel per quod inclinetur ejus „appetitus in finem illum, sed per quod ipsa natura hominis „elevetur ad quamdam dignitatem, secundum quam talis finis „sit ei competens, et ad hoc datur gratia. Ad inclinandum „autem affectum in hunc finem datur caritas, ad exequendum „autem opera, quibus prædictus finis acquiritur, dantur aliæ „virtutes. Et ideo sicut in rebus naturalibus est aliud natura „ipsa, quam inclinatio naturæ, et ejus motus, vel operatio; „ita et in gratuitis est aliud gratia a caritate, et ceteris „virtutibus."

Ne in solvendis iis, quæ contra nos possent opponi, diutius immoremur, illud nunc advertimus, multa quidem in Sacris litteris tribui caritati, quæ, prævia gratia supposita, ipsa præstat. Nam *Joan.* 14. 21. hæc leguntur: *qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo ei me ipsum.* At etiam de fide hæc habet Apostolus *Roman.* 5. 1. *Justificati ergo per fidem pacem habeamus ad Deum*: de spe *Roman.* 8. 24. *Spe enim salvi facti sumus*: et I. *Joan.* 3. 3. *Et omnis, qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut ille sanc-*

tus est. Sed licet fidei, et spei hæc omnia, sicut alia multa, tribuantur, ea tamen ipsæ non præstant, nisi sint conjunctæ cum caritate; ita quoque, sicuti inquit S. Thomas quæst. 27. de *Verit.* artic. 2. ad 4. „Caritas non sufficeret ad merendum bo„num æternum, nisi præsupposita idoneitate merentis, quæ est „per gratiam: aliter enim dilectio nostra non esset tanto præ„mio condigna." Hinc idem S. Doctor 1. 2. quæst. 110. art. 4. statuit subjectum gratiæ esse animam, non vero potentias illius, quia omnis perfectio cujuslibet potentiæ habet rationem virtutis: unde inquit: „Sicut enim per potentiam intellectivam „homo participat cognitionem divinam per virtutem fidei, et „secundum potentiam voluntatis amorem divinum per virtutem „caritatis; ita etiam per naturam animæ participat secundum „quamdam similitudinem naturam divinam per quamdam gene„rationem, seu recreationem."

CAPUT QUARTUM.

De necessitate actualis gratiæ cooperantis etiam in justis ad salutariter operandum juxta habitus infusos.

Justi gratiam habitualem habent, unaque simul habitus fidei, spei, et caritatis sibi infusos cum ipsa gratia. Utrum ipsi indigeant actuali auxilio divino ad operandum juxta habitus infusos, nunc definiendum aggredimur. Solo generali concursu Dei justos conformiter ad habitus infusos operari posse, ipsis infusis habitibus gratiæ prævenientis, et cooperantis vicem gerentibus, Molina tenuit. Quidam sectatores illius voluere, gratiam adjuvantem requiri ad operandum juxta habitus infusos: nomine autem gratiæ adjuvantis, intellexerunt gratiam cooperantem, consentiente libero arbitrio, hoc est, pedisequam liberi arbitrii. Alii putarunt, esse quidem necessariam ad actus supernaturales respondentes habitibus infusis gratiam excitantem, nullo autem modo adjuvantem, quae simul cooperetur, proindeque juxta eos infusi habitus agunt vices cooperantis gratiæ, semel ac illis liberum arbitrium bene uti constituerit (a). Contra quos omnes sit.

Prop. 1. Habentes habitum fidei, spei, et caritatis indigent actuali Dei auxilio ad eos salutares actus, qui respondent hujusmodi habitibus.

Prob. prop. *Joan.* 15. 5. ait Christus: *Sine me nihil potestis facere.* Psal. 26. 9. ait David: *Adjutor meus esto, ne de-*

(a) Vid. Lemosius tom. 4. *Panopl.* lib. 4. cap. 2. Tract. 1. cap. 1.

relinquas me. Illa Christus dixit Apostolis, qui erant justi: hæc Regius propheta pro se, jam justo, deprecatur. Ex utroque autem loco S. Augustinus lib. de *Corrept. et Grat.* num. 2. hanc nostram veritatem collegit, inquiens: „*Si vos filius Dei liberave-*„*rit, tunc liberi eritis* (a), nec ita, ut quum quisque fuerit „a peccati dominatione liberatus, jam non indigeat sui liberato-„ris auxilio. Sed ita potius, ut ab illo audiens: *sine me nihil* „*potestis facere*; dicat ei, et ipse: *adjutor meus esto, ne de-*„*relinquas me.*" Deinde superaddit S. Doctor, hanc fidem esse *veram, prophetizam, apostolicam, catholicam.* Et lib. de *Grat. Christi.* num. 20. ita habet in eamdem rem: „Facit „homo arborem bonam, quando Dei accepit gratiam... nec „tantum ut arbor sit bona, sed etiam ut faciat fructus bonos, „ea lem gratia, necessarium est, ut adjuvetur." Lib. 6. *Oper. Imperf.* cap. 15. „Profecto nisi Deus adsit, nemo est idoneus „certare cum vitiis.... Ideo in hoc agone voluit nos Deus ma-„gis certare orationibus, quia et ipsas vires, quantas hic ha-„bere nos competit, ipse subministrat certantibus, quem ro-„gamus. Si ergo hi, quorum contra carnem spiritus concu-„piscit, ad actus singulos indigent Dei gratia, ne vincantur, „qualem libertatem voluntatis habere possunt, qui nondum „de potestate eruti tenebrarum?" Innocentius I. in epist. (b) ad Patres Concilii Milevitani num. 3. ait: „Audiat David di-„centem: *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, et: *Adjutor* „*meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus sa-*„*lutaris:* quæ incassum dixerit, si tantum in ejus erat posi-„tum voluntate, quod a Deo flebili sermone poscebat."

S. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 9. hujus rei, de qua agimus, principium intrinsecum detexit: illud ergo primo loco constituit, hominem dupliciter indigere auxilio Dei ad recte vivendum, hoc est, et illius habituali gratia, qua natura corrupta sanetur, et sanata elevetur ad opera meritoria vitæ æternæ, quæ excedunt proportionem illius, et auxilio gratiæ, quo moveatur ad agendum. Hominem justum non indigere auxilio Dei secundum priorem rationem, sed secundum alteram, affirmat: „Primo quidem (inquit) ratione generali propter hoc, quod „sicut supra dictum est art. 1. hujus quæst., nulla res creata „potest in quemcumque actum prodire, nisi virtute motionis „divinæ. Secundo ratione speciali propter conditionem status „humanæ naturæ, quæ quidem licet per gratiam sanetur quan-„tum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, et infectio „quantum ad carnem, per quam *servit legi peccati*, ut dici-„tur ad *Roman.* 7. 25. Remanet etiam quædam ignorantiæ

(a) *Joan.* 8. 36.
(b) Inter Augustinianas olim 93., modo 182.

„ obscuritas in intellectu, secundum quam, ut etiam dicitur „ *Roman.* 8. 26. *quid oremus, sicut oportet, nescimus.* Propter varios enim rerum eventus, et quia etiam nos ipsos non „ perfecte cognoscimus, non possumus ad plenum scire, quid „ nobis expediat secundum illud *Sapient.* 9. 14. *Cogitationes „ mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ.* Et ideo „ necesse est, ut a Deo dirigamur, et protegamur, qui omnia novit, et omnia potest. Et propter hoc etiam renatis in „ filios Dei per gratiam convenit dicere: *Et ne nos inducas „ in tentationem;* et: *fiat voluntas tua sicut in cœlo, et in „ terra,* et cetera, quæ in oratione Dominica continentur ad „ hoc pertinentia." Hoc totum inculcavit etiam S. Augustinus lib. 2. de *Peccat. merit., et remiss.* num. 4. Tandem gratiam Dei non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege, et doctrina, ait S. Augustinus epist. alias 107., modo 217. num. 4. quod *Hæc est illa Pelagianorum mala, male diffamata, meritoque reprobata, et ab ipso etiam Pelagio timente damnari in Orientalium Episcoporum judicio damnata sententia.*

Dices. Tota gratia Pelagianorum consistebat in lege, et doctrina, sicuti illis sæpius objecit S. Augustinus: contra vero habitualis gratia, quam adversarii supponunt, in lege, et doctrina non consistit, sed in singulari supernaturali dono divinitus infuso: ergo quæ hac de re habemus tradita contra Pelagianos, non faciunt contra nostros adversarios. Eo vel maxime quia „ Quicumque dixerit, gratiam Dei, in qua justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema sit. Ita canon 3. Milevitano Concilio vulgo tributus, qui tamen est synodi I. Africanæ habitæ tempore Zosimi (a).

R. In iis, quæ tum ex Sacris litteris, tum ex Patribus in medium protulimus, occurrere sane, quod etiam contra adversarios nostros faciat: et hoc porro est, quod contra illos occurrit: videlicet et ex Sacris litteris compertum esse, et a Patribus semper objectum fuisse Pelagianis, gratiam Dei dari ad singulos actus: hoc ipsi negant: ergo quoad hoc Sacris litteris, et Patribus contradicunt. Ut unum tantum nunc contra eos testimonium superaddamus: Innocentius I. in epist. ad Patres Concilii Carthaginensis, inter Augustin. olim 91., modo 181. num. 4. illud inculcat, nihil *tam iniquum, barbarum, totius religionis ignarum, quam negare te debere, quidquid in quotidiana gratia consequeris.... Et quum te putes ei debere,*

(a) Vid. Natal. ab Alex. *Hist. Eccles.* sect. 5. cap. 3. §. 8., et Coustantius epist. *Rom. Pont.* in Admot. ad epist. Cælestini 22. num. 11.

quod vivis, quomodo non putas, illi debere, quod quotidianam ejus consequendo gratiam taliter vivis?

Valet autem ea gratia, qua justificamur, etiam ad adjutorium, quo peccata non committantur, sicuti in Africano Concilio statuitur, quatenus ob gratiam habitualem, et virtutes infusas evadimus magis expediti, quam eramus sine illis, ad agenda bona opera: hæc tamen ut agamus, requiritur gratia actualis.

C. Qui prædítus est gratia habituali, habet virtutes sibi infusas: sed virtutes infusæ sunt principium recte vivendi: ergo habet in se principium recte vivendi: ergo ad recte vivendum non indiget actuali gratia.

R. dist., simulque remanet in illo et obscuritas ignorantiæ quantum ad mentem, et corruptio quantum ad carnem, conc. habet virtutes sine certamine adversante exercitationi virtutum, nego, et dist. alteram prop., et virtutes infusæ sunt principium per se expeditum recte vivendi, neg., sunt principium non expeditum, conc. Gratia habitualis adjuvat sane ad recte vivendum, quatenus qui est prædítus gratia habituali, propter habitus virtutis simul cum illa infusos, ad recte vivendum est magis dispositus præ altero, qui gratiam habitualem non habet. Quia tamen gratia habitualis non facit, sicuti advertimus ex D. Thoma, ut nulla ignorantia amplius involuti simus, nullamque carnis corruptionem patiamur; ideo ad recte vivendum, et ad agendum opera salutis divinum auxilium excitans, atque cooperans requiritur.

Neque ex hoc consequitur, ut extenuetur virtus gratiæ habitualis: nam, sicuti ait S. Thomas cit. loco in resp. ad 1. „Donum habitualis gratiæ non ad hoc datur nobis, ut per ipsum non indigeamus ulterius auxilio divino: indiget enim quælibet creatura, ut a Deo conservetur in bono, quod, ab eo accepit: et ideo si post acceptam gratiam homo adhuc indiget auxilio divino, non potest concludi, quod gratia sit in vanum data, vel quod sit imperfecta.... Hic autem aliqualiter gratia imperfecta est, in quantum hominem non totaliter sanat.

Prop. II. Illud divinum auxilium, quo justi indigent ad operandum juxta habitus infusos, est simul excitans, et cooperans.

Prob. prop. Concilium Arausicanum II. ita statuit can. 5. „Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod, accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, et cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere." In hoc negotio Christo tribuuntur duo, scilicet, auxilium, et cooperatio. In cooperatione includi gratiam cooperantem, per se manifestum est. Constat illud quoque, per auxilium significari gratiam

excitantem: nam in justis gratia operans, quæ primo sola agit in hominem, ut ad Deum sese convertat, locum non habet: igitur Concilium sub auxilii nomine intellexit gratiam excitantem quum cooperantem distincte indicaverit. Hinc iidem Arausicani Patres can. 9. hæc sanxerunt: *Quoties bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Gratia excitante in nobis, gratia cooperante nobiscum operatur. In rem istam non est, cur alia superaddamus.

LIBER SEPTIMUS.

De necessitate gratiæ ad verum.

Verum aliud est ordinis naturalis, aliud supernaturalis: quod respicit ordinem naturalem, attingimus lumine rationis: quod autem supernaturalem, lumine fidei, a quo lumine proficiscuntur veritates revelatæ. Quæri igitur potest, utrum gratia sit necessaria ad cognoscendas veritates tam naturalis, quam supernaturalis ordinis. De hoc utroque agemus in duobus distinctis capitibus.

CAPUT PRIMUM.

De veritatibus ordinis naturalis, quatenus gratia non requiritur ad illas cognoscendas.

Veritates ordinis naturalis sunt duplicis generis, hoc est, aliæ speculativæ, quæ sistunt in intellectu, aliæ practicæ, quæ regunt mores: tum illæ, tum istæ accipi possunt et divisive, videlicet unam, aut plures seorsim a ceteris aliis, et collective, videlicet simul omnes sine exceptione aliquarum. Hic autem sermonem habemus non de gratia habituali, sed de actuali, quatenus ex ea menti aliquod lumen affulget.

Prop. Homo in præsenti statu non indiget nova illustratione superaddita lumini rationis ad cognoscendas veritates speculativas ordinis naturalis.

Prob. prop. Ea ratione, quam inculcat S. Thomas 1. 2. quæst. 109. artic. 1. „Unaquæque forma indita rebus creatis „a Deo habet efficaciam respectu alicujus actus determinati, in „quem potest secundum suam proprietatem.... Sic igitur intel-

„ lectus humanus habet aliquam formam, scilicet ipsum intel-
„ ligibile lumen, quod est de se sufficiens ad quædam intelli-
„ gibilia cognoscenda, ad ea scilicet, ad quorum notitiam pos-
„ sumus per sensibilia devenire.... Sic igitur dicendum est,
„ quod ad cognitionem cujuscumque veri homo indiget auxilio
„ divino, ut intellectus moveatur ad suum actum: non autem
„ indiget ad cognoscendam veritatem in omnibus nova illustra-
„ tione superaddita naturali illustrationi." Tamen, sicuti ibidem monet S. Doctor „ Quandoque Deus miraculose per suam gra-
„ tiam instruit de his, quæ per naturalem cognitionem cognos-
„ ci possunt, sicut et quandoque facit quædam, quæ natura fa-
„ cere potest."

Prop. II. Licet homo in hoc statu solo lumine rationis possit cognoscere singulas veritates speculativas, non tamen potest collective omnes.

Prob. prop. Duplex potentia ad cognoscendas veritates distingui debet; una physica, altera moralis: illa attenditur penes proportionem potentiæ cum suo actu: ista penes remotionem illorum impedimentorum, quæ impediunt potentiam, ne eliciat suum actum. Quare quum nulla sit speculativa veritas, quæ non contineatur intra proportionem nostri intellectus: aliunde autem respectu cujusvis veritatis singularis impedimenta non occurrunt, quibus intellectus a cognitione illius retrahatur; potest homo in hoc statu agnoscere solo lumine rationis singulas veritates speculativas. Contra vero si agatur de cognitione veritatum collective acceptarum; tunc sane si spectentur et multitudo illarum, et brevitas vitæ, et ea plura, quibus unusquisque vel propter ipsam conditionem vitæ humanæ, vel propter singulares curas occupatus detinetur, quædam moralis impossibilitas non occurrere non potest. Licet igitur homo in hoc statu solo lumine rationis possit cognoscere singulas veritates speculativas, non tamen collective omnes.

Quare est falsa hæc argumentatio: singulas veritates cognoscere possumus: ergo collective omnes. Nam in priori propositione sermo est de qualibet veritate in se distincte accepta: in altera de veritatibus collective acceptis: quoad cognitionem illius neque physica, neque moralis impotentia occurrit: quoad cognitionem istarum impotentiæ morali est locus.

Prop. III. Homo in hoc statu sine singulari auxilio gratiæ cognoscere potest viribus propriis aliquas veritates morales.

Contra sentit Gregorius Ariminensis in II. *Sent.* dist. 26. quæst. 1. concl. 1., atque tuetur, sine peculiari gratia superaddita lumini naturæ non posse hominem in hoc statu cognoscere aliquam veritatem, quæ conferat ad rectam institutionem vitæ. Idem cum ipso sentiunt etiam quidam alii. Nemo tamen negare potest, quod nos contra ipsum modo tuemur, habere

necessariam connexionem cum iis, quæ adversus Bajum, Jansenium, et Quesnellium disput. 9. lib. 3. cap. 1. et seqq. de operibus infidelium, atque peccatorum disputavimus. Semel ac enim non omnia opera istorum sint peccata, sed aliquà ex illis habere possint, et quandoque revera habeant in se rationem virtutis, licet imperfectæ, quemadmodum jam evicimus; inde consequitur, hominem in hoc statu absque auxilio gratiæ aliquas morales veritates cognoscere per se posse. Ut: enim fert commune axioma: nihil volitum, quin præcognitum.

Prob. prop. Quæ sane constat ex iis principiis tum S. Augustini, tum S. Thomæ, quæ cit. loco in medium protulimus. Ne ergo jam dicta repetamus, nunc ita: constat ex iisdem SS. Doctoribus, lineamenta imaginis Dei in homine propter peccatum ita extincta non esse, ut merito dicatur, eum etiam in impietate suæ vitæ *facere aliqua legis*, *vel sapere*: constat, propter peccatum naturalem inclinationem ad virtutem non deleri: constat, in infidelibus remanere aliquod bonum naturæ, per quod opera bona possint facere: constat, ab infidelibus naturali ratione dirigi posse aliqua bona opera in proximum finem, quæ ulterius in ultimum ordinari possunt, in quem si non ordinentur, sunt sane bona, sed tamen deficientia a perfecta bonitate: constat, eam esse veram virtutem, attamen imperfectam, quæ bonum particulare, uti proximum finem respicit, quale est, v. g. stare promissis, subvenire pauperi etc. constat demum, ut omnia paucis complectamur, eum, qui est vitiosa cupiditate irretitus, aliqua posse agere, quæ sunt bona secundum ordinem moralem, et ideo ista posse, quia propter vitiosam cupiditatem lumen rationis non extinguitur in illo. Hæc vero omnia simul unita nullum dubitandi locum relinquunt, hominem in præsenti statu propriis viribus, et absque singulari auxilio gratiæ aliquas veritates morales cognoscere posse.

Dices. Apostolus II. *Corint.* 3. 5. ait: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ergo multo minus ex nobis aliquid cognoscere. 2. S. Augustinus lib. 6. *Cont. Julian.* num. 50. loquens de ignorantia, quæ contrahitur ob peccatum originale, inquit: *Ignorantia minuitur, veritate magis magisque lucente, concupiscentia minuitur, caritate magis magisque fervente. Nihil boni horum duorum est ex nobis.* Et S. Thomas 1. 2. quæst. 85. art. 3. affirmat., rationem propter peccatum originale destitutam esse suo ordine ad verum. Hisce similia leguntur etiam in aliis Patribus.

R. S. Apostolum loqui de sancta cogitatione, quæ respicit bonum supernaturale. Hinc S. Augustinus lib. de *Prædest. SS.* num. 5., iisdem Apostoli verbis in medium prolatis, ait: *Attendant hic, et verba Apostoli perpendant, qui putant, ex*

nobis esse fidei cœptum, et ex Deo esse fidei supplementum. Quis enim non videt, prius esse cogitare, quam credere?

In citato lib. *Cont. Julian.* loquitur S. Doctor de ea ignorantia, propter quam homo animalis non percipit ea, quæ sunt spiritus: hanc sane propriis viribus a se depellere nemo potest, eamdemque, affirmat S. Augustinus, in hac vita consumi posse in illis, in quibus habitat spiritus Dei.

S. Thomas in citato loco ita habet: „Per justitiam originalem perfecte ratio continebat inferiores animæ vires, et ipsa ratio a Deo perficiebatur ei subjecta. Hæc autem justitia „subtracta est per peccatum primi hominis, et ideo omnes vires animæ remanent quodammodo destitutæ proprio ordine." Quodammodo, inquam, quia sicuti ipse advertit in art. præced. „Donum naturæ, quod per peccatum diminuitur, est naturalis inclinatio ad virtutem: quæ quidem convenit homini „ex hoc, quod rationalis est... Per peccatum autem non potest „totaliiter ab homine tolli, quod sit rationalis... Unde possibile non est, quod prædictum naturæ bonum totaliter tollatur."

Prop. IV. Homo in statu præsenti solo naturali lumine absque illustratione non potest cognoscere collective omnes veritates morales, quæ ad directionem morum requiruntur.

Hujus propositionis duplex est sensus: unus quidem; quod non possit cognoscere collective omnes veritates morales, de quibus constat ex ipso lumine rationis: alter vero, quod lumine rationis non possit pertingere ad cognoscendas omnes veritates morales, quæ requiruntur ad directionem morum. De hoc altero nunc non agimus: nam præced. disputat. lib. 2. cap. 4. et seqq. contra quosdam Juristas Protestantes jam ostendimus, legem naturalem per se non sufficere ad directionem humanorum actuum. Sermo igitur de iis tantum veritatibus moralibus nunc est, quæ attingi possunt lumine rationis, easque collective omnes neminem per se assequi posse absque singulari auxilio divinæ illustrationis, nunc tuemur.

Prob. prop. Et 1. quidem quæ morales difficultates, seu moralia impedimenta obstant, ne collective omnes veritates speculativas assequamur, obstant etiam, et quidem multo magis, ne ad collectivam cognitionem omnium moralium veritatum pertingamus. Nam, sicuti inquit Angelicus 1. 2. quæst. 109. art. 2. ad 3., *Magis natura humana est corrupta per peccatum quantum ad appetitum boni, quam quantum ad appetitum veri.* Quapropter hic major excessus corruptionis, quem intra nos sentimus, difficultatem assequendi collective omnes veritates morales magis magisque singulariter auget. Est ergo in nobis major impotentia moralis ad cognoscendas collective omnes veritates morales, quam ad cognoscendas speculativas. Moralis, inquam, quoad utrasque, non physica: nam physica potentia

nostri intellectus, quo plura attigerit, eo magis perficitur: contra moralem vero ea semper impedimenta decertant, quæ jam innuimus.

Eam autem illustrationem, quæ requiritur ad cognoscendas collective omnes veritates tum speculativas, tum morales, putamus esse Dei conditoris, non vero Christi Redemptoris. Nam 1. gratia Christi ex sui natura ad hoc non tendit, indeque etiam justificati hujusmodi gratia carent. Aliunde autem quum hic loquamur de veritatibus speculativis, atque moralibus, tum quatenus eæ cognosci possunt lumine rationis, tum quatenus ulterius ad aliquid supernaturale per se non tendunt, nullus in ea locus gratiæ Christi esse videtur, sed tantum gratiæ Dei conditoris. Hinc S. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 1. ad 1. ita habet: „Dicendum, quod omne verum, a quocumque „dicatur, est a Spiritu Sancto, sicut ab infundente naturale „lumen, et movente ad intelligendum, et loquendum veritatem, „non autem sicut ab inhabitante per gratiam gratum faciem„tem, vel sicut largiente aliquod habituale donum naturæ su„peradditum. Sed hoc solum est in quibusdam veris cognos„cendis, et loquendis, maxime in illis, quæ pertinent ad fidem."

Est igitur hujusmodi illustratio, si secundum subsantiam spectetur, naturalis, si autem spectetur secundum modum, supernaturalis. Ea enim fit, ut homo, quas non poterat, assequatur veritates, quæ licet non sint supra capacitatem intellectus, tamen eas propter impotentiam moralem assequi non poterat.

CAPUT SECUNDUM.

De veritatibus ordinis supernaturalis, quatenus gratia requiritur, ut iisdem assentiamur et fidem præbeamus.

Ducti lumine fidei ulla sine hæsitatione amplectimur, et credimus veritates revelatas: quare illis credimus, prout oportet ad salutem, quando credimus, quatenus sunt a Deo revelatæ, et ab Ecclesia catholica nobis propositæ ad credendum.

Tam Pelagianos, quam Semipelagianos voluisse initium fidei, qua sumus Christiani, esse ex nobis absque auxilio gratiæ, constat ex S. Augustini operibus, et præcipue ex lib. de *Præd. SS.* ex epist. S. Prosperi, itemque Hilarii ad S. Augustinum, ex S. Fulgentio lib. de *Incarnat.*, ex concilio Arausicano II. Pluribus propositionibus rem istam totam explicabimus, ut perspecta sit etiam falsitas quorumdam male sentientium theologorum etiam in his, quæ spectant ad fidem, tribuentium nostris viri-

bus, quod nullo modo tribui potest. Eos autem Lemosius fuse, solideque refutavit *Panopl.* tom. 4. lib. 4. part. 1. tract. 4. cap. 1. et seqq.

Prop. I. Actus fidei secundum sui substantiam spectatus est supernaturalis.

Ille actus dicitur supernaturalis quoad substantiam, qui est talis secundum suam essentiam, et rationem specificam: actus autem supernaturalis quoad modum est, cujus entitas, ac ratio specifica est naturalis, tamen cum eo modus supernaturalis simul unitur: ita illuminatio cæci dicitur supernaturalis non secundum sui essentiam, et specificam rationem: visio enim, quæ restituitur, quid naturale est, sed secundum modum, quo restituitur.

Prob. prop. „ Fides (inquiunt Tridentini Patres sess. 6. cap. „ 8.) est humanæ salutis initium, fundamentum, et radix om- „ nis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et „ ad filiorum ejus consortium pervenire." Profecto humana salus, omnisque justificatio est quid supernaturale, quod Deus operatur in nobis: ergo si fides est initium humanæ salutis, fundamentum, et radix omnis justificationis, ipsa quoque ex sui natura, atque specifica ratione supernaturalis sit oportet. Quod enim in se, et ex natura sui non est supernaturale, dici non potest initium, fundamentum, et radix ejus, quod in se, et ex sui natura est supernaturale.

Hoc vero est, quod in pluribus suis operibus ostendit contra Pelagianos, atque Semipelagianos S. Augustinus, et in confutationem illorum fidem esse Dei donum supernaturale, semper propugnavit. „ Prius itaque fidem (inquit in lib. de *Præ-* „ *dest. SS.* num. 3.), qua Christiani sumus, donum Dei es- „ se, debemus ostendere, si tamen id diligentius facere possu- „ mus, quod in voluminibus tot, tantisque jam fecimus." Et re quidem vera, sicuti inquit S. Thomas 2. 2. quæst. 6. art. 1. „ Quum homo assentiendo his, quæ sunt fidei, eleve- „ tur supra naturam suam, oportet, quod insit ei ex superna- „ turali principio interius movente, quod est Deus. Et ideo fi- „ des quantum ad assensum, qui est principalis actus fidei, est „ a Deo interius movente per gratiam." Et in resp. ad 3. „ Cre- „ dere quidem in voluntate credentium consistit, sed oportet, „ quod voluntas hominis præparetur a Deo per gratiam ad hoc „ quod elevetur in ea, quæ sunt supra naturam." Actus igitur fidei secundum sui substantiam spectatus est supernaturalis.

Prop. II. Nemo suis viribus, et sine gratia Dei assentiri potest revelatis, quatenus a Deo sunt revelata.

Prob. prop. Certum est, illum fide christiana præditum esse, atque credere, prout oportet ad salutem, qui assentitur revelatis, quatenus ea sunt revelata a Deo: hic enim ea tantum respicimus, quæ respectu fidei debent considerari, ut credamus,

sicut oportet ad salutem. At vero Patres hac de fide decertantes contra Pelagianos, et Semipelagianos, uti dogma catholicum propugnarunt, non solum fidei complementum, sed etiam initium illius a solo Deo esse, ab homine autem nullo modo esse posse. „ Cur autem (inquit S. Augustinus lib. de *Prædest. Sanct.* num. 6.) non totum tribuitur homini, ut qui sibi potuit instituere, quod non habebat, ipse, quod instituit, augeat, omnino non video, nisi quia resisti non potest divinis manifestissimis testimoniis, quibus et fides, unde pietatis exordium sumitur, donum Dei esse monstratur... Nolens ergo his tam claris testimoniis repugnare; et tamen volens a se ipso sibi esse, quod credit, quasi componit homo cum Deo, ut partem fidei sibi vindicet, atque illi partem relinquat: et quod est elatius, primam tollit ipse, sequentem dat illi; et in eo, quod dicit esse amborum, priorem se facit, posteriorem Deum." Rem eamdem non solum S. Augustinus in pluribus aliis locis inculcavit, sed etiam S. Fulgentius lib. de *Incarnat.* etc. cap. 18., S. Prosper sæpius in epist. ad Rufinum, et in Respons. ad 8. *Excerptum Genuens.*, atque II. Arausicanum concilium a se edito decreto definivit can. 5. His autem positis, nunc ita: Patres disputantes contra Pelagianos, et Semipelagianos ea de fide loquebantur, quæ assentitur revelatis, quatenus sunt revelata, quæque facit, ut credamus, prout oportet ad salutem: nam loquebantur ea de fide, cujus tam complementum, quam initium a solo Deo esse potest, ab homine autem æque utrumque nullo modo potest: si autem hæc non est illa vera fides, quæ infallibilitati Dei revelantis innititur, facitque, ut credamus, prout oportet ad salutem, non video sane, quænam alia esse possit: Patres igitur, hominem per se posse assentiri revelatis, quatenus sunt revelata, uti rectæ fidei contrarium habuerunt, atque uti tale II. Arausicani concilii Patres proscripserunt.

Molina, qui fuit opinatus, hominem posse assentiri viribus naturæ revelatis, quatenus revelata sunt, plures exceptiones adhibuit ad vitandum errorem Pelagianorum. 1. Statuit, illum assensum repeti solummodo debere ex parte credentis, non vero ex parte revelationis divinæ: Hoc, sicuti vulgo dicitur, implicat in terminis, videlicet assensum esse in revelata, quatenus sunt revelata, et non esse in eo locum divinæ revelationi. 2. Eodem assensu hominem sibi persuadere, hæc, vel illa esse revelata, non tamen eum inniti divinæ revelationi. Hoc alterum est ejusdem generis, ac prius: nam nulla persuasio revelatorum esse potest sine certa adhæsione ad revelationem. 3. Peculiarem esse eam certitudinem, quæ est a revelatione divina. Est sane peculiaris, quia innititur infallibilitati Dei revelantis, et secundum hanc infallibilitatem, quæ est in solo Deo, complectitur revelata, quatenus sunt revelata. 4. Illum assensum, qui præstatur viribus na-

turæ distingui ab assensu fidei christianæ, qui proficiscitur a gratia. Quis id unquam negaverit? Verum ex hoc sequitur, assensum in ea, quæ sunt fidei christianæ, hoc est, in revelata, quatenus sunt revelata, a nobis esse non posse in nobis. 5. Esse actum opinionis, et fidei humanæ: implicat esse actum opinionis, ac fidei humanæ, et esse actum assensionis in illa, quæ sunt revelata, quatenus revelata: horum enim firmitas neque opinioni, neque fidei humanæ imititur, sed infallibilitati Dei revelantis. 6. Esse naturalem, et prout oportet ad salutem: hoc quoque implicat: est enim jam ostensum a nobis, fidem revelatorum, quatenus sunt revelata, esse supernaturalem, atque talem, qualis requiritur ad salutem. Quæ Molina, ejusque sectatores pro hac sua opinatione in medium protulerunt, abunde dissolvit Lemosius in citato loco.

Prop. III. Gratia est necessaria simpliciter, ut affectus ad credendum in nobis exurgat, et oriatur desiderium salutis.

Prob. prop. Apostolus I. ad *Thessalon.* 2. 13. sine intermissione gratias agit Deo, quia quum Thessalonicenses a se accepissent verbum Dei, illud non acceperant uti verbum hominum, sed, sicuti est vere, verbum Dei, *qui*, inquit, *operatur in vobis, qui credidistis.* Quæ expendens S. Augustinus in lib. de *Prædest. Sanct.* num. 39. ait: „Quid est, quod hinc Deo gratias agit? „Nempe vanum est, et inane, si cui gratias agit, hoc ipse non „fecit. Sed quia hoc vanum, et inane non est, profecto Deus, „cui de hoc opere gratias agit, ipse fecit, ut quum percepis„sent ab Apostolo verbum auditus Dei, exciperent illud, non ut „verbum hominum, sed sicut est vere verbum Dei." Eodem lib. num. 5. in eamdem rem adducit in medium illa verba Apostoli II. *Corint.* 3. 5. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Atque, nonnullis aliis præhabitis, ita colligit: „Quod ergo per„tinet ad religionem, et pietatem, de qua loquebatur Aposto„lus, si non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, „sed sufficientia nostra ex Deo est; profecto non sumus idonei „credere aliquid, quasi ex nobismetipsis, quod sine cogitatione „non possumus, sed sufficientia nostra, qua credere incipiamus, „ex Deo est." Superaddit num. 6. resisti non posse divinis manifestissimis testimoniis, „Quibus et fides, unde pietatis exor„dium sumitur, donum Dei esse monstratur, quale est illud: „*unicuique Deus partitus est mensuram fidei* (a): et illud: *pax „fratribus, et caritas cum fide a Deo Patre, et Domino Jesu „Christo* (b): et cetera talia." Videantur quæ S. Doctor de hoc capite doctrinæ in lib. de *Dono Persever.* non minus co-

(a) *Roman.* 12. 3.
(b) *Ephes.* 6. 23.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

piose, quam acute pro suo more disseruit. Accedit auctoritas Concilii Arausicani II. ita statuentis can. 5. „ Si quis sicut aug- „ mentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affec- „ tum, quo in eum credimus, qui justificat impium.... non per „ gratiæ donum, id est, per inspirationem Spiritus Sancti corri- „ gentem voluntatem nostram ab infidelitate ad fidem, ab impie- „ tate ad pietatem, sed naturaliter nobis inesse dicit, Apostoli- „ cis dogmatibus adversarius approbatur B. Paulo dicenti (a): „ *Confidimus, quia qui cœpit in vobis bonum opus, perficiet* „ *usque in diem Domini nostri Jesu Christi*: et illud: *Vobis* „ *datum est pro Christo non solum, ut in eo credatis, sed* „ *etiam ut pro illo patiamini.* Et: *Gratia salvi facti estis per* „ *fidem: Dei enim donum est.*" Hoc dogma etiam Tridentini Patres sess. 6. can. 3. definierunt.

Dices. Loca Scripturarum ostendunt, incrementum fidei esse a Deo, non vero ejus initium: ergo saltem desiderium fidei erit ex nobis.

R. huic objectioni Semipelagianorum verbis S. Augustini lib. de *Præd. Sanct.* num. 3. „ Non ergo receditur ab ea sententia, „ quam Pelagius ipse in Episcopali judicio Palæstino, sicut ea- „ dem gesta testantur, damnare compulsus est: *gratiam Dei* „ *secundum merita nostra dari*; si non pertinet ad Dei gratiam, „ quod credere cœpimus, sed illud potius propter hoc nobis ad- „ ditur, ut plenius perfectiusque credamus." Ostendit deinde S. Doctor auctoritate Scripturarum, sicuti modo vidimus, etiam initium fidei nonnisi a Deo esse posse. In eodem libro num. 6. iterum inculcat, augmentum fidei nostris meritis imputandnm esse, si initium ejus esset ex nobis, deinde vero ita habet: „ Cur au- „ tem non totum tribuatur homini, ut qui sibi potuit institue- „ re, quod non habebat, ipse quod instituit, augeat, omnino non „ video: nisi quia resisti non potest divinis manifestissimis tes- „ timoniis, quibus et fides, unde pietatis exordium sumitur, do- „ num Dei esse monstratur."

C. Ad fidem illud Apostoli: *quid enim habes, quod non accepisti*, referri non debet: nam fides, quæ in natura sana erat perfecta, etiam in natura vitiata aliquo modo remansit. Deinde Apostolus distinguit fidem ab operibus: dicit quidem gratiam non esse ex operibus; at non dicit ex gratia esse fidem: initium ergo fidei ex nobis ponit, et ex initio fidei augmentum fidei a Deo.

R. cum S. Augustino, qui hoc utrumque refutavit in lib. de *Prædest. Sanct.* Post multa itaque, quibus Scripturæ auctoritate evicit, et initium, et augmentum fidei esse ex Deo donante, ita S. Doctor num. 10. „ Ut enim sit naturæ fidem posse habe-

(a) Ad Philip. I. v. 6. et 2. et ad Ephes. 2g. v. 8.

„ re, nunquid et habere? *Non enim omnium est fides* (a), quum „ fidem posse habere sit omnium. Non autem ait Apostolus: „ quid autem potes habere, quod non accepisti, ut possis ha- „ bere, sed ait: *quid autem habes, quod non accepisti.* Proinde „ posse habere fidem, sicut posse habere caritatem naturæ est „ hominum; habere autem fidem, quemadmodum habere carita- „ tem, gratiæ est fidelium. Illa itaque natura, in qua data est „ nobis possibilitas habendi fidem, non discernit ab homine ho- „ minem, ipsa vero fides discernit ab infideli fidelem. Ac per „ hoc ubi dicitur: *quis enim te discernit? quid autem habes,* „ *quod non accepisti?* (b) Proinde posse habere fidem, posse „ habere caritatem, naturæ est hominum; habere autem fidem, „ quemadmodum habere caritatem, gratiæ est fidelium. Illa ita- „ que natura, in qua data est nobis possibilitas habendi fidem, „ non discernit ab homine hominem, ipsa vero fides discernit ab „ infideli fidelem. Ac per hoc ubi dicitur: *quis enim te discer-* „ *nit? quid autem habes, quod non accepisti?* quisquis audet di- „ cere: habeo ex me ipso fidem: non ergo accepi: profecto „ contradicit huic apertissimæ veritati."

Ad alterum ita respondet S. Doctor citato lib. num. 12. „Sic „ ergo distinguit Apostolus ab operibus fidem, quemadmodum „ in duobus regnis Hæbræorum distinguitur Judas ab Israel, quum „ ipse Judas sit Israel. Ex fide autem ideo dicit justificari ho- „ minem, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cetera, quæ „ proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur. Nam dicit „ etiam ipse: *gratia salvi facti estis per fidem, et hoc non ex* „ *vobis, sed Dei donum est* (c) id est, et quod dixi *per fi-* „ *dem*, non ex vobis; sed Dei donum est etiam fides. *Non ex* „ *operibus*, inquit, *ne forte quis extollatur.*" Ita deinde occur- rit ultimæ objectioni: „ Solet enim dici, ideo credere meruit, „ quia vir bonus erat, et antequam crederet, quod de Corne- „ lio dici potest, cujus acceptæ sunt eleemosynæ, et exauditæ „ orationes, antequam credidisset in Christum: nec tamen sine ali- „ qua fide et donabat, et orabat. Nam quomodo invocabat, in „ quem non crediderat? Sed si posset sine fide Christi esse sal- „ vus, non ad eum ædificandum mitteretur architectus Aposto- „ lus Petrus... Quidquid igitur et antequam in Christum crede- „ ret, et quum crederet, et quum credidisset, bene operatus est „ Cornelius, totum Deo dandum est, ne forte quis extollatur."

Prop. IV. Gratia, quæ requiritur ad initium fidei, non mi- nus suo lumine intellectum, quam sua virtute voluntatem prævie debet afficere.

(a) II. *Thessal.* 3. 2.
(b) I. *Corint.* 4. 7.
(c) *Ephes.* 2. 8.

Prob. prop., Quæ est contra Pelagianos, et Semipelagianos; licet enim admitterunt utrique in negotio fidei quamdam illustrationem, quæ ab exteriori sermone de rebus fidei, non a gratia proveniret: tamen veram motionem voluntatis negabant. *Intellectus credentis* (inquit S. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 1. ad 3.) *determinatur ad unum non per rationem, sed per voluntatem; et ideo assensus hic accipitur pro actu intellectus, secundum quod a voluntate determinatur ad unum.* Et quæst. 6. art. 1. ad 3. ait: *Quod credere in voluntate credentium consistit, sed oportet, quod voluntas hominis præparetur a Deo per gratiam ad hoc, ut elevetur in ea, quæ sunt supra naturam.* S. Augustinus epist. alias 107., nunc 218. num. 29. statuit initio fidei esse conjunctum *etiam initium bonæ, hoc est, piæ voluntatis.* Et de *Grat. Christi* num. 15. ita habet: „Ac per hoc „quando Deus docet, non per legis litteram, sed per spiritus „gratiam, ita docet, ut quod quisque didicerit, non tantum „cognoscendo videat, sed etiam volendo appetat, agendoque perficiat." Item de *Prædest. Sanct.* num. 13. „Quando ergo Pater intus auditur, et docet, ut veniatur ad Filium, aufert cor „lapideum, et dat cor carneum, sicut Propheta prædicante promisit." Et re quidem vera voluntatem, qua assentimur mysteriis fidei, esse meliorem illa voluntate, qua iisdem mysteriis tam assentiri, quam non assentiri possumus, neque etiam Pelagiani, aut Semipelagiani negarunt: igitur si bonitas voluntatis assentientis mysteriis fidei esset ex nobis, quod est ex nobis in voluntate, foret melius præ illo, quod in nostra voluntate est a Deo. „Nam (inquit S. Augustinus lib. 2. de *Peccat. merit. „et remis.* num. 30.) si nobis libera quædam voluntas ex Deo „est, quæ adhuc potest esse vel bona, vel mala, bona vero „voluntas ex nobis est; melius est id, quod a nobis, quam quod „ab illo est. Quod si absurdissime dicitur, oportet fateantur, etiam „bonam voluntatem nos divinitus adipisci." Gratia igitur, quæ requiritur ad initium fidei, non minus suo lumine intellectum, quam sua virtute voluntatem debet afficere.

LIBER OCTAVUS.

De necessitate gratiæ ad bonum faciendum.

Sicuti verum aliud est ordinis supernaturalis, aliud naturalis; ita etiam bonum: ut agamus bonum naturalis ordinis, quum illud per nos possimus, non requiritur gratia, est autem ea necessaria, ut agamus bonum supernaturalis ordinis. Quum Disp. 9.

lib. 3. cap. 1. et seq. non omnia opera infidelium, et peccatorum esse peccata jam ostenderimus; nunc non est, cur aggrediamur evincere, gratiam non requiri ad agendum illud bonum, quod in se spectatum juxta proximum finem tale est, licet non habeat in se rationem virtutis perfectæ ob defectum suæ relationis in Deum. Ut igitur perspectum fiat, ad quæ bona nostra opera gratia requiratur, in hoc libro de his agemus: in 1. cap. de ea virtute, quæ est in nobis ad bonum ordinis naturalis: in 2. de necessitate gratiæ ad vitanda peccata in 3. ad repellendas tentationes: in 4. ad diligendum Deum super omnia, etiam uti auctorem naturalem: in 5. ad opera salutaria: in 6. ad perseverandum.

CAPUT PRIMUM.

De ea virtute, quæ est in nobis ad bonum ordinis naturalis.

Bonum ordinis naturalis illud vocamus, quod est proportionatum humanæ naturæ, eoque ad naturam superiorem non elevamur. S. Thomas 1. 2. quæst. 1. art. 1. id discriminis inter integram, et corruptam naturam ponit, ut in illa „Quantum ad sufficien„tiam operativæ virtutis poterat homo per sua naturalia velle, „ et operari bonum suæ naturæ proportionatum, quale est bonum „ virtutis acquisitæ. Sed in statu naturæ corruptæ etiam deficit „ homo ad hoc, quod secundum suam naturam potest, ut non „ possit totum hujusmodi bonum implere per sua naturalia. Quia „ tamen natura humana per peccatum non est totaliter corrupta, „ ut scilicet toto bono naturæ privetur; potest quidem etiam „ in statu naturæ corruptæ per virtutem suæ naturæ aliquod bo„num particulare agere." Cit. quæst. artic. 4. ponit S. Doctor idem discrimen in utraque natura etiam quoad servanda naturalia præcepta legis, atque simul advertit, ea duplici modo impleri posse: 1. quoad substantiam operis, quatenus quis agit justa, fortia, et alia opera virtutis: 2. non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum, quatenus ex caritate opera fiunt, indeque prout conducunt ad salutem. Quod sane esse affirmat supra vires naturæ tum integræ, tum corruptæ. Prædicta autem a se posita distinctione Angelicus rejecit errorem Baji in 61. prop. illius ab Ecclesia proscriptum, hoc est: „Celebris illa doctorum „distinctio, divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo „quantum ad præceptorum operum substantiam tantum; altero „quoad certum quemdam modum, videlicet secundum quem va„leant operantem perducere ad regnum, hoc est, ad modum

„ meritorium, commentitia est, et explodenda." Nunc quod volumus.

Prop. Homo nunc ex se virtutem non habet servandi omnia præcepta legis naturæ, nc quoad substantiam quidem, sed sunt aliqua difficiliora, quæ sine auxilio gratiæ servare non potest.

Prob. prop. Homo in statu corruptæ naturæ retinet quidem sibi indita principia rationis, quibus sunt conformia præcepta legis naturæ, propterea que contra ipsa principia rationis singulariter agit, quoties legis naturæ præcepta non servat. Quo fit, ut secundum principia sibi indita naturaliter possit servare præcepta legis naturæ. At propter peccatum originale sublata est illa, quæ inerat homini, subjectio rationis ad Deum, partis inferioris ad superiorem, indeque consequuta ignorantia in mente, et difficultas ad bene operandum, atque etiam liberum arbitrium attenuatum fuit: quæ omnia jam ostensa sunt a nobis in Disput. de peccato originali. Ex his autem consequitur, ut licet nullum præceptum legis naturæ sit supra rationem; tamen homo in statu corruptæ naturæ, neque etiam quoad substantiam omnia legis naturæ præcepta, quæ sunt graviora, atque difficiliora, servare potest.

Hinc Patres statuerunt, non solum in eo peccasse Pelagianos, atque Semipelagianos, quod præcepta supernaturalis ordinis sine auxilio gratiæ servari posse dicerent, sed etiam quia asserebant, sine eodem auxilio præcepta ordinis naturalis universe et generatim posse servari. Patres concilii Carthaginensis de gestis Cælestii, et Pelagii loquentes num. 2. ita habent (a): „ Isti autem asserunt, sicut a fratribus, qui etiam eorum libros legerunt, cognovimus, in eo gratiam deputandam, quod talem hominis instituit, creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei possit implere: sive naturaliter in corde conscriptam, „ sive in litteris datam." Lex autem naturaliter in corde conscripta continet omnia præcepta ordinis naturalis. Unde Patres, qui scripserunt contra Pelagianos, etiam ad eam gratiam respexerunt, quæ ad servanda omnia præcepta naturalia requiritur.

Neque est, cur dicatur, Patres non respexisse ad præcepta ordinis naturalis, quia licet homo hæc omnia collective servare per se non possit; tamen quandoque aliqua per se potest. Nam, uti vidimus, quum Pelagiani, et Semipelagiani universe, et generatim exclusam semper vellent necessitatem gratiæ ad servanda quævis mandata sive naturaliter in corde conscripta, sive in litteris data; Patres contra eos hujusmodi necessitatem universe, et generatim statuerunt, quæ quidem tam quoad substantiam, quam quoad modum respicit singula præcepta ordinis supernaturalis, præcepta vero quæ sunt ordinis naturalis, respicit singula quoad modum, non vero quoad substantiam, sed quoad is-

(a) Inter Augustin. epist. alias 90. nunc 175.

tam respicit omnia hujusmodi præcepta servanda, ita ut nullum sit, quod per se homo servare non possit. Tamen hæc gratia, quæ in hanc rem requiritur, est diversa a conditione ejus gratiæ, quæ necessaria est tum ad opera ordinis supernaturalis, tum ad alia ordinis naturalis, semel ac ea recte fiant non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum.

Quale sit igitur istud auxilium, quod requiritur ad servanda omnia mandata ordinis naturalis quoad substantiam disputant Theologi: nos hac de re nunc pancis cum Lemosio *Panopl.* tom. 4. lib. 4. part. 1. tract. 2. cap. 18. Hujusmodi auxilium attendi debet ea quoad intellectum, quatenus ipsi affulget singulare aliquod lumen, et quoad voluntatem, quatenus firmatur in iis, quæ sunt ipsa ratione perspecta. Lumen, quod affulget intellectui, non oportet, ut sit supernaturale, quum respiciat opus ordinis naturalis, et illud quidem secundum substantiam: neque auxilium, quod præbetur voluntati, oportet, ut supernaturale sit, quia nullo modo respicit, quod excedit vires naturæ. Hujusmodi igitur auxilium non debet esse supernaturale, si tam ad intellectum, quam ad voluntatem attendatur. Haberi ergo illud debet loco removentis prohibens respectu utriusque: removentis, inquam, prohibens, quod impediebat intellectum, ne juxta suas vires recte judicaret, itemque voluntatem, ne juxta suas vires tenderet in bonum sibi proportionatum.

CAPUT SECUNDUM.

De necessitate gratiæ ad vitanda peccata.

Duplex est præsens status hominis: unus peccati, et inimicitiæ cum Deo; alter gratiæ et amicitiæ cum Deo. Nunc expendemus, quid homo quoad vitanda peccata possit, utriusque status habita ratione.

Prop. I. Homo in statu peccati diu abstinere non potest ab omni peccato gravi.

Hic advertimus, in duabus sequentibus propositionibus nos loqui ea de potentia, quam homo, in se spectatus, prout est actu peccator, vel actu justus, habet ad vitanda peccata.

Prob. prop. „Antequam (inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 109. „art 8.) hominis ratio, in qua est peccatum mortale, repare„tur per gratiam justificantem, potest singula peccata mor„talia vitare, et secundum aliquod tempus, quia non „est necesse, quod continuo peccet in actu: sed quod diu „maneat absque peccato mortali, esse non potest." Id autem confirmat Angelicus auctoritate S. Gregorii M. lib. 25. *Moral.*

num. 22. dicentis : *Peccatum namque , quod pœnitentia non diluit , ipso suo pondere ad aliud trahit* : Deinde vero hujus rei rationem ipse affert : „ Et hujus ratio est (inquit) quia sicuti „ rationi subdi debet inferior appetitus ; ita etiam ratio subdi debet Deo , et in ipso constituere finem suæ voluntatis. Per finem autem oportet , ut regulentur omnes actus humani , sicut „ per rationis judicium regulari debent motus inferioris appetitus. Sicut ergo , inferiori appetitu non totaliter subjecto rationi „ non potest esse , quin contingant inordinati motus in appetitu „ sensitivo ; ita etiam ratione hominis non totaliter existente subjecta Deo , consequens est, ut contingant multæ inordinationes „ in ipsis actibus rationis. Quum enim homo non habet cor suum firmatum in Deo , ut pro nullo bono consequendo , vel malo vitando ab eo separari vellet , occurrunt multa , propter quæ „ consequenda , vel vitanda homo recedit a Deo contemnendo præcepta ejus , et ita peccet mortaliter, præcipue quia *in repentinis homo operatur secundum finem præconceptum , et „ secundum habitum præexistentem,* ut Philosophus dicit in III. „ *Ethic.* Quamvis ex præmeditatione rationis homo possit aliquid agere præter ordinis finis præconcepti , et præter inclinationem habitus. Sed quia homo non potest semper esse in tali præmeditatione , non potest contingere , ut diu „ permaneat , quin operetur secundum convenientiam voluntatis „ deordinatæ a Deo , nisi cito per gratiam ad debitum ordinem „ reparetur.” Hinc S. Augustinus lib. 1. *Op. Imperf.* cap. 94. „ Non itaque , sicut dicunt nos quidam dicere , et iste audet insuper scribere, omnes in peccatum , velut inviti , carnis suæ „ necessitate coguntur : sed si jam in ea ætate sunt , ut propriæ „ mentis utantur arbitrio , et in peccato sua voluntate retinentur, „ et a peccato in peccatum sua voluntate præcipitantur.”

Dices. Si homo destitutus gratia non habet potentiam ad peccatum etiam diu vitandum , erit in necessitate peccandi, saltem quando ad illud *diu* perventum fuerit , in quo non peccare non potest : hoc autem repugnat : ergo.

R. etiam quoad illud *diu* præcessisse in homine consensum ad peccatum mortale : nam sicuti advertit S. Thomas quæst. 24. de *Verit.* art. 12., qui contraxit habitum vitiosum , vel virtuosum, finem determinatum ex electione habet, indeque statim eligit , quod illi consentaneum occurrit , nisi *aliqua attentiori , et majori deliberatione impediatur.* Qui est in mortali peccato , sua voluntate adhæret commutabili bono , incommutabili relicto , proptereaque ne cadat in peccatum , oportet, ut majorem, attentioremque deliberationem adhibeat. „ Unde (inquit S. Thomas) antequam „ tanta deliberatio fiat , quanta requiritur in homine sic disposito , ad vitandum peccatum mortale, præcedit consensus in peccatum mortale. Et ideo , supposita adhæsione liberi arbitrii ad

„ peccatum mortale, sive ad finem indebitum, non est in potes-
„ tate ejus, quod vitet omnia peccata mortalia, quamvis unumquod-
„ que possit vitare, si contra nitatur: quia etsi hoc, vel illud vi-
„ taverit, adhibendo tantam deliberationem, quanta requiritur,
„ non tamen potest facere, quin aliquando ante tantam delibe-
„ rationem præveniat consensus in peccatum mortale, quum im-
„ possibile sit, hominem semper, vel diu in tanta vigilantia es-
„ se, quanta ad hoc requiritur propter multa, in quibus mens ho-
„ minis occupatur."

Prop. II. Qui sanatus est habituali gratia, adhuc indiget auxiliante gratia, ut possit diu vitare levia peccata.

Prob. prop. Nimis perspicua sunt, quæ in hanc rem habet S. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 8. Homo igitur ad recte vivendum indiget auxilio Dei, quo sanetur illius natura corrupta: „ Quæ
„ quidem sanatio (inquit S. Thomas) primo fit in præsenti vi-
„ ta secundum mentem, appetitu carnali nondum totaliter re-
„ parato. Unde Apostolus *Roman.* 7. 25. in persona hominis repa-
„ rati dicit: *Ego ipse mente servio legi Dei, carne autem le-*
„ *gi peccati.* In quo quidem statu potest homo abstinere ab om-
„ ni peccato mortali, quod in ratione consistit, ut supra habi-
„ tum est: non autem potest homo abstinere ab omni peccato
„ veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis: cu-
„ jus motus singulos quidem ratio reprimere potest, et ex hoc
„ habent rationem peccati, et voluntarii; non tamen omnes, quia
„ dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit, et etiam quia
„ ratio non semper potest esse pervigil ad hujusmodi motus vi-
„ tandos." Verum hac de re satis, quoniam Disputat. 9. lib. 7. cap. 2. contra Pelagianos jam ostendimus, hominem justum singula quidem levia peccata vitare posse sine auxilio Dei; tamen sine isto omnia collective non posse.

CAPUT TERTIUM.

De necessitate gratiæ ad repellendas tentationes.

Nomine tentationis intelligitur quidam interior impulsus, quo vel sollicitamur ad malum, vel removemur a bono: hujusmodi impulsus provenit aut ex suggestione dæmonis, aut ex prava inclinatione appetitus, aut ex variis, multiplicibusque occasionibus, quas secum fert præsens vita. Superantur vero tentationes triplici modo: 1. ex pravo fine, eoque avari, ut parcant sumptibus, vincunt tentationes gulæ: 2. ex amore Dei, atque caritate; et hanc victoriâ tentationis ad salutem confert: 3. ex principio na-

turalis honestatis, et ex turpitudine peccati: talis victoria ad justificationem nequaquam potest disponere et ad bonum animæ spirituale nullo modo conducit.

Tentationes aliæ sunt graves, aliæ vero leves: sub nomine gravium complectimur eas omnes, quæ difficiliter repelluntur, licet in eis repellendis majores, minoresve gradus difficultatis occurrant; sub nomine autem levium omnes alias, quæ faciliter repelluntur, licet magis, vel minus facile repellantur. Tentatio, quæ est gravis respectu unius, aut hoc, vel illo loco, et tempore, non est talis respectu alterius, vel alio loco, aut tempore, propterea-que in judicio de gravitate, vel levitate tentationum, circumstantiæ attendantur oportet. Nunc quibusdam propositionibus rem istam totam explicabimus.

Prop. I. Gratia Dei nullo modo influit in victoriam, quæ ob pravum finem reportatur supra tentationes.

Prob. prop. Blasphemum enim est dicere, Deum sua gratia influere in pravum finem. Pravo itaque fine homo ob suam malitiam ducitur ad superandas tentationes. Quia vero, sicuti inquit S. Augustinus lib. 3. *Cont. duas epist. Pelag.* num. 11. *Carnalis cupiditas, qua peccatum commutatur potius vel augetur cupiditate alia non sanatur;* qui ductus pravo fine non obsequitur tentationi, revera non vincit tentationem, sed unum peccatum vincit ob alterum peccatum, et quoniam utrumque simul velle non potest, unum, quod in suo corde magis dominatur, alteri præponit. Quare sicuti malitia hominis est causa peccati; ita etiam est causa victoriæ tentationum, semel ac ob pravum finem istæ vincantur.

Prop. II. Nulla tentatio, quamvis levis, ex caritate Dei, et prout oportet ad salutem, vinci potest absque peculiari auxilio gratiæ Dei, quæ datur per Christum.

Prob. prop. *Psal.* 17. 30. inquit David: *Quoniam in te eripiar a tentatione.* Christus nos docuit orare Patrem, ne in tentationem inducamur. Apostolus I. *Corint.* 15. 57. *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* II. *Corint.* 2. 14. *Deo autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu.*

Hoc idem confirmatum habemus auctoritate, Patrum, et Conciliorum definitionibus, quibus proscriptus fuit error Pelagianorum contendentium, *omnes tentationes*, sicuti refert S. Augustinus epist. alias 94., modo 178. num. 1. sine ullo gratiæ auxilio vinci posse. Patres Synodi Carthaginensis in epist. ad Innocentium, inter Augustinian. olim 90., nunc 175. num. 3. ex errore Pelagianorum negantium necessitatem gratiæ ad vincendas tentationes contra præceptum Christi consequi dicunt, Deum orandum non esse, ne intremus in tentationem. Ad illos autem rescribens Innocentius damnat hunc errorem Pelagianorum, definiens, quod

sine gratia Dei (a) *Nequaquam terrenæ labis, et mundani corporis vincere conemur errores, quum pares nos ad resitendum non liberum arbitrium, sed Dei solum possit facere auxilium.* Synodus Milevitana in epist. ad eumdem Innocentium (b) inter alios errores inimicorum *gratiæ Christi* hunc recenset, videlicet: *Et ne nos inducas in tentationem; non ita intelligendum, tamquam divinum adjutorium poscere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus, sed hoc in nostra esse positum potestate*: Innocentius autem confirmans acta Synodi pronuntiavit, quod divina gratia privatus *necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat.*

Hoc idem a Patribus traditum habemus, videlicet a S. Cypriano, cujus plura loca in hanc rem congessit S. Augustinus lib. 4. *Cont. duas epist. Pelagian.* num. 25., S. Basilius in *Regul. brevius tractatis* reg. 221., et alii Patres, qui præcesserunt S. Augustinum. Hic autem S. Doctor istud quoque doctrinæ catholicæ caput non uno in loco, sed in pluribus propugnavit: *Enarrat.* in psal. 89. num. 4. *Sine cujus adjutorio* (inquit) *per arbitrium voluntatis tentationes hujus vitæ superare non possumus.* Idem tradit in *Enarrat.* in psal. 123. num. 6., et in aliis propemodum infinitis locis, in quibus ex instituto non agebat contra Pelagianos. In illis autem, in quibus una cum ceteris hunc quoque errorem Pelagianorum refutavit, pluribus ostendit necessitatem gratiæ ad vincendas tentationes, uti in lib. de *Perfect. justit.* num. 44., de *Nat. et Grat.* num. 20., de *Dono persev.* num. 12., atque alibi sæpe, cujus verba nunc non exscribimus, ne simus longiores.

Dices. 1. *Corint.* 10. 13. hæc leguntur: *Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* His autem verbis in eo constituitur fidelitas Dei, ut ipse nos tentari non patiatur supra id, quod possumus, sed tentationem ita contemperet, ut eam sustinere valeamus.

R. Cassianum *Collat.* 13. cap. 14., hunc locum ita intellexisse, ut Deus dicatur facere cum tentatione proventum, quatenus reprimit dæmonem, ne tentet supra id, quod vires nostræ patiuntur, non vero quatenus suæ auxilio gratiæ vires præstet ad resistendum. Pelagiana sane est hujusmodi explicatio, quum, ea posita, negetur gratiæ necessitas ad vincendas tentationes. Tamen Cassianus in victoria tentationum gratiæ quoque rationem, licet gravissimum errorem simul interniscendo, habuit. Nam statuit etiam gratia vinci tentationes, verum non ea gratia, quæ prævéniens cum libero arbitrio cooperetur, eique prævias vires ad resistendum tribuat, sed quæ cum libero arbitrio jam operante,

(a) Inter Augustin. epist. alias 91., nunc 171. num. 3.
(b) Inter Augustin. epist. alias 92., nunc 176. num. 2.

et laborante cooperetur, eaque propterea ad priorem laborem liberi arbitrii consequatur. Hac ratione Job in sua tentatione dicit suffultum fuisse gratia Dei. Contra quem ita S. Prosper lib. *Cont. Collat.* cap. 13. num. 2. „Nonne rectius, veraciusque loquereris, si ubi dixisti: *quantam et illum resistendi noverat habere virtutem*; diceres potius, quantam et illi resistendi noverat se dedisse virtutem? In ejus enim verbi correctione totam istam gloriam, quam humanis viribus adsignare voluisti, sobrietate aliqua temperasses, ut illa mirabilis in tanta afflictione patientia, et Dei adjutorio, et libero hominis adscriberetur arbitrio. Sed veritus es, naturæ humanæ minuere laudem, si ei profitereris a Deo datam esse virtutem."

Altera Molinæ supradicti loci expositio fuit (a): voluit ipse, Apostoli verba intelligi debere de omnibus collective tentationibus, non vero de quacumque gravi, vehementique tentatione: hanc enim nostris viribus vinci posse putavit. Verum qua ratione Apostoli sententia ad omnes collective tentationes restringi possit, sane non video. De gravibus tentationibus singulariter infra paucis agemus.

Verus igitur sensus verborum S. Pauli hic est, quem una cum aliis Patribus tradit Angelicus lect. 3. in 10. cap. I. epist. ad *Corint.* Deinde cum dicit; *fidelis Deus*, ostendit paratum adjutorium „in tentatione. Ubi commendat adjutorem, qui dat nobis resistendi potentiam: quod notatur ibi: *sed faciet cum tentatione proventum*; perseverantiam, quod notatur ibi: *ut possitis sustinere*. Vere fidelis Deus, qui dat potentiam, ne vincamur, gratiam, ut mereamur, constantiam, ut vincamus." Videatur S. Augustinus *Enarrat.* in psal. 61. num. 26., in psal. 94. num. 9., Serm., alias *de temp.* 165., nunc 46. num. 12.

Prop. III. Ex superioribus propositionibus non consequitur, leves tentationes secundum proprias vires vinci non posse ab hominibus ductis ipsa honestate operis.

Prob. prop. Tentationes, quæ vincuntur ob ipsam honestatem operis, et finem proximum honestum, nulla circumstantia vitiatum, non vincuntur ob merita Christi, et virtute fidei, alteriusve virtutis supernaturalis auxilio: sed Sacræ litteræ quando urgent necessitatem divinæ gratiæ ad vincendas tentationes, loquuntur de tentationibus, quæ vincuntur ob merita Christi, et auxilio fidei, aut alterius virtutis supernaturalis: ergo. Major prop. est manifesta quoniam jam ostendimus, liberum arbitrium propter peccatum non fuisse extinctum: de minori æque constat. Apostolus I. *Corint.* 15. 57., et II. *Corint.* 2. 14. dicit, gratias agendas Deo, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum, quique semper triumphat nos in Christo Jesu. *Ephes.*

(a) Vid. Lemosius tom. 4. *Panopl.* lib. 4. part. 1. tract. 3. cap. 5.

6. quum dixisset, nobis esse colluctationem adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus, præter alia v. 16. hæc superaddit: *In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omia tela nequissimi ignea extinguere.* Necessitas igitur gratiæ per Christum, quæ in Sacris litteris inculcatur ad victoriam omnium tentationum, talem earumdem victoriam respicit, quæ ad æternam beatitudinem consequendam conferat, proptereaque victoriam adeptam virtute gratiæ supernaturalis per Christum.

Simili ratione Patres, qui contra Pelagium decertaverunt, loquuti fuere de victoria tentationum, quam nonnisi virtute gratiæ consequimur, eaque est meritoria vitæ æternæ. S. Augustinus epist. alias 94., nunc 178. num. 1. loquens de hæresi, quæ contra gratiam Christi conabatur insurgere, inter alios ejus errores hunc quoque recenset, hoc est, ad omnes tentationes vincendas sine ullo adjutorio gratiæ *naturali possibilitate humanam sufficere voluntatem.* Unde superaddit S. Doctor num. 3. „Illud vero quod „ sequitur: *et ne nos inferas in tentationem*, non sic accipiunt, „ tanquam Deus orandus sit, quo nos ad superandas tentatio„nes adjuvet peccatorum, sed ne quisquam irruens corporaliter „ nos casus affligat." Respexit igitur S. Augustinus ad victoriam tentationum, quæ oratione debet obtineri, proptereaque ad illam contra inimicos gratiæ Christi gratiam esse necessariam, propugnavit.

Quapropter Patres disputantes cum Pelagianis de necessitate gratiæ ad vincendas tentationes eodem modo fuerunt loquuti, ac quando contra illos disputarunt de necessitate gratiæ respectu actionum nostrarum. Nam, nulla facta distinctione, Palæstini Patres voluerunt, sicuti legitur apud S. Augustinum de *Gestis Pelagii* num 31. ut Pelagius anathematizaret eos, *Qui gratiam Dei, et adjutorium non ad singulos actus dicunt dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege, et doctrina.* Profecto de singulis actibus, quos sine gratia non possumus elicere, non vero de singulis simpliciter, Patres Palæstinos loquutos fuisse, sentiendum est. S. Augustinus asserit quidem lib. de *Grat. Chr.* num. 20., quod homo *sine gratia nihil boni potest facere*: verum de omni eo bono loquitur, quod facit arbor bona, *quando Dei accipit gratiam.* In eodem lib. num. 26. ait: *Quia sine ipsius adjutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus;* verum eo de bono loquitur, quod agunt homines, quatenus sunt filii Dei: *Quotquot enim* (ait) *spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei: profecto ut agant, ab illo aguntur, qui bonus est.* Tandem ut alia loca prætream, lib. de *Corrept. et Grat.* postquam dixit, nullum prorsus bonum *sive cogitando, sive volendo, et amando, sive agendo* fieri posse sine gratia, superaddit num. 3. *Non solum ut monstrante ipsa, quid faciendum sit, sciant, verum etiam ut præstante ipsa, faciant cum dilectione, quod sciunt.*

Loquitur autem de dilectione, caritatis, sicuti constat ex sequentibus. Quo igitur sensu Patres propugnarunt contra Pelagianos nullum bonum opus, hoc est, quod conducit ad vitam æternam, a nobis sine gratiæ adjutorio fieri non posse; ita etiam sustinuerunt, nullam tentationem, hoc est, cujus victoria ad vitam æternam conducit, sine gratia non posse superare. Quæ igitur tum in Sacris litteris, tum in SS. Patribus de victoria tentationum consequenda per gratiam tradita habemus, non obstant, quin homo suis viribus aliquas leves tentationes ductus ipsa honestate operis vincere possit.

Prop. IV. Constat etiam ex definitionibus Ecclesiæ, loca Scripturæ, et Patrum accipi ea ratione debere, quam modo explicavimus.

Prob. prop. Ecclesia damnavit in Bajo hanc prop. num. 27. „ Liberum arbitrium nonnissi ad peccandum valet": et hanc alteram num. 30. hoc est, sunt fures, et latrones, qui docent, „ tentationi ulli sine gratiæ ipsius adjutorio resistere hominem pos„ se, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur." Profecto si nulla sane, ne levis quidem, tentatio datur, quæ a libero arbitrio superari non possit, liberum arbitrium nonnisi ad peccandum valeret: sed hoc in Bajo damnavit Ecclesia: ergo et illud damnavit: immo vero distincte, conceptisque verbis hoc alterum damnavit in 30. prop. Baji: sicuti etiam deinceps in condemnatione 38. prop. Quesnellii, *Peccator non est liber nisi ad malum sine gratia liberatoris*: hujus alterius 39. *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis nisi ad aberrandum: est capax omnis mali, et incapax ad omne bonum.* Si autem peccator sine gratia liberatoris nullas omnino tentationes per se potest vincere, non est liber nisi ad malum, quum in victoria tentationis aliquod bonum occurrat, etsi ob solam honestatem operis tentatio vincatur: sed falsum est, peccatorem non esse liberum nisi ad malum: ergo ipse vincere potest aliquas tentationes leves ductus ipsa honestate operis, nullaque vitiosa circumstantia interveniente. Rursus si falsum est, et ab Ecclesia proscriptum, quod voluntas non præventa lumine gratiæ nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, et sicut omnis mali est capax, ita est incapax ad omne bonum, ultro consequitur, esse in voluntate potestatem ad vincendas tentationes leviores ob ipsam honestatem operis absque ulla intermixtione circumstantiæ vitiosæ. Hoc enim opere ostenditur, in voluntate non præventa divina gratia esse aliquid luminis ad non aberrandum, esse capacitatem ad aliquod bonum. Nam bonum esse, et virtuosum, licet non perfecte bonum, neque perfecte virtuosum vincere tentationes ob ipsam honestatem operis, quæ nullam vitiosam circumstantiam cum se intermixtam habeat, nunc supponimus ex iis, quæ fuse jam ostendimus Disput. 9. lib. 3. cap. 1. et seqq. Dubitari igitur non potest, quin constet ex

definitionibus Ecclesiæ, loca Scripturæ, Conciliorum, et Patrum, in quibus traditur contra Pelagianos, nullas tentationes vinci posse sine gratia, intelligenda esse de victoria tentationum, quæ ad vitam æternam conducit.

Prop. V. Homo in statu corruptæ naturæ sine auxilio gratiæ aliquas leves tentationes vincere potest, ductus ipsa honestate operis, quæ nullam vitiosam circumstantiam secum intermixtam habeat.

Prob. prop. Et quidem iis multis nunc suppositis, de quibus fuse disseruimus Disp. 9. lib. 3. cap. 1. et seqq., huic unico principio insistimus, quod a SS. Doctoribus Augustino, et Thoma nobis traditum citato mox loco ostendimus, illiusque firmitatem inculcavimus. Peccatum originale, sicut etiam actuale peccatum, quo separamur ab amicitia Dei, omnino non tollit, aut prorsus non corrumpit totum bonum naturæ, quod consistit in quadam inclinatione ad virtutem, quæ convenit homini, quatenus est ratione præditus. Quum enim propter peccatum non fiat, ut homo desinat esse præditus ratione, semper remanet in illo principium inclinationis ad virtutem, quamvis non ita expeditum ad agendum, sicuti revera foret, si peccatum inhærens, vel in se spectatum, vel in suis effectibus, non impediret. Agimus profecto secundum eam inclinationem, quam ad virtutem, utpote præditi ratione, naturaliter habemus, quando resistimus tentationibus: ergo levibus, saltem quibusdam, tentationibus possumus resistere, semel ac non sit a nobis omnino sublatum principium rationis: nam si neque istis possemus resistere, principiis rectæ rationis nos omnino esse destitutos, dicendum foret.

Unum tantum ex S. Augustino in hanc rem superaddimus. S. Doctor lib. 1. de *Peccat. merit. et remis.* num. 31. refellens illos, qui effutiebant, animas ob delicta a se jam commissa alligari corporibus, atque in illis affligi magis, aut minus, prout præcedentia merita ferunt, illis opponit, undenam tandem fiat. „Ut homo ab ineunte pueritia modestior, temperatior, ex „magna parte libidinum victor, qui oderit avaritiam, luxuriam „detestetur, atque ad virtutes ceteras provectior, aptiorque „consurgat, et tamen in eo loco sit, ubi ei prædicari gratia „christiana non possit." Putavit ergo S. Doctor etiam ab homine infideli aliquas tentationes vinci posse virtuose. Idem putavit Auctor Op. de *Vocat. Gent.* lib. 1. cap. 7,, in quo tradidit, fuisse aliquos, qui *naturali intellectu* conati fuerunt, *vitiis resistere*, quos *hujus tantum temporis vitam ornasse*, affirmavit

Prop. VI. Nunc homo sine singulari gratiæ auxilio nullam gravem tentationem vincere potest.

Prob. prop., Quæ complecitur omnes graves tentationes, quæ

sint tales, vel spectatæ in se, vel relative tantum. Omnium Patrum perspicua sententia est, Conciliorum auctoritate confirmata, hominem propter corruptionem naturæ infirmum, imbecillemque esse ad bene operandum, atque ad resistendum iis omnibus, quibus a bene operando retrahitur, ejusque liberum arbitrium extinctum quidem non fuisse, sed tamen attenuatum. Quare nunc homo in sua infirmitate id non potest agere, quod sanus poterat, sicuti etiam ab exemplo corporis sani, et infirmi convincimur: igitur aliquod opus constituatur oportet, quod homo sanus in statu naturæ integræ suis viribus præstare possit, infirmus in statu corruptæ naturæ non possit: hoc profecto opus aliquam gravem difficultatem in sui exercitio ferre secum debet: talis vero est difficultas, quæ superanda occurrit, quando gravi tentationi resistendum est. Sicut igitur infirmus corpore neque per longum, neque per breve tempus ferre potest illud pondus, quod sanus poterat; ita homo infirmus, ejus moralis infirmitatis habita ratione, propriis viribus sine auxilio peculiari gratiæ neque per longum, neque per breve tempus resistere potest gravi tentationi.

Verum huic exemplo hominis infirmi, et sani, cui Theologi cum S. Thoma insistunt, ut eo ostendant diversitatem, quæ in homine est in integra, et in corrupta natura, nunc pressius insistamus. Ajunt hi, contra quos nunc agimus, ob eam infirmitatem, qua homo in statu naturæ corruptæ detinetur, omnibus collective tentationibus gravibus non posse resistere; ceterum huic, illi, alteri gravi tentationi posse: immo vero posse, *etiamsi ea de causa mors sit tolleranda* (a). At vero constat, hominem infirmum non solum non posse diu ferre grave pondus, quod sanus sine ulla difficultate poterat, sed neque etiam momento temporis; non solum non posse diutius sustinere gravem laborem, quem sanus et longo tempore, et singulis diebus poterat, sed neque etiam ad breve tempus. Tamen huic homini tanta in hac, vel illa gravi tentatione vincenda tribuitur fortitudo, tanta firmitas, ut suis viribus ad victoriam consequendam etiam mortem perferre possit. Quæ ex hoc absurda consequantur, modo non persequimur. Ea Lemosius complexus fuit in cit. loco.

Nunc aliqua ex S. Augustino in rem nostram superaddamus. Inquit igitur S. Doctor lib. 2. de *Peccat. merit. et remiss.* num. 4. „Ut autem ei non consentiamus (concupiscentiæ) de„precamur adjutorium dicentes: *et ne nos inferas in tentatio„nem*; vel sicut nonnulli codices habent: *ne nos inducas in „tentationem*.... ut si forte tentari cœperimus a concupiscentia „nostra, adjutorio ejus non deseramur, ut in eo possimus

(a) Vid. Lemosius cit. tom. lib. 4. part. 1. tract. 3. cap. 7.

„ vincere, ne abstrahamur illecti." Lib. 4. *Cont. duas epist. Pelagian.* num. 26., pluribus S. Cypriani locis in medium prolatis, in quibus S. Martyr asserit, in colluctatione carnis, et spiritus nos indigere auxilio Dei, ne pereat spiritus: „Quid „(inquit) tam in libero arbitrio constitutum, quam quod lex „dicit, non adorandum idolum, non mœchandum, non homi„cidium perpetrandum? Ista autem sunt, atque hujusmodi cri„mina, si quispiam commiserit, a corporis Christi communio„ne removetur. Et tamen si beatissimus Cyprianus his non „committendis existimaret, nostram sufficere voluntatem, non „sic intelligeret, quod in oratione Dominica dicimus: panem „nostrum quotidianum da nobis hodie; ut hoc nos petere as„severaret, ne intercedente aliquo graviore delicto, dum abs„tenti, et non communicantes a cælesti pane prohibemur, a „Christi corpore separemur." Hoc idem, quod uti certissimum, atque firmissimum tradit S. Doctor in citatis locis, magis magisque semper confirmat in aliis, uti in lib. de *Perfect. justit.* num. 40., de *Nat. et Grat.* num. 79., de *Grat. et lib. arb.* num. 6., aliisque pluribus in locis.

Dices. Concilia, et Patres quando docuerunt, gratiam requiri ad vincendas tentationes, sermonem habuere de omnibus tentationibus collective acceptis, aut saltem de diuturnioribus: nam Pelagiani, contra quos Patres decertarunt, ab omnibus tentationibus collective acceptis gratiam excluserunt. 2. Sententiæ Patrum, et Conciliorum omnes quascumque tentationes non respiciunt: nam aliquæ leves tentationes viribus naturæ superari possunt: igitur neque etiam singulas graves tentationes. 3. Homo ductus fine pravo aliquas graves tentationes vincere potest: ergo multo magis ductus honestate operis.

R., Pelagianos utique contendisse, ad omnes collective tentationes vincendas gratiam non requiri, indeque Patres eisdem semper opposuerunt illud orationis Dominicæ: *et ne nos inducas in tentationem*: quod sane omnes, singulasque tentationes complectitur. Tamen non omiserunt, hanc, illam, alteram, et quamvis aliam similem gravem tentationem indigitare, atque ad victoriam ejus inculcare necessitatem gratiæ. S. Augustinus loco mox citato singularem mentionem facit tentationis, qua ad idololatriam, ad mœchiam, ad homicidium incitamur, atque has singulariter tentationes statuit vinci non posse sine gratia. At non est, cur hac in re immoremur.

Cur vero Patres in sua dicendi ratione etiam victoriam cujuslibet levis tentationis non incluserint, satis jam explicavimus.

Nego paritatem, quæ tertio loco opponitur: „Qui hæc di„cunt (ait S. Augustinus lib. de *Patient.* num. 14.) non in„telligunt, et quemque iniquorum tantum esse ad quæcumque „mala perferenda duriorem, quanto in eo est major cupiditas

„ mundi; et quemque justorum tanto esse ad quæcumque mala „ perferenda fortiorem, quanto in eo est major caritas Dei.... „ quanto major ergo est in sanctis caritas Dei, tanto magis „ pro eo, quod diligitur, et quanto major est in peccatoribus „ cupiditas mundi, tanto magis pro eo, quod concupiscitur, „ omnia tolerantur. Ac per hoc inde est vera patientia justo- „ rum, unde est in eis caritas Dei, et inde est patientia fal- „ sa iniquorum, unde est in eis cupiditas mundi." Vis autem cupiditatis mundi, quæ possederit animum hominis, est ea longe major, quam honestas operis in se habet.

CAPUT QUARTUM.

De necessitate gratiæ ad diligendum Deum super omnia uti auctorem naturalem.

De statu corruptæ naturæ modo loquimur. Amor naturalis est ille, quo Deus uti auctor naturæ, supernaturalis, quo uti auctor gratiæ, et gloriæ diligitur. Deum uti auctorem supernaturalem sine auxilio gratiæ diligi non posse, sæpius definitum ab Ecclesia fuit: singulariter vero, distincteque ab ea definitum non habemus, etiam ad diligendum Deum super omnia uti auctorem naturæ, gratiam necessariam esse. Quare hac de re disputatur inter Theologos, eorumque aliqui volunt, Deum consideratum a nobis, uti primum principium omnium bonorum naturalium, viribus naturæ diligi posse super omnia: contra alii sentiunt. Aguirrius præ ceteris in *Theol. S. Anselmi* tract. 7. disput. 119. sect. 1. et 2. utriusque sententiæ auctores recensuit, diversamque sentiendi rationem adnotavit etiam in iis, qui in una, eademque opinione secum conveniunt. Lemosius *Panopl.* tom. 3. lib. 3. part. 2. tract. 2. cap. 27. ostendit, quosdam, qui putant, non requiri gratiam ad diligendum Deum uti auctorem naturalem super omnia, falso contendisse in suam sententiam pertrahere multos, qui revera contra senserunt.

Quum vero ex propositionibus 34., et 36. Baji proscriptis, constet, admitti debere duplicem amorem Dei, hoc est auctoris tam naturalis, quam supernaturalis, merito quæritur, utrum gratia requiratur ad amorem Dei auctoris naturalis; ad amorem, inquam, Dei super omnia uti auctoris naturalis, propterea que ad amorem, qui sit efficax, eoque Deus præponatur omnibus, quæ in naturali ordine continentur.

Prop. Homo in statu naturæ lapsæ ad diligendum Deum super omnia uti auctorem naturæ indiget auxilio gratiæ sanantis naturam.

Prob. prop. Quamvis enim, sicuti advertit S. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 3., homo in statu integræ naturæ Deum uti auctorem naturalem super omnia diligere per se posset; tamen hoc idem in natura corrupta non potest, quia in ista propter corruptionem sequitur proprium, et privatum bonum, in illa autem secundum ordinem naturæ quærebat bonum partis propter bonum totius, et sui, atque rerum aliarum dilectionem ad Deum referebat. „Et ideo dicendum est, (superaddit S. Doc„tor) quod homo in statu naturæ integræ non indigebat dono „gratiæ superaddito naturalibus bonis ad diligendum Deum na„turaliter super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum „moventis: sed in statu naturæ corruptæ indiget homo etiam „ad hoc auxilio gratiæ naturam sanantis." Quum actus dilectionis Dei ut auctoris naturalis super omnia esset omnium præstantissimus, quem homo in natura sana poterat elicere suis viribus, profecto in corrupta eumdem actum elicere nullo modo posse debet.

Hinc in Sacris litteris simpliciter edicitur, ad dilectionem Dei super omnia gratiam Dei requiri. Hac autem necessitate universe, generatim, atque simpliciter semel posita, ultro consequitur, sine gratia a nobis diligi non posse Deum super omnia, licet dilectio respiciat Deum, uti auctorem naturæ. Quapropter Patres Concilii Carthaginensis in sua epist. ad Innocentium, inter Augustinianas olim 90., nunc 175. num. 2. Cælestium, et Pelagium ex hoc utroque capite æque accusant, hoc est, quod viribus naturæ legem Dei impleri posse dicerent, *sive naturaliter in corde conscriptam, sive in litteris datam.* Primum autem, et præcipuum mandatum legis in corde conscriptæ respicit dilectionem Dei auctoris naturæ super omnia: immo vero hoc præceptum dilectionis est caput, et fundamentum omnium præceptorum, quæ continentur in lege naturaliter in corde conscripta. Hinc S. Augustinus epist. alias 107., modo 217. num. 2. simpliciter pronuntiavit, quod *liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.*

Dices. *Roman.* 1. 21. gentiles inexcusabiles esse dicuntur, *Quia quum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* Ipsum igitur super omnia diligendum esse, cognoverunt: ergo etiam præstare potuerunt naturaliter, quod naturaliter cognoverunt a se fieri debere.

R., aliud esse, nullam excusationem habere in transgressione alicujus præcepti, aliud autem illud posse servare propriis viribus: nam violatio etiam illorum præceptorum, quæ propriis viribus servare non possumus, culpæ nobis imputantur, tum quia ex nobis illa transgredimur, tum quia ex nostra culpa Deus non largitur eam gratiam, quæ ad transgressionem vitan-

dam requireretur. Gentiles autem cognoverunt Deum, inquit S. Thomas lect. 1. in cap. 1. epist. ad *Rom.* „Sicut omnibus su-„ pereminentem; et sic ei debebant gloriam, et honorem, quæ „ superexcellentibus debentur, et ideo isti dicuntur, inexcusa-„ biles, *quia quum cognovissent Deum, non sicut Deum glo-„ rificaverunt.*"

Novam autem difficultatem superaccedere in exequutione etiam illorum præceptorum, quæ naturaliter cognoverimus, ipsa nos experientia docet. Illud quoque adverti debet, sicuti alias monuimus, originali peccato majus vulnus inflictum fuisse voluntati, quam menti.

Qua autem ratione intelligendum sit illud Apostoli *Roman.* 2. 14., gentes, quæ legem non habent, naturaliter facere ea, quæ sunt legis, ita explicat S. Thomas lect. 3. in cap. 2. epist. ad *Roman.*, inquit enim ad vitandum errorem Pelagianorum, „Exponendum est *naturaliter*, id est per naturam gratia refor-„ matam: loquitur enim de gentibus ad fidem conversis, qui „ auxilio gratiæ Christi cœperant moralia legis servare. Vel po-„ test dici *naturaliter*, id est, per legem naturalem ostenden-„ tem eis, quid sit agendum."

C. Concilium tam Arausicanum II., quam Tridentinum requirunt quidem gratiam ad diligendum Deum super omnia; verum prout oportet ad salutem; igitur quatenus Deus est auctor naturalis, viribus naturæ diligi poterit super omnia.

R. nihil minus colligi posse; immo vero contrarium esse colligendum: nam ut diligatur Deus, prout oportet ad salutem, diligendus est super omnia tam quatenus est auctor supernaturalis, quam quatenus est naturalis: igitur quando Concilia gratiam exigunt ad diligendum Deum, prout oportet ad salutem, quamcumque dilectionem Dei super omnia simpliciter respiciunt. Hinc II. Concilium Arausicanum can. 25. ita absolute pronuntiavit: *prorsus donum Dei est, diligere Deum.*

C. Sicuti advertimus, S. Pius V. damnavit illam propositionem Baji, in qua iste sustulit distinctionem inter amorem Dei uti auctoris naturæ et uti auctoris supernaturalis: si autem amor Dei, etiam uti auctoris naturalis, est a gratia, nullus amplius remanet hujusmodi distinctioni locus: ergo.

R. hujusmodi distinctioni locum semper remanere: quum isti duo amores secundum diversitatem suorum objectorum distinguantur, et unus Deum uti auctorem naturæ, alter uti auctorem gratiæ, et gloriæ respiciat. Dilectio autem potest secundum suum objectum esse naturalis, quin sit etiam ex sui principio. Id quamvis multis posset, uno tantum exemplo comprobabimus. Qui ductus caritate Dei virtutum moralium opera agit, id agit, quod naturale est, si ipsum objectum attendatur, si autem agendi principium spectetur; est illud sane supernaturale. Idem di-

ci debet in nostro proposito. De his usque modo, prout ferunt institutiones Theologicæ. Lemosius tom. 4. *Panopl.* lib. 3. part. 2. tract. 2. cap. 19. et seqq. solide, atque copiose refutavit, quæ ex SS. Augustino, Prospero, Fulgentio, et Thoma auctores adversæ sententiæ pro se in medium proferunt.

In quo consistat auxilium istud, de quo usque modo egimus, nunc paucis. Docent Sacræ litteræ, Patres confirmant, dilectionem Dei super omnia simpliciter, generatim, et universe acceptam esse donum Spiritus Sancti: sed Spiritus Sancti dona nobis infunduntur per gratiam: ergo dilectio Dei super omnia, semel ac sit revera talis, est in nobis a gratia. Principium ergo illud, quo natura sananda est, ut homo elicere possit actum dilectionis Dei super omnia, etiam quatenus est auctor naturæ, est gratia. Et re quidem vera ut homo simpliciter sit conversus ad Deum, uti auctorem naturæ, et simul ab eo aversus uti auctore gratiæ, et gloriæ, fieri non potest; alioquin Dei amicus et inimicus simul esset: secundum unam rationem Deum respiceret, uti ultimum finem, eumque præponeret omnibus rebus creatis, secundum alteram non respiceret uti ultimum finem, atque illi præponeret res creatas.

CAPUT QUINTUM.

De necessitate gratiæ ad opera salutaria.

Opera salutaria nunc ea dicimus, quæ ad vitam æternam consequendam quovis modo conducunt. Hoc in capite tria expendemus: 1. utrum in nobis sit ista possibilitas ad opera salutaria: 2. unde sit ista possibilitas: 3. utrum sit necessaria gratia ad quævis opera salutaria.

Non posse hominem in statu corruptæ naturæ divina servare mandata, Lutheri, et Calvini error fuit. Primo Bajus prop. 54., deinde Jansenius prop. 1., Quesnellius prop. 1. 39. et 40, idem, quod Lutherus, et Calvinus, quoad rem ista senserunt. Quænam igitur de ea sit fides catholica tribus sequentibus propositionibus nunc aperiemus.

Primo tamen advertimus: possibile dici illud, quod potest fieri: quod autem non potest, impossibile. Quod aliquid fieri a quopiam valeat, dupliciter spectari potest: 1. habita ratione potentiæ, vel virtutis, quæ sit in ipso: 2. habita ratione potentiæ, seu virtutis, quæ est in altero: ut si dicatur: lapis sursum moveri potest: non enim id a se potest, sed ab externa virtute sibi adjuncta. Quod fieri neque interiori, neque exte-

riori virtute superaddita potest, impossibile est: quod autem potest fieri vel per inhærentem potentiam, vel etiam per extrinsecam potentiam superaccedentem, est revera possibile, rectequepropterea dicitur, quod lapis potest moveri sursum. Hominem divina mandata servare posse, eaque esse illi possibilia, nunc dicimus, non quatenus ipse propria virtute id præstare possit, sed quatenus adjutus superiori divina virtute potest.

Est etiam advertendum, hominem in duplici statu considerari posse: 1. prout est habituali gratia destitutus: 2. prout est ea præditus. Respectu utriusque status hominem servare posse divina mandata nunc propugnabimus.

Prop. I. Possunt homines etiam non justi servare divina mandata.

Prob. prop. Hujus disput. lib. 3. cap. 1. ostendimus, illa gratia, cui aliquando resistitur, nobis conferri potentiam ad efficienda opera salutis: quæ sane est gratia sufficiens, eaque distinguitur sua natura ab efficaci (cit. loco). Hanc quidem gratiam quæ confert potentiam ad opera salutis, quibusdam denegari diximus: (cit. lib. cap. 4.) at quum ii, quibus denegatur, in culpa sint, ut sibi denegetur, vitio illorum fit, ut quam possent ad bene agendum potentiam recipere, non recipiant. *Sic sole mundum illuminante, in culpam imputatur ei qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licet videre non possit, nisi lumine solis præveniente*: inquit S. Thomas lib. III. *Cont. Gent.* cap. 159. Illud auxilium divinum, quo potentia confertur ad opera salutis, non semper alterum efficax auxilium consequitur, quo opera salutis revera fiant: attamen hoc contingit non defectu illius auxilii, quod potentiam confert, sed defectu hominis, qui eodem abutitur (cit. lib. cap. 4.). Ex hoc autem toto doctrinæ capite ultro consequitur, posse homines etiam non justos servare divina mandata.

Deuteron. 30. 11. et seq. hæc leguntur: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, ut possis dicere: quis nostrum valet ad cælum ascendere, ut deferat illud ad nos, et audiamus, atque opere compleamus?... sed juxta te est sermo valde in ore tuo, et in corde tuo, ut facias illum.* I. *Corint.* 10. 13. inquit Apostolus: *Fidelis autem Deus est, qui non patietur, vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Deus profecto Moysem, et populum Judaicum, in quo plures erant peccatores, certiorem fecit, non esse supra se illud, quod sibi præcipiebatur, non quasi propriis viribus adimplere illud posset, sed quatenus non erat defuturum adjutorium, quo præcepto divino parere valeret. Item Apostolus quum dicit *fidelis Deus* sicuti explicat S. Thomas lect. 3. in cap. 10. epist. 1. ad *Corint.* „ Ostendit paratum adjutorium

„ in tentatione. Ubi commendat Deum adjutorem, qui dat nobis „ resistendi potentiam, quod notatur ibi: *sed faciet cum tenta-* „ *tione proventum*... Dicit ergo: *fidelis Deus*, quasi diceret: vos „ ad hoc hortor, et moneo, quod potestis." Quapropter sicut inquit S. Augustinus de *Nat. et Grat.* num. 50. „ Non igitur „ Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet, et facere, quod „ possis, et petere, quod non possis." Quæ quidem verba Concilium Tridentinum sua fecit sess. 6. cap. 11., in quo ita statuit. „ Nemo (debet) temeraria illa, et a Patribus sub anathe- „ mate prohibita voce uti: Dei præcepta homini justificato ad „ observandum esse impossibilia: nam Deus impossibilia non ju- „ bet, sed jubendo monet, et facere, quod possis, et petere, „ quod non possis, et adjuvat, ut possis." Adverti autem debet, quod licet Concilium de homine justificato loquatur, deque illo dicat, præcepta ad observandum esse impossibilia, vocem esse a Patribus sub anathemate prohibitam; dictum tamen Augustini, et illud quidem absolutum, quod respicit omnes, simpliciter probat, nulla distinctione facta inter justificatum, et non justificatum.

S. Augustinus quamvis refellat Julianum effutientem esse in nobis unam, eamdemque possibilitatem tam ad bonum, quam ad malum; tamen affirmat, eamdem possibilitatem tam boni, quam mali esse capacem: „ Illa ergo possibilitas (inquit lib. de „ *Grat. Christ.* num. 20.) non ut iste opinatur, una, eadem- „ que est radix bonorum, et malorum... sed plane illa possibili- „ tas utriusque radicis est capax; quia non solum potest homo „ habere caritatem, qua sit arbor bona, sed etiam cupiditatem, „ qua sit arbor mala." Et de *Spir. et litt.* num. 58. ait, quod liberum arbitrium: *Illa media vis est, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem potest.* Insuper de *Prædest. Sanct.* num. 10. *Proinde* (inquit) *posse habere fidem, posse habere caritatem, naturæ est hominum: habere autem fidem, quemadmodum habere caritatem, gratiæ est fidelium.* Quare quum etiam non justis gratia conferatur, qua ad justitiam tendere possint, atque etiam in eis liberum arbitrium sit media illa vis, quæ vel intendi ad fidem, vel inclinari potest ad infidelitatem, propterea que naturæ sit hominum, posse habere fidem, posse habere caritatem, per se constat ea ratione, qua supra exposuimus, etiam non justos servare posse divina mandata.

Prop. II. Justi etiam ob rationem singularem divina mandata servare possunt.

Prob. prop. Quæ in superiori propositione in medium protulimus, etiam justos servare divina mandata posse, suadent. Verum singularis ratio in illis occurrit, ob quam id possint. „ Homo ad recte vivendum (inquit S. Thomas I. 2. quæst. 109. „ art. 9.) dupliciter auxilio Dei indiget: uno quidem modo quan- „ tum ad aliquod habituale donum, per quod natura humana

„ corrupta sanetur, et etiam sanata elevetur ad operanda opera meritoria vitæ æternæ, quæ excedunt proportionem naturæ: alio modo indiget homo auxilio gratiæ, ut a Deo moveatur ad agendum. Quantum ad primum auxilii modum homo in gratia existens non indiget alio auxilio gratiæ, quasi aliquo alio habitu infuso. Indiget tamen auxilio gratiæ secundum alium modum." Quare homo justus id habet supra non justum, ut sit ipse habituali gratia jam sanatus, elevatusque ad efficienda opera meritoria vitæ æternæ: ex hoc autem per se consequitur, ut ob singularem rationem servare divina mandata possit. Eo vel maxime quia habet a gratia habituali, ut filius Dei sit, et consors divinæ naturæ, sicut legitur *Romn.* 8. 16., et II. *Petri* 1. 4. Unde canon 3. vulgo tributus Concilio Milevitano, qui tamen est Sydoni I. Affricanæ habitæ (a) tempore Zosimi, ita decernit: *Quicumque dixerit, gratiam Dei, in qua justificamur per Jesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ jam commissa sunt, non etiam ad adjutorium, ut non committantur, anathema sit.* Patres II. Arausicani Concilii can. 25. *Hoc etiam secundum fidem catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, et cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Et Concilium Tridentinum sess. 6. can. 18. *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato, et sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Hinc Innocentius X. in sua Constitut. *Cum Occasione* primam Jansenii propositionem uti temerariam, impiam, blasphemam, et hæreticam damnavit, quamvis Jansenius, tantum aliqua præcepta justis impossibilia esse, contenderet.

Plura Jansenius contra habet lib. 3. de *Grat. Christi* cap. 13. in quo pro suo more, multis S. Augustini locis simul congestis, colligit ex iis, *esse quædam homini præcepta secundum statum, et vires, in quibus constitutus est, impossibilia.* Verum Augustini loca a Jansenio in medium producta ad rem nostram non faciunt, quum in eis S. Doctor neget, in homine esse illam ad servanda divina mandata possibilitatem, quam Pelagiani volebant.

Alia loca S. Augustini, quibus Jansenius contendit evincere, non solum in infidelibus, et excæcatis, sed etiam in fidelibus, et justis esse impotentiam ad servanda divina mandata, hoc unum ostendunt, etiam justos indigere actuali Dei auxilio, ut agant opera salutis. Hoc vero est, quod nos evicimus in hac Disput. lib. 6. cap. 4.

(a) Vid. Natal. ab Alex. Hist. Eccl. sec. 5. cap. 3. §. 8.

Prop. III. Possibilitas hominis ad servanda divina mandata est a gratia.

Prob prop. Certissimi principii loco habendum est illud, quod tradit S. Augustinus lib. 2. *Cont. duas epist. Pelagian.* num. 33., hoc est. *Nihil in Scripturis sanctis homini a Deo.... juberi propter probandum liberum arbitrium, quod non inveniatur vel dari ab ejus bonitate, vel posci propter adjutorium gratiæ demonstrandum.* Hinc in II. Arausicano Concilio supra citato can. 25. illud quidem decernitur, posse homines adimplere, quæ spectant ad salutem, attamen *Christo auxiliante, et cooperante.* Similiter Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 11. temerariam declaravit, et a Patribus sub anathemate prohibitam illam vocem: Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia; sed etiam superaddidit, Deum non jubere impossibilia, quia jubendo monet, *et facere, quod possis, et petere, quod non possis, et adjuvat, ut possis.* Superfluum est in hanc rem testimonia Patrum in medium adducere, quum nemo ignoret, hunc inter alios errorem Pelagii fuisse, hoc est, hominem sine gratia posse viribus naturæ omnia mandata servare, proptereaque Patres hunc quoque errorem illius refutaverint, Summique Pontifices condemnaverint. Legatur Innocentii I. epist. 27. ad Concilium Milevitanum (a), 29. ad Concilium Carthaginense, 30. item ad Concilium Milevitanum, 31. ad Episcopos, S. Cælestini epist. 21. ad Episcopos Galliæ.

Prop. IV. Gratia actualis est necessaria ad quævis opera salutaria.

Prob. prop. Opera salutaria hic indiscriminatim ea omnia dicimus, quæ ad vitam æternam quovis modo conducunt. Talia sunt non solum opera, quæ ab homine justificato fiunt, quæque sunt etiam meritoria vitæ æternæ, sed alia quoque, quibus homo disponitur ad justificationem. Nunc de utroque genere operum paucis; quoniam quod nunc de utrisque volumus, constat ex iis, quæ jam disseruimus. Nam in hac Disputatione, lib. 6. cap. 4. jam ostendimus, eos, qui una cum gratia etiam habitus fidei, spei, et caritatis sibi infusos habent, indigere actuali auxilio Dei ad illos actus, qui respondent hujusmodi habitibus: gratia igitur est necessaria ad illa opera salutaria, quæ fiunt ab homine justo, quæque sunt meritoria vitæ æternæ. Simili ratione est jam ostensum a nobis in hac eadem disput. lib. 2. cap. 1. initium, progressum, et complementum boni operis esse a gratia Dei, et quidem tali, (ejusdem lib. cap. 2.) quæ non solum suo lumine intellectum, sed etiam sua virtute voluntatem potissimum afficiat. Item (ejusdem lib. cap. 3) evicimus, solis nostræ naturæ viribus nos ne optare quidem posse, vel pete-

(a) Apud Coustantium *Epist. Rom. Pont.*

re auxilium gratiæ, prævíamque gratiam requiri, ut homo quovis modo, et secundum quamlibet rationem se præparare possit ad gratiam: quæ omnia nullum dubitandi locum relinquunt, gratiam actualem ad ea omnia opera requiri, quæ ad justificationem disponunt. Hinc Innocentius I. in epist. ad Patres Concilii Carthaginensis inter Augustin. olim 91., nunc 181. num. 4. „Quid enim (inquit) tam iniquum potest esse, tam barba„rum, tam totius religionis ignarum, tam Christianis mentibus „inimicum, quam huic te negare debere quidquid in quotidia„na gratia consequeris, cui te ipse confiteris debere, quod na„tus es?... Et quum te putes ei debere, quod vivis, quomo„do te non putes illi debere, quod quotidianam ejus conse„quendo gratiam taliter vivis?" Unde num. 5. statuit: *adjutorio quotidiano nos egere, negare non possumus.*

Et re quidem vera, ut nunc omittam plura S. Augustini hac de re loca, quæ in lib. de *Grat. Christi* potissimum leguntur, quum dicat Apostolus: *quid habes, quod non accepisti?* Et: *quis te discernit?* quodvis salutare bonum ab actuali gratia Dei esse, dicatur oportet. Nam etiamsi non ponatur cum Pelagianis, potentiam ad opus salutare esse a Deo, mediante lege, atque doctrina, sed statuatur, revera esse a gratia Dei, semper sequitur illud absurdum, quod S. Augustinus Pelagianis opposuit, hoc est: bene agere est longe perfectius, quam posse bene agere: ergo si bene agere homo a se haberet, posse bene agere a gratia Dei; aliquid perfectius a se haberet, quam a gratia Dei: ergo haberet aliquid, quod non accepisset: ergo ab altero se discerneret.

CAPUT SEXTUM.

De necessitate gratiæ ad perseverandum.

Hæc necessitas, habita ratione naturæ tam integræ, quam corruptæ considerari potest: de illa ergo nunc agemus respectu utriusque naturæ in duobus distinctis §§., quibusdam antea præmissis, quæ rem istam in bono lumine ponant. Ea igitur de perseverantia nunc loquimur, qua *perseveratur usque in finem*, sicuti habet S. Augustinus lib. de *Dono persev.* num. 10., eamque S. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 10. dicit esse *quamdam continuationem boni usque in finem*, sive ad diuturnum, sive ad breve tempus vita ipsa consequatur, contra ac nonnulli putant, qui ad finalem perseverantiam, quæ ad vitam diuturnam consequatur, gratiæ auxilium requirunt, non vero ad

perseverantiam, quæ brevem vitam comitetur. Sicuti ad omnes actus salutares, ita etiam ad perseverandum necessitatem divini adjutorii Pelagius negavit. Quid Semipelagiani de perseverantia sentirent, his verbis exponit Hilarius in sua epist. ad S. Augustinum (a): *Quod autem dicit Sanctitas tua, neminem perseverare, nisi perseverandi virtute percepta, hactenus accipiunt, ut quibus datur, inerti licet, præcedenti tamen proprio arbitrio tribuatur.*

Molina una cum suis duplex donum perseverantiæ distinguit: unum consistens in quodam peculiari auxilio Dei exteriori, quod Apostolis post acceptum Spiritum Sanctum fuisse collatum dicit, atque iis omnibus conferri vult, qui sunt confirmati in grátia: alterum, quod est positum in quodam auxilio, quo Deus ita adest hominibus, ut si velint, in gratia perseverare possint, illudque omnibus commune esse arbitratur. Hoc alterum auxilium, in quo consistat, paucis ita explicat: *In statu innocentiæ sufficiebat homini ad salutem illa gratia, qua poterat perseverare, si vellet: ergo et nunc sufficit.* Unde ex hac propositione, quam Academia Lovaniensis, et Duacensis S. Augustini doctrinæ contrariam esse, et Pelagianismum sapere definivit, sequitur, sicut Molinistæ tenent, auxilium gratiæ ad perseverandum non esse distinctum a gratia habituali, et infusis habitibus.

Præter hæc duo dona perseverantiæ tertium quidam Molinistæ excogitarunt, quod juxta suam scientiam mediam in quadam congruitate reposuerunt, qua Deus dat quidem auxilium, quo homo perseverare possit, simul tamen certo videt, hominem suo arbitrio bene usurum eodem auxilio, atque usque in finem perseveraturum. Hac tota de opinandi ratione legatur Lemosius *Panopl.* tom. 4. part. 2. tract. ultimo, cap. 1. et seqq.

§. I.

De necessitate gratiæ ad perseverandum, habita ratione status naturæ corruptæ.

Sicut advertit S. Thomas 1. 2. quæst. 109. art. 10. justificatus per gratiam non indiget altera gratia habituali ad perseverandum, sed *divino auxilio dirigente, et protegente contra tentationum impulsus*, propterea que *necesse habet a Deo petere prædictum perseverantiæ donum, ut custodiatur a malo usque in finem vitæ.* In hoc ergo auxilio repositum esse donum perseverantiæ, nunc contra Pelagianos propugnabimus.

(a) Inter Augustin. recent. edit. epist. 226. num. 4.

Prop. I. Homo indiget auxilio gratiæ ad perseverandum.

Prob. prop. Apostolus *Philip.* 1. 29. *Vobis donatum est* (inquit) *pro Christo, ut non solum credatis in eum, verum etiam ut patiamini pro eo.* Ex quibus ita S. Augustinus lib. de *Dono persev.* num. 2. „Horum quippe unum pertinet ad ini„tium, alterum ad finem, utrumque tamen est Dei donum, „quia utrumque dictum est esse donatum... Quod enim est ini„tium verius christiano, quam credere in Christum? quis finis „melior, quam pati pro Christo?... Quid autem dici potest, „cur perseverantia usque in finem non donetur in Christo, cui „donatur pati pro Christo, aut, ut expressius eloquar, cui „donatur mori pro Christo?" Apostolus *Ephes.* 1. 11. inquit: *In illo, in quo salutem consequuti sumus, prædestinati secundum propositum ejus, qui universa operatur.* Hinc S. Augustinus cit. lib. num. 14. „Ac per hoc (ait) sicut operatur, ut „accedamus, sic operatur, ne discedamus. Propter quod ei per „Prophetam dictum est (a): *Fiant manus tua super virum dex„teræ tuæ, et super filium hominis, quem confirmasti tibi, et „non discedimus a te...* Quum ergo fit super eum manus Dei, „ut non discedamus a Deo, ad nos utique pervenit opus Dei „(hoc est enim manus Dei) quo opere fit, ut simus in Christo „permanentes cum Deo."

Concilium Arausicanum II. can. 10. hisce verbis definivit, perseverantiam esse singulare donum Dei: *Adjutorium Dei etiam renatis, ac sanctis est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono opere possint perdurare.* Quare S. Augustinus cit. lib. num. 13. *Si ergo alia documenta non essent, hæc Dominica oratio nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret... Siquidem et ut non discedamus a Deo, non ostendit dandum esse nisi a Deo quum poscendum ostendit a Deo.* Demum Concilium Tridentinum, ut alia multa nunc omittamus, sess. 6. can. 23. ita decrevit: *Si quis dixerit, justificatum sine speciali Dei auxilio perseverare posse, anathema sit.*

Prop. II. Auxilium gratiæ ad perseverandum est distinctum a gratia habituali, et ab habitibus infusis.

Prob. prop. Et quidem ut res tota in bono lumine ponatur, attendendum est ad ista, quæ habet Angelicus 1. 2. quæst. 137. art. 4. „Perseverantia dupliciter dicitur: uno modo pro ipso „habitu perseverantiæ, secundum quod est virtus: et hoc mo„do indiget dono habitualis gratiæ, sicut et ceteræ virtutes „infusæ. Alio modo potest accipi pro actu perseverantiæ duran„te usque ad mortem; et secundum hoc indiget non solum „gratia habituali, sed etiam gratuito Dei auxilio conservantis

(a) Psalm. 79. 18. et 19.

„ hominem in bono usque ad finem vitæ." Rationem hujus rei statim affert: „ Quia quum liberum arbitrium (inquit) de se sit „ vertibile, et hoc ei non tollatur per habitualem gratiam præ- „ sentis vitæ, non subest potestati liberi arbitrii etiam per gra- „ tiam reparati, ut se immobiliter in bono statuat, licet sit in „ potestate ejus, quod hoc eligat. Plerumque enim cadit in nos- „ tram potestatem electio, sed non exequutio." Præivit Angelico S. Augustinus etiam quoad istud doctrinæ caput lib. de *Corrept. et Grat.* num. 38. „ Nam si (inquit) in tanta infirmi- „ tate vitæ hujus... ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in ad- „ jutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent, „ si vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent, inter tot, „ et tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet... „ Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina „ gratia indeclinabiliter, et insuperabiliter ageretur; et ideo quam- „ vis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua „ vinceretur." Quare S. Doctor num. 9. simpliciter pronuntiat, perseverantiam esse distinctum donum Dei, dicens: *Etiam perseverantiam in bono proficientem usque in finem magnum esse Dei munus.* Num. 46. loquens de illis, qui gratiam acceperunt, et in ea non permanserunt, ait: *Dimissi enim sunt libero arbitrio, non accepto perseverantiæ dono, judicio Dei justo, et occulto.* Lib. de *Dono persever.* num 2. loquens tum de illis, qui occiduntur pro Christo, tum de aliis, qui vel ægritudine corporis, vel alia quavis causa moriuntur in Christo, ait: *Illam proinde difficilius perseverantiam, istam facilius est habere; sed cui nihil difficile est, facile est, utramque donare.* Hinc Tridentini Patres sess. 6. cap. 13. ajunt, quod donum perseverantiæ *aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est, eum, qui stat, statuere, ut perseveranter stet, et eum, qui cadit, restituere.* Et can. 22. *Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.* Nullus ergo remanet dubitandi locus, quin ad perseverandum requiratur auxilium gratiæ distinctum a gratia habituali, et infusis habitibus.

Dices. Justus, utpote filius Dei adoptivus, habet jus ad gloriam: aliunde vero mors corporis, justitia originali semel amissa, plerumque repetenda est a causis naturalibus: justus igitur absque alio auxilio Dei perseverat usque in finem, quando in ipsa justitia moritur.

R. dist. ant. justus jus habet ad gloriam absolute, et simpliciter, neg., si usque in finem perseveret in justitia, conc. et dist. alteram partem, mors repeti debet a causis naturalibus, quæ ex sui natura aliquam connexionem habeant cum homine, quatenus est justus, vel injustus, neg., quæ licet ex se nullam hujusmodi connexionem habeant, tamen tam in justo, quam in

injusto homine juxta divinam præordinationem agunt, conc. Cum S. Augustino lib. de *Dono persever.* num. 33. firmissime tenendum: *Et inchoandi, et usque ad finem perseverandi gratiam Dei non secundum merita nostra dari, sed donari secundum ipsius secretissimam, eamdemque justissimam, beneficentissimam voluntatem.* Et re quidem vera compertum est, aliquos, quousque peccatores, in hac vita retineri, veros pœnitentes effectos, mori contra alios, qui justitiam jam habitam amiserunt, mori, eam autem habentes retinentesque hic vivere. Quare et qui aliquando nullum jus habebant ad beatitudinem, justi deinde effecti, illud acquirunt, et morientes in justitia beatitudinem consequuntur: qui vero habebant, a justitia decidentes, illud amittunt, morientesque injusti privantur beatitudine. Quare a causis quidem naturalibus mors immediate proficiscitur; tamen quatenus ea conjungitur cum salute æterna, omnino subest secretissimæ, justissimæ, et beneficentissimæ voluntati, et providentiæ Dei, quæ est impervia nobis. Unde illud *Sapient.* 4. 11. *raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*, S. Augustinus lib. de *Prædest. Sanct.* num. 20. dictum affirmat: *Quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto.*

Prop. III. Perseverantia haberi debet uti singulare donum Dei non solum in iis, qui diu vixerunt in hac vita post acceptam justificationem, sed etiam in aliis tam pueris, quam adultis, qui a recepta justificatione per baptismum, vel pœnitentiam statim moriuntur.

Prop. prop. Profecto quod habet infallibilem connexionem cum gloria, qualem ipsa perseverantia revera habet, est singulare Dei donum a gratia *habituali*, et virtutibus infusis distinctum, quum non omnes, qui habent gratiam habitualem, et virtutes infusas, gloriam consequantur: sed hæc infallibilis connexio singulariter habetur vel in pueris, qui a recepto baptismate, aut antequam alicujus gravis peccati conscii esse possint, vel in adultis, qui a sua justificatione statim moriuntur; ergo etiam in istis perseverantia est donum singulare. „ Asseruimus ergo (in„ quit S. Augustinus lib. de *Dono persever.* num. 1.) donum „ Dei esse perseverantiam, qua usque in finem perseveratur in „ Christo. Finem autem dico, quo ista vita finitur, in qua tan„ tummodo periculum est, ne cadatur... Hanc certe, de qua „ nunc agimus, perseverantiam, qua in Christo perseveratur us„ que in finem, nullo modo habuisse dicendus est, qui non per„ severaverit usque in finem: potiusque hanc habuit unius an„ ni fidelis, et quantum infra cogitari potest, si donec morere„ tur, fideliter vixit, quam multorum annorum, si exiguum „ temporis ante mortem a fidei stabilitate defecit." Eodem lib. num 17. de parvulis: „ Videte (inquit) quam a veritate sit „ alienum, negare donum Dei esse perseverantiam usque in fi-

„ nem hujus vitæ: quum vitæ huic, quando voluerit, ipse det „ finem; quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem „ perseverare usque in finem. Sed mirabilior, et fidelibus evi- „ dentior largitas bonitatis Dei est, quod etiam parvulis, qui- „ bus obedientia non est illius ætatis ut detur, datur hæc gra- „ tia." Perseverantia igitur est donum singulare in omnibus, qui usque in finem perseverant. Si autem quis quærat, cur hoc donum illi, et non alteri conferatur; respondeo cum S. Augustino lib. de *Corrept. et Grat.* num. 17. *Si ergo confiteris, donum Dei esse perseverantiam in bono usque in finem: cur hoc donum ille accipiat, ille non accipiat, puto, quod mecum pariter nescis, et ambo hic inscrutabilia judicia Dei penetrare non possumus.*

Prop. IV. Donum perseverantiæ quam maximam efficaciam, eamque a Deo habet.

Prob. prop. Illius doni efficacia est quam maxima, quo semel posito, effectus illius infallibiliter ex ipso consequitur: sed hoc est, quod facit donum perseverantiæ: ergo. Prob. min. S. Augustinus lib. de *Corrept. et Grat.* num. 34. tradit, a Deo dari prædestinatis donum perseverantiæ: *Non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint.* Num. 38. loquens de perseverantia sanctorum ait: *Sed in eis etiam operatur et velle: ut quoniam non perseverabunt, nisi et possint, et velint, perseverandi eis et possibilitas, et voluntas divinæ gratiæ largitate donetur.* Post nonnulla alia distinguens adjutorium ad perseverandum, quod habuit Adam, ab eo, quod nobis modo confertur, dicit: *Fortissimo quippe dimisit, atque permisit facere, quod vellet: infirmis servavit, ut, ipso donante, invictissime quod bonum est, vellent, et hoc deserere invictissime nollent.* Lib. de *Dono persev.* num. 9. „De illa enim perseverantia loquimur, „ qua perseveratur usque in finem; si autem non est perseveratum „ usque in finem, non est data." Et num. 17. „ quando ergo „ rogavit, ne fides ejus (Petri) deficeret, quid aliud rogavit, „ nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, perseveran- „ tissimam voluntatem?"

In hisce omnibus locis, aliisque multis similibus, quæ in medium proferri possent, duo sane propugnat S. Augustinus: 1. donum perseverantiæ simpliciter, atque absolute esse a Deo, atque ab eo tantum habere voluntatem, ut revera perseveret; 2. ad hoc donum sequi infallibiliter perseverantiam, ita ut si quis non perseveraverit, dicendum sit, non accepisse donum perseverantiæ. Hisce autem duobus semel positis, per se constat de falsitate opinionis illorum, qui dicunt, perseverantiam esse quidem donum Dei, attamen tale, quod Deus confert, præviso antea consensu per scientiam mediam humanæ voluntа-

tis bene usuræ hujusmodi auxilio, et perseveraturæ usque in finem.

Prop. V. Duplex perseverantia, una quidem, quam habeant confirmati in gratia, altera, quæ sit communis omnibus justis, ad arbitrium confingitur.

Prob. prop. Auxilium gratiæ ad perseverandum est distinctum a gratia habituali, et habitibus infusis (prop. 2.): item; perseverantia est donum singulare illorum, qui perveniunt ad vitam æternam (prop. 3.): item donum perseverantiæ quam maximam efficaciam, eamque a Deo habet (prop. 4.): ergo nihil magis ad arbitrium confingi potest, quam duplex perseverantia, una quidem propria confirmatorum in gratia, altera communis omnibus justis.

Quare tum Concilium Tridentinum, tum Patres ejus tantum, soliusque perseverantiæ mentionem fecerunt, de qua legimus scriptum (a): *qui perseveraverit usque in finem, salvus erit.* Nam Concilium Tridentinum sess. 6. can. 16. ita definivit: „Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum „se certo habiturum, absoluta, et infallibili certitudine dixe„rit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit, anathema sit." Antea vero cap. 13. ejusdem sess. ita habent Tridentini Patres: „Similiter de perseverantiæ munere, de quo scriptum est: qui „perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Quod quidem „aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est, eum, „qui stat, statuere, ut perseveranter stet, et eum, qui ca„dit, restituere; nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine „polliceatur." Hinc S. Augustinus ita præclare ad rem nostram lib. de *Dono persever.* num. 10. „De illa enim perse„verantia loquimur, qua perseveratur usque in finem; si autem „non est perseverantia usque in finem, non est data... Dici„mus quippe castum, quem novimus castum, sive sit, sive „non sit in eadem castitate mansurus.... perseverantiam vero „usque in finem, quoniam non habet quisquam, nisi qui per„severat usque in finem." S. Prosper in *Respons. ad 7. cap. Gallorum*: *Quum autem dubium non sit, donum Dei esse perseverantiam in bonum usque ad finem, quam justos, ex eo ipso quod non perseverarunt, non habuisse manifestum est.*

Et re quidem vera perseverantia, juxta notionem ejus traditam in Sacris litteris, et inculcatam auctoritate Patrum, dicit indivisibilem conjunctionem status gratiæ cum ultimo fine vitæ præsentis: ergo nonnisi una, et indivisibilis esse potest. Deinde numerus illorum, quos in gratia confirmatos fuisse novimus, comparari non potest cum numero ceterorum, qui in gratia confirmati non fuerunt: horum tamen plures, æque ac illos, ob per-

(a) Matth. 10. v. 22.

severantiam consequutos fuisse salutem æternam, dubitari non potest: ergo quoad confirmatos in gratia falso confingitur singulare donum perseverantiæ.

Neque minus falso confingitur unum donum perseverantiæ commune omnibus justis. Semel ac ponatur, donum perseverantiæ omnibus justis esse commune, inde certo consequitur, ut qui ex illis perseverant, se discernant ab aliis, qui non perseverant: item qui perseverant, ut habeant a se quid longe præstantius eo, quod habent a Deo: nam a Deo, sicuti tradunt auctores duplicis perseverantiæ, habent, ut perseverare possint, quod est commune omnibus justis, a se autem ut perseverent: sed præstantius est actu perseverare, quam posse perseverare: ad illud enim vita æterna infallibiliter consequitur, non vero ad istud: igitur semel posita perseverantia communi omnibus justis, qui ex illis perseverant usque in finem, a se habent, quod magis, a Deo autem, quod minus præstat. Quod unus se discernat ab altero, est contra Apostolum 1. *Corint.* 4. 7. quod unus habeat a se, quod magis præstat, a Deo autem quod minus, ipsi etiam lumini rationis adversatur.

§. II.

De necessitate gratiæ ad perseverandum, habita ratione naturæ integræ.

Jansenius in suo singulari lib. de *Gratia primi hominis, et Angelorum* quoad hoc doctrinæ caput sequutus Molinam, ejusque discipulos docuit, Adamum in statu innocentiæ, et Angelos adhuc viatores, tam ad agendum bonum supernaturale, quam ad perseverandum auxilio gratiæ efficacis non indiguisse, sed solummodo versatilis, atque indifferentis, quam suo libero arbitrio, et cooperatione facerent efficacem. Jansenium hac in re plures Theologi sequuntur, non secus, ac ille, putantes, suam sententiam non solum esse conformem S. Augustini doctrinæ, sed etiam ab eodem S. Doctore manifeste traditam: contra alii putant, quos maxima ex parte recensuit Gravesonius epist. classi 1. epist. 9. num. 3. De hisce duobus modo nos simul agemus, hoc est, de necessitate efficacis gratiæ et quoad primum hominem, et quoad Angelos in statu viæ, tam ad agendum supernaturale bonum, quam ad perseverandum usque ad finem. Nam etiam Jansenius concedit, idem judicium esse ferendum de gratia, quæ necessaria fuit primo homini, et Angelis, tam quoad agendum, quam quoad perseverandum. Et re quidem vera in Angelis actio meritoria cum finali perseverantia conjuncta fuit: quemadmodum enim ostendimus in Disput. De Angelis

lib. 2. cap. 3. §. 2., tria instantia in Angelis bonis distinguì debent: unum creationis in gratia, alterum meritoriæ conversionis in Deum, tertium glorificationis, et confirmationis in bono, proptereaque in secundo instanti fuit in illis non solum actio meritoria, sed etiam perseverantia finalis, quia ad hoc istans statim consequuta fuit in Angelis glorificatio, et confirmatio in bono.

Necessitatem gratiæ efficacis repeti solummodo non debere ab infirmitate, et corruptione peccato originali invecta in naturam humanam, uti vult Jansenius, indeque illam excludit a statu integræ naturæ, sed etiam quam maxime ab omnipotentia Dei, ejusque supremo dominio supra voluntates hominum, nunc supponimus, quum id hujus Disput. lib. 4. cap. 1. jam ostenderimus.

Quid intelligamus, quando dicimus tum primum hominem, tum Angelos actuali efficaci gratia indiguisse, ut se in Deum auctorem supernaturalem converterent, et in bono perseverarent, nunc paucis. De conversione igitur hìc non in eo sensu loquimur, quatenus qui se ad Deum uti finem ultimum convertit, quovis modo aversus sit ab illo: nam Angeli, et primus homo creati in gratia ad Deum erant conversi, atque habebant habitualem gratiam, indeque ad se convertendum in Deum, atque perseverandum non indigebant auxilio gratiæ habitualis, sed solummodo actualis. Hanc ergo gratiam non fuisse versatilem, atque illorum libero arbitrio subjectam, sed virtute Dei ab intrinseco efficacem, nunc contendimus.

Prop. I. Primus homo, atque Angeli ad se convertendum in Deum uti in ultimum finem, atque ad perseverandum indiguerunt auxilio gratiæ virtute Dei ab intrinseco efficacis.

Prob. prop. S. Augustinus lib. de *Corrept. et Grat.* num. 32. postquam dixerat, fieri in nobis per gratiam: *In bono recipiendo, et perseveranter tenendo non solum posse, quod volumus, verum etiam velle, quod possumus*; statim superaddit: *Quod non fuit in primo homine: unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit.* Quare fuit prius, hoc est, posse quod volebat, non vero alterum, hoc est, velle quod poterat? *Namque* (inquit S. Doctor) *ut reciperet bonum, gratia non egebat, quia nondum perdiderat: ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratiæ, sine quo id omnino non posset: et acceperat posse, si vellet, sed non habuit velle, quod posset, nam si habuisset, perseverasset.* Quapropter gratia Dei fit in nobis, ut quoad bonum recipiendum, et perseveranter tenendum et possimus, quod volumus, et velimus, quod possumus: posse enim et velle sunt duo inter se distincta juxta axioma philosophorum. Adam quoad bonum recipiendum non indigebat gratia, quia illam nondum amiserat; at quoad bonum perseveranter tenendum, sive ut in bono

recepto permaneret, *egebat adjutorio gratiæ*, et quidem tali, *sine quo id omnino non posset.* Unde, utpote creatus in gratia, *acceperat posse* (videlicet permanere), *si vellet; sed non habuit velle* (videlicet actu permanere), *quod posset*: nam si habuisset istud velle, perseverasset. Quare juxta firmissimam sententiam S. Doctoris Augustini Adam indiguit adjutorio gratiæ ad bonum perseveranter tenendum, sive ut in recepto bono actu permaneret, atque ita indiguit adjutorio gratiæ, ut sine eo omnino actu perseverare non posset, illo semel posito, revera perseveraret. Profecto nemo non debet videre, hujusmodi adjutorium gratiæ versatili esse prorsus oppositum: est enim adjutorium, quo semel posito, habetur perseverantia, quo non posito, non habetur.

Verum ut facile solvatur id omne, quod Jansenius, et alii in confirmationem suæ opinionis ex S. Augustino depromunt, adverti debet, pro gratia versatili Adamo proposita, ejusque libero arbitrio subjecta, falso accipere eos gratiam illam, quam Adam revera in se habuit, ut posset bene agere, ut perseverare posset. Hac enim de gratia loquitur Augustinus, quando inquit cit. lib. num. 31. *Quod adjutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium; semper esset bonus, sed deseruit, et desertus est. Tale quippe adjutorium erat, quod desereret, quum vellet, et in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, ut vellet.* Profecto revera jam habetur, jamque retinetur id, quod aliquis potest deserere, vel in eo permanere, si vult: ergo de adjutorio ab Adamo jam recepto, et in ipso existente loquitur Augustinus, quando affirmat, tale adjutorium fuisse, quod vel desereret, vel in eo permaneret, si vellet. Hoc sane adjutorium juxta sanctum Doctorem fuit illud, quo Adam bene agere, quo perseverare poterat: „Nec ipsum ergo Deus (inquit citat. num.) „esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero ar„bitrio. Quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bo„num parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti Deo." Quando ergo Augustinus asserit, Adam potuisse deserere, vel non deserere adjutorium sibi datum, de eo adjutorio loquitur ab Adamo recepto, quo posset bene agere, et perseverare, non autem de adjutorio oblato ipsi Adamo, ejusque liberi arbitrii potestati relicto, quo, prout ille vellet, uteretur, vel non uteretur.

His quoque aliis, quæ habet S. Doctor eodem lib. num. 37., ad illud adjutorium respexit, quod, habita ratione status gratiæ, in qua creatus fuit, accepit Adam ad perseverandum, vel non perseverandum, non vero ad adjutorium versatile, sicut adversarii voluint: „Ut ergo (inquit) non acciperet hoc „donum Dei, id est, in bono perseverantiam, sed perseve„rare, vel non perseverare in ejus relinqueretur arbitrio, ta„les vires ejus habebat voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta

„ peccato, et nihil illi ex se ipso concupiscentialiter resistebat, „ ut digne tantæ bonitati, et tantæ bene vivendi facilitati per- „ severandi committeretur arbitrium." Vires profecto respicit S. Doctor, quas Adam ad perseverandum habuit, indeque infert tantæ facilitati bene vivendi, arbitrium perseverandi commissum fuisse; nullo autem modo attendit ad versatile auxilium, quo, prout vellet, vel uteretur, vel non uteretur ad perseverandum. Unde statim superaddit: *Deo quidem præsciente* (profecto non alia scientia, quam media, sententia adversariorum semel posita) *quid esset facturus injuste, non ad hoc cogente: sed simul sciente, quid de illo ipse faceret.* Consentanee hæc omnia Augustinus ad id, quod sibi proposuerat.

Num. 26. ejusdem lib. quæsierat, qua ratione Adam culpandus sit, licet perseverantiæ donum non acceperit, quum dici non possit, eo fuisse destitutum, quia non erat discretus a massa perditionis: nam antequam ille peccaret, nulla erat in humano genere massa perditionis.

Respondet 1. num. 26., quod Deus „Scivit magis ad suam „ omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene „ facere, quam mala esse non sinere, sic ordinasse hominum, „ et Angelorum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset „ eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ be- „ neficium, justitiæque judicium." Postea conformiter ad propositam sibi quæstionem multis ostendit, recte repositum in illius arbitrio fuisse perseverare, vel non perseverare, quia ad id: *Tales vires ejus habebat voluntas, quæ sine ullo fuerat instituta peccato, et nihil illi ex se ipso concupiscentialiter resistebat.*

Verum quis posset quærere, qua ratione dicatur, primum hominem gratia efficaci ad perseverandum indiguisse, si, docente Augustino, ejus libero arbitrio relictum fuit, ut perseveraret, vel non perseveraret. Porro quis dicitur perseverare in eo statu morali, in quo est, quousque non peccat; ad finalem perseverantiam non solum requiritur istud, sed etiam actuale meritum in adultis, quum ad perseverantiam finalem gloria consequatur, quæ in adultis actuale meritum prærequirit. Prior perseverantia libero arbitrio Adami relicta fuit, deque ea loquitur S. Augustinus, non vero perseverantia finalis, quum ipsa meritum inde præsupponat, quia cum alterius vitæ æterna felicitate conjungitur. S. Thomas quæst. 3. de *Malo* art. 1. ad 9. loquens de primo homine ait: „Quia secundum statum „ naturæ conditæ homo nihil habebat impellens ad malum, li- „ cet bonum naturæ conditæ non sufficeret ad gloriæ consequu- „ tionem: et ideo indigebat auxilio gratiæ ad merendum, non „ autem indigebat ad peccata vitanda: quia per hoc quod na- „ turaliter acceperat, poterat stare." Et 1. 2. quæst. 109. art.

2. hæc superaddit. „Sic igitur virtute gratuita superaddita virtuti naturæ indiget homo in statu naturæ integræ quantum „ad unum, scilicet ad operandum, et volendum bonum supernaturale: sed in statu naturæ corruptæ quantum ad duo, „scilicet ut sanetur, ut bonum supernaturalis virtutis operetur." Verum ad S. Augustinum redeamus, et quid acceperunt Angeli, qui perseverarunt, et quid non acceperunt Angeli, qui non perseverarunt, nunc expendamus.

Loquens S. Doctor cit. lib. de *Corrept. et Grat.* num. 27. de Angelis, qui perseverarunt, ait: „Ceteri autem per ipsum „liberum arbitrium in veritate steterunt, eamque de suo casu „nunquam futuro certissimam scire meruerunt. Si enim nos „de Scripturis sanctis nosse potuimus, sanctos Angelos jam nullos esse casuros; quanto magis hoc ipsi, revelata sibi sublimius veritate, noverunt?" Deinde vero de Angelis malis ita habet: „Diabolus vero, et angeli ejus, etsi beati erant, antequam caderent, et se in miseriam casuros esse nesciebant, erat „tamen adhuc, quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tamquam præmium ipsius permansionis „acciperent, id est, ut, magna per Spiritum Sanctum data „data abundantia caritatis Dei, cadere ulterius omnino non „possent, et hoc de se certissime nossent. Hanc plenitudinem „beatitudinis non habebant." Quapropter defuit angelis malis in statu beatitudinis, in quo erant creati, antequam summæ beatitudinis plenitudinem, tamquam præmium ipsius permansionis, acciperent, defuit, inquam, magna per Spiritum Sanctum sibi data abundantia caritatis Dei, qua cadere ulterius non possent, et hoc de se certissime nossent: igitur juxta regulam oppositorum angeli boni antequam acciperent summæ beatitudinis plenitudinem, tamquam præmium ipsius permansionis, receperunt, quod beatitudini illorum supererat addendum, videlicet ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia caritatis Dei, cadere ulterius omnino non possent, et hoc de se certissime, revelata sibi sublimius veritate, noverunt. Magna igitur accepta per Spiritum Sanctum abundantia caritatis Dei, summæ beatitudinis plenitudinem, tamquam præmium ipsius permansionis, acceperunt. Efficaci autem gratia magnam caritatis Dei abundantiam diffundi, nemo negaverit. Ex quo sane constat, Jansenium lib. de *Grat. primi hom. et Angel.* cap. 16. contra S. Augustini auctoritatem contendere, perseverantiam, et merita in statu innocentiæ humanæ, et Angelicæ non fuisse specialia dona Dei.

Tandem illud hic advertatur oportet, sensisse Augustinum, sicuti ex ejus præcitato loco constat, et quidem conformiter ad illa tria instantia, scilicet creationis in gratia, conversionis in

Deum, sicuti in ultimum finem, et glorificationis, quæ nos posuimus in Angelis, sensisse, inquam, in eo instanti, in quo Angeli boni sese converterunt in Deum, sicuti in ultimum finem, eos fuisse in gratia confirmatos, propterea que novisse ab illo statu se amplius non posse decidere.

Nunc pauca de adjutorio sine quo, cujus etiam a S. Augustino sæpius mentionem factam fuisse, legimus. Vult igitur Jansenius una cum suis, S. Augustinum hoc adjutorio designasse gratiam versatilem relictam libero arbitrio hominis, et Angelorum. Falso tamen: S. Augustinus cit. lib. num. 31. postquam plura disseruit de adjutorio sine quo, ait: *hæc est prima gratia, quæ data est primo Adam.* Rursus num. 32. ita de eodem adjutorio: „Si autem hoc adjutorium vel Angelo, „vel homini, quum primum facti sunt, defuisset, quoniam non „talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset per„manere, si vellet, non utique sua culpa cecidissent." Nunc ita: prima gratia data primo homini, ut posset perseverare, in prima origine ejus data illi fuit: rursus adjutorium datum Angelis, vel primo homini, quum primum facti sunt, fuit adjutorium, quod in sui creatione ipsi receperunt. Angeli, et homo in sui creatione habuerunt hanc primam gratiam, hoc adjutorium, ut perseverare possent: igitur simul cum sanctificante gratia, in qua creati fuerunt, illam quoque primam gratiam, illud adjutorium recepere: ab habitibus igitur infusis ipsius gratiæ sanctificantis est illa prima gratia, illud adjutorium, in quo Angeli, et primus homo creati fuerunt. Ita sane sensit Augustinus, qui in cit. lib. num. 34. explicans principium, et veluti radicem adjutorii sine quo ita habet: „Primo itaque homini, qui *in eo „bono, in quo factus fuerat rectus*, acceperat posse non pec„care, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, da„tum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perse„veraret, sed sine quo liberum arbitrium perseverare, non „posset." Igitur in eo bono, in quo factus fuit rectus (hoc autem bonum esse gratiam sanctificantem, nullus negaverit) accepit, ut posset perseverare, propterea que adjutorium sine quo est ab habitibus infusis ipsius gratiæ sanctificantis, quibus, quum tunc nulla esset in humana natura massa perditionis, ut verbis Augustini utar, primus homo facile poterat perseverare; tamen poterat etiam non perseverare, quia tum ob gratiam, in qua fuerat creatus, tum ob infusos habitus ejusdem gratiæ non erat firmatus in bono. Ecce sublatum totum fundamentum gratiæ versatilis Jansenianæ.

Alterum tantum S. Augustini locum desumptum ex cap. 9. lib. 12. de *Civit. Dei* nunc expendamus, simulque causa brevitatis diluemus, quæ habet Jansenius in lib. de *Grat. primi hom. et Angel.* cap. 18., ut ostendat Augustinum contra

se non facere. Loquens S. Augustinus de Angelis bonis num. 1. statuit, cum bona voluntate eos a Deo fuisse creatos, et in hoc discretos ab Angelis malis, quod ipsi *in bona voluntate permanserunt*, mali autem *ab ea deficiendo mutati sunt.* Explicat deinde quomodo Angeli boni in bona voluntate permanserunt, et qua virtute permanserunt, inquiens: „Aut si non potuerunt se ipsos facere meliores, quam eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam facit; profecto et bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adjutorio creatoris, habere non possent. Et quum id egit eorum voluntas bona, ut non ad seipsos, qui minus erant, sed ad illum, qui summe est, converterentur, eique adhærentes magis essent, ejusque participatione sapienter, beateque viverent, quid aliud ostenditur, nisi voluntatem quamlibet bonam inopem fuisse in solo desiderio remansuram, nisi ille, qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex se ipso faceret implendo meliorem, prius faciens excitando avidiorem?" S. Augustinum hic loquutum esse de bona voluntate Angelorum primi instantis, in quo creati fuerunt, non vero de secundo instanti, quo se converterunt in Deum, Jansenius falso commininiscitur: nam loquitur Augustinus de bona voluntate Angelorum, qua facti fuere meliores, quam erant creati, eamque in Angelis esse non potuisse dicit, nisi operante adjutorio creatoris. Angeli hanc bonam voluntatem, qua evaserunt meliores, quam erant creati, tunc sane habuerunt, quando ad illum, qui summe est, sese converterunt, eique *magis* adhæsere. Ex quo sane illud esse compertum, affirmat, voluntatem factam fuisse *meliorem* ab eo, qui *bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat.* Sensum igitur verborum Augustini Jansenius potius pervertere voluit, quam fateri, illum sibi contrarium esse.

Ita pergit S. Augustinus in cit. loco num. 2. loquens de Angelis malis: „Illi autem qui quum boni creati essent, tamen mali sunt mala propria voluntate... aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quam illi, qui in eadem perstiterunt; aut si utrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se numquam casuros certissimi fierent, pervenerunt." Ista Jansenius ad rem nostram non facere, atque ad illam *non sine maxima absurditate torqueri*, in citato loco inde contendit, quia S. Doctor nomine illius amplioris adjutorii non intellexit adjutorium status viæ, sed adjutorium status patriæ, positum aut in lumine gloriæ, aut in certa cognitione nunquam amittendæ beatitudinis semel consequutæ. At obvio, et per se manifesto sensui verborum Augustini nihil magis contrarium dici potest: eo enim de adjutorio loquitur S. Doctor, quo Angeli boni adjuti *perstiterunt* in gratia, quo non adjuti An-

geli mali, licet creati in gratia, mali evaserunt propria voluntate. Hoc autem si non est adjutorium viæ, non video sane, neminemque videre posse, arbitror, quodnam aliud sit. Deinde quisnam unquam dixerit, adjutorio status patriæ Angelos bonos ad patriam pervenisse? Status enim patriæ semel ac habeatur, nullum amplius adjutorium patriæ requiritur, ut ad patriam perveniatur. Quando vero S. Augustinus dicit de Angelis bonis, quod *amplius adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt:* confirmat suam illam sententiam, de qua modo loquuti fuimus.

Nunc ita ex iis, quæ ex S. Augustino in medium protulimus. Adam indiguit auxilio gratiæ, ut actu permaneret in bono, et sine eo istud præstare non poterat: Angeli boni, magna per Spiritum Sanctum illis data abundantia caritatis Dei, noverunt se non esse casuros, revelata sibi sublimius veritate: item ab adjutorio Dei habuerunt, ut suam voluntatem facerent meliorem: rursus aut majorem præ malis acceperunt amoris divini gratiam, aut amplius adjuti fuerunt. Hæc vero omnia et prorsus excludunt versatilem gratiam, qua bene usi fuerint Angeli boni, male autem primus homo, et Angeli mali, et sunt etiam argumenta evidentissima gratiæ efficacis, quæ sola facit, ut actu permaneamus in bono, ut magna abundantia caritatis nobis conferatur, ut voluntas nostra fiat melior, ut ea adjuti id boni faciamus, quod alii, eadem non adjuti, non faciunt: ergo primus homo, et Angeli ad se convertendum in Deum ut ultimum finem, atque ad perseverandum indiguerunt auxilio gratiæ Dei sua virtute ab intrinseco efficacis. Legatur in hanc rem S. Fulgentius lib. 2. ad Trasimundum cap. 3.

Ex his omnibus, quæ fortasse pluribus, quam ferebant institutiones Theologicæ, usque modo disseruimus, constat, quam nullius momenti sint, quæ Jansenius lib. de *Grat. primi hom. ex Aug.* cap. 16. contra opponit etiam desumpta ex lib. de *Corrept. et Grat.*

Prop. II. Quæ Jansenius firmissima principia S. Augustini Molinistis opposuit, hac sua opinione omnino convellit.

Prob. prop. Inter hujusmodi principia suum locum ista quoque habent: non posse hominem se ipsum facere sua virtute meliorem, quam Deus illum fecerit: nihil hominem habere a semetipso, in quo gloriari possit, nihilque habere etiam, unde se discernere a quovis alio possit; demum, ut alia omittamus, nobis imperscrutabile esse, cur unum præ altero Deus sua gratia ita trahat, ut consentiat; cur unus in accepta justitia perseveret, non item alter. At versatili gratia semel posita in Angelis, qui ex illis suo consensu fecissent eam efficacem, se ipsos fecissent ex se meliores, quam a Deo conditi fuerant: habuissent a se unde possent gloriari: se discrevissent ab Angelis

malis, qui gratiam versatilem suo consensu efficacem non reddiderunt: non esset amplius imperscrutabile, quomodo in illis divina gratia fuisset efficax, itemque eorumdem perseverantia imperscrutabilis non esset. Quæ ergo Jansenius firmissima S. Augustini principia Molinistis opposuit, ea ipse hac sua opinione convellit.

Unum hic superesse videtur, quod Jansenius contra reponere possit, hoc est, aliam esse habendam rationem status naturæ corruptæ, et naturæ integræ: in illa homo ob corruptionem naturæ minus potest, quam poterat in integra, utpote in qua, sicuti ait S. Augustinus, primo homini *ex se ipso nihil concupiscentialiter resistebat.* Verum idem Augustinus, qui hoc dixit, illud quoque affirmavit lib. 12. de *Civit. Dei* cap. 9. num. 1. Angelos non potuisse, *se ipsos facere meliores, quam eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam facit*: illud ulterius constituit, quod Angeli *et bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris habere non possent*: tandem asseveravit, confitendum esse „ cum debita laude Creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de „ sanctis Angelis posse dici, quod caritas Dei diffusa sit in eis „ per Spiritum Sanctum, qui datus est eis."

Unum tantum locum superaddam in hanc rem petitum ex S. Fulgentio lib. 2. ad Trasimundum cap. 3. „ Profecto cognoscitur, (inquit ille) cunctos (Angelos) opprimi potuisse ruinæ consortio, nisi quos vellet, a casu pravitatis vis illa defenderet, quæ sola naturaliter mutari, depravarive non posset. Ipsa igitur homini reparando fuit necessaria, quia non „ alia stantem Angelum a ruina potuit custodire, nisi illa, quæ „ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata, in hoc ut surgeret, in illo ne caderet: „ in illo ne vulneraretur, in isto ut sanaretur. Ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non sivit." Quod igitur dicendum Jansenio superesse, alicui fortasse videri poterat, est omnino futile, atque inane.

Legatur hac tota de quæstione, cui nos modo finem imponimus, Antoninus Reginaldus de *Mente Concilii Trident.* part. 2. cap. 30. et seqq.

LAUS DEO.

INDEX

TOMI QUARTI.

DISPUTAT. IX.

De peccato originali. Pag. 1

LIBER PRIMUS.

De Transfusione peccati originalis in posteros Adæ. ibid.

Cap. I. De Transfusione peccati originalis in posteros Adæ, quatenus ea comprobatur auctoritate verbi divini scripti. 4
Prop. Constat ex Sacris litteris tum Veteris, tum Novi Testamenti, peccatum originale ab Adamo transmitti in omnes posteros. ibid.
Cap. II. De Transfusione peccati originalis in posteros Adæ, quatenus de illa compertum est ex Traditione. 12
Prop. De transfusione peccati originalis in Adæ posteros constat ex traditione veterum Patrum. ibid.
Cap. III. De Transfusione peccati originalis in posteros Adæ, quatenus de illa etiam ipsa ratione compertum esse potest. 17
Prop. I. Si ad humanam naturam, qualis nunc est, attendatur, in ea apparent quædam probabilia signa cujusdam peccati originalis. ibid.
Prop. II. Translatio peccati originalis in posteros Adæ perspicue ostenditur rationibus Theologicis, quæ innituntur principiis fidei. 18

LIBER SECUNDUS.

De natura, seu essentia peccati originalis. 23

Cap. I. De peccato originali, quatenus in omnibus est aliquo modo voluntarium, habet veram rationem peccati, atque proprium est singulorum. ibid.
Prop. I. Peccatum originale est voluntarium omnibus ex Adamo descendentibus, quatenus voluntas omnium in Adamo continebatur. 24
Prop. II. Peccatum originale est vere, et proprie peccatum. 25

Prop. III. Peccatum originale est revera proprium singulorum Adæ posterorum. 26
Cap. II. De peccato originali, quatenus illud nullo modo potest reponi in quadam qualitate positiva. 27
Prop. peccatum originale non est aliqua morbida positiva qualitas, quæ ex corruptione carnis contrahatur, ab anima, quando infunditur corpori. 28
Cap. III. De peccato originali, quatenus ipsum in substantiali corruptione animæ reponi non potest. 30
Prop. Peccatum originale non consistit in substantiali corruptione animæ. ibid.
Cap. IV. De peccato originali, quatenus illud non consistit in concupiscentia. 32
Prop. Concupiscentia, seu propensio ad malum, non est ipsum peccatum originale. 33
Cap. V. De essentia peccati originalis. 36
Prop. Peccatum originale formaliter est privatio justitiæ originalis, materialiter vero est ipsa concupiscentia. 37

LIBER TERTIUS.

De ea ratione, qua transfunditur peccatum originale, deque subjecto illius. 38

Cap. I. De ea ratione, qua peccatum originale transfunditur in Adæ posteros. ibid.
Prop. Anima labem peccati originalis inde contrahit, quia quum infundatur corpori, quod descendit ab Adam per generationem naturalem, fit compars una cum corpore humanæ naturæ, et simul cum illo constituit humanam naturam descendentem ab Adam per generationem naturalem. 39
Cap. II. De subjecto originalis peccati. 40
Prop. I. Caro non est subjectum originalis peccati, sed ipsa anima. ibid.
Prop. II. Anima est subjectum magis præcipuum peccati originalis, quam potentiæ illius. ibid.

LIBER QUARTUS.

De effectibus peccati originalis. 41

Cap. I. De vulneribus inflictis humanæ naturæ propter peccatum originale. 42
Prop. I. Vulnus ignorantiæ inflictum est rationi propter peccatum originale. ibid.

Prop. II. Vulnus malitiæ inflictum est voluntati propter peccatum originale. 44
Prop. III. Vulnus infirmitatis inflictum est potentiæ irascibili propter peccatum originali. ibid.
Prop. IV. Propter originale peccatum inflictum est vulnus etiam potentiæ concupiscibili, quatenus ea remansit destituta suo ordine ad bonum delectabile. 45
Prop. V. Peccatum originale ex sui intrinseca ratione non consistit in sola privatione, sed includit in se aliquid positivum. 46
Cap. II. De vulnere, quod libero arbitrio est inflictum propter peccatum originale. 47
Prop. I. Propter peccatum originale liberum arbitrium minime extinctum fuit. 48
Prop. II. Liberum arbitrium propter originale peccatum fuit attenuatum, atque diminutum. 51
Prop. III. Si ratio habeatur etiam inferiorum virium animæ, immo et corporis, constat de vulnere iisdem inflicto ob originale peccatum. 52

LIBER QUINTUS.

De Pœna, quæ post hanc vitam peccatum originale punietur. 53

Cap. I. De pœna damni, cui infantes obnoxii erunt in altera vita propter peccatum originale. ibid.
Prop. Pueri ex hac vita decedentes cum peccato originali puniuntur pœna damni. 54
Cap. II. De ea immunitate a pœna sensus, quæ in pueris non renatis fonte baptismatis admitti debet. 56
Prop. I. S. Augustini auctoritate non constat de pœna sensus, quam pueri non baptizati patiantur in altera vita. 57
Prop. II. Parvuli ex hac vita decedentes cum labe peccati originalis non patiuntur pœnam sensus. 61
Cap. III. De ea Beatitudine, vel felicitate, quam pueris non baptizatis nonnulli Catholici Auctores tribuerunt. 66
Prop. Parvulos ex hac vita sine baptismate decedentes posituros extra locum damnationis aliqua naturali beatitudine, est figmentum, quod verbo Divino tum scripto, tum tradito adversatur. ibid.

DISPUTATIO X.

De peccato actuali. 69

LIBER PRIMUS.

De libertate, quæ requiritur ad merendum, vel demerendum. ibid.

Cap. I. De multiplici acceptione libertatis. ibid.
Cap. II. De iis, quæ ad veram rationem perfectæ libertatis requiruntur. 71
Prop. I. Indifferentia activa, atque potestatis ad agendum, vel non agendum, aut ad agendum hoc, vel illud necessario requiritur ad veram liberi arbitrii rationem. 72
Prop. II. Necessitas, a quovis principio ea sit, opponitur veræ, perfectæque libertati. 75
Prop. III. Indifferentia ab bene, vel male agendum, quæ dicitur indifferentia contrarietatis, non pertinet ad essentiam, et perfectionem libertatis, sed ad imperfectionem, et defectum illius. Est tamen illa non quidem extensio quædam libertatis, qualis nunc est in nobis, sed ejusdem certum argumentum. 78
Prop. IV. Indifferentia activa potestatis non est extincta in nobis propter peccatum originale. 80
Cap. III. De ea ratione, qua homines libere se habent ad merendum vel demerendum. 81
Prop. In statu naturæ lapsæ libertas a necessitate requiritur ad merendum, vel demerendum. 82

LIBER SECUNDUS.

De relatione nostrorum operum in Deum. 88

Cap. I. De illo principio, a quo profluit obligatio relationis nostrorum operum in Deum. ibid.
Prop. I. Obligatio referendi opera nostra in Deum in præcepto caritatis includitur, atque ab illo non distinguitur. ibid.
Cap. II. De natura præcepti relationis nostrorum operum in Deum. 89
Prop. I. Præceptum relationis nostrorum operum in Deum non aliter, ac præceptum caritatis, in quo includitur, est affirmativum, propterea que non obligat ad semper, hoc est, quovis loco, et tempore. 90

Prop. II. Non peccat, qui omittit sua opera in Deum referre eo loco, vel tempore, quo non obligat præceptum relationis nostrorum operum in Deum. ibid.
Prop. III. Quod agimus, quovis tandem modo illud sit malum, non induit novam malitiam ob defectum relationis in Deum, semel ac non urgeat præceptum ejusdem relationis: si vero urgeat, novam malitiam induit. ibid.
Prop. IV. Si quod agitur, servato morali ordine rectæ rationis, tam in se spectatum, quam juxta proximum finem, atque circumstantias rectum est, nullam peccati malitiam inde contrahit, quia non refertur in finem ultimum, semel ac tunc non urgeat præceptum hujusmodi obligationis: contrahit vero si illud urgeat. 91
Prop. V. Dari potest opus, atque revera datur, quod, servato morali ordine rectæ rationis, nullam in se peccati malitiam habeat, licet in ultimum finem supernaturalem non referatur. ibid.
Cap. III. De necessitate relationis nostrorum operum in Deum ultimum finem, ut ipsa conducant ad vitam æternam. 92
Prop. I. Ut ad salutem æternam consequendam conducant nostra opera, licet in se recta, oportet, ut in Deum, sicuti in finem ultimum, per caritatem referantur. ibid.
Cap. IV. De diversa ratione, qua nostra opera in Deum referuntur. 93
Prop. I. Non satisfit præcepto relationis operum in Deum per relationem habitualem. ibid.
Prop. II. Satisfit præcepto relationis operum in Deum per relationem virtualem. 94
Prop. III. Ut satisfiat præcepto relationis nostrorum operum in Deum, certis quibusdam temporibus actualis relatio requiritur. 95

LIBER TERTIUS.

De operibus infidelium, atque peccatorum, quæ ex sui objecto sunt bona, aliundeque nullum in se vitium vel propter circumstantias, vel propter finem proximum habent. 96

Cap. I. De medio illo amore, qui inter laudabilem caritatem, et vitiosam cupiditatem intercedit. 97
Prop. I. Qui est irretitus vitiosa cupiditate, quandoque agere potest, atque revera agit, quod secundum nullam sui rationem est conforme vitiosæ cupiditati. 98
Prop. II. Propter vitiosam cupiditatem non fit, ut homo

in quibuscumque suis operibus semper peccet ob deficientiam relationis illorum in Deum. 105
Cap. II. De ea virtute, quæ potest esse etiam in illis, qui detinentur vitiosa cupiditate. 107
Prop. Virtus imperfecta esse potest, et quandoque revera est in homine vitiosa cupiditate detento. 108
Cap. III. De medio illo opere, quod neque a laudabili caritate, neque a vitiosa cupiditate proficiscitur. 114
Prop. Qui vitiosa cupiditate laborant, quandoque agere possunt, atque revera agunt aliqua opera ex officio bona, quæ aliunde ex fine, vel circumstantiis in se nullam labem peccati continent. 115
Cap. IV. De disputatione S. Augustini de virtutibus contra Pelagianos. 119
Prop. I. Etiam in infidelibus esse virtutes *veras*, Juliani Pelagiani sententia fuit. ibid.
Prop. II. Julianus in eo quoque erravit, ut veritatem virtutum ex honestate officii solummodo repeteret. 120
Prop. III. S. Augustinus contra Julianum propugnavit, illam tantum virtutem esse veram, quæ in Deum tendit, sicuti in ultimum finem. ibid.
Prop. IV. S. Augustinus contra Julianum propugnavit, virtutes non solum ex officio, sed etiam ex fine esse pensandas, atque contra ipsum statuit, vitia esse illas virtutes, quæ ad pravum finem referuntur. ibid.

LIBER QUARTUS.

De motibus concupiscentiæ quatenus in hac vita iisdem subjicimur, tum quatenus propter illos non evadimus obnoxii peccato. 122

Cap. I. De concupiscentiæ motibus, quatenus in hac vita iisdem subjicimur. 123
Prop. Etiam in statu perfectionis sensualitas spiritui, et rationi non omnino subjicitur: proindeque in quocumque statu hujus vitæ subjecti sumus motibus sensualitatis ibid.
Cap. II. De iis motibus concupiscentiæ, qui non imputantur ad culpam. 125
Prop. Illi inordinati motus concupiscentiæ, qui rationem advertentem omnino præveniunt, nobisque invitis, excitantur, neque gravis, neque levis peccati reos faciunt, semel ac iisdem obsistamus. ibid.

LIBER QUINTUS.

De ignorantia, quatenus a peccato excusat. 129

Cap. I. De ignorantia invincibili in se spectata, nulla habita ratione illorum, circa quæ versatur, quatenus ipsa a peccato excusat. ibid.
Prop. Ignorantia invincibilis a peccato excusat, idcoque non sunt peccata, quæ ob illam fiunt. 130
Cap. II. De ignorantia invincibili, habita ratione præceptorum naturæ. 133
Prop. Ignorantia invincibilis a peccato excusat, quamvis versetur circa ea præcepta legis naturæ, quæ pendent ab aliis primis. ibid.

LIBER SEXTUS.

De specifica diversitate peccatorum, habita ratione offensæ Dei, ipsorumque gravium peccatorum majori, vel minori gravitate. 137

Cap. I. De specifica distinctione peccatorum, habita ratione offensæ Dei. ibid.
Prop. Non omnia peccata sunt gravia ex sui natura, sed aliqua dantur, quæ quidem non ex non imputatione, sed ex sui natura sunt levia. 138
Cap. II. De inæquali gravitate peccatorum. 140
Prop. Non omnia peccata sunt paria, seu æqualis gravitatis, sed gravium peccatorum unum est altero magis grave. ibid.

LIBER SEPTIMUS.

De passionibus, levibusque peccatis, quatenus iisdem etiam justi sunt obnoxii. 142

Cap. I. De passionibus, quatenus iisdem etiam justi sunt obnoxii. ibid.
Prop. Vita hominum, quantumvis justorum, et perfectorum, est subjecta passionum incitamentis; unde virtutis est moderari, et regere passiones secundum regulam rationis, non vero illas extinguere. 143
Cap. II. De peccatis levibus, quatenus iisdem etiam justi sunt obnoxii. 144
Prop. Quamvis singula peccata levia ab homine justo sine peculiari auxilio divinæ gratiæ vitari possint, non tamen omnia collective. 145

LIBER OCTAVUS.

De Peccatis, quatenus ex iis nullum est, quod remitti non possit. 148

Cap. I. De ea potestate, quæ est in Ecclesia, remittendi quævis peccata. ibid.
Prop. Nullum est peccatum, quod per pœnitentiam expiari, et auctoritate Ecclesiæ remitti non possit. ibid.
Cap. II. De disciplina, quæ tribus primis Ecclesiæ seculis servata fuit in absolutione quorumdam criminum capitalium. 153
Prop. I. Ecclesia summo jure utens generali lege non potest interdicere communionem Sacramentorum reis criminum capitalium, qui implorant misericordiam illius, et veræ pœnitentiæ non dubia argumenta præseferunt. ibid.
Prop. II. Si illorum argumentorum ratio habeatur, quibus SS. Patres, Cyprianus, Dionysius Alexandrinus, Pacianus, et Ambrosius errorem Novatianorum confutarunt, unicuique perspectum esse debet, non solum eo tempore, quo ipsi decertarunt contra Novatianos, sed etiam anteriori reis quorumcumque criminum, revera pœnitentibus, communionem ab Ecclesia denegatam non fuisse. 156

LIBER NONUS.

De Peccato Philosophico. 157

Cap. I. De contrarietate, quam habet etiam cum lege Dei illud peccatum, quod est contra naturam rationalem, rectamque rationem. 159
Prop. Quod naturæ rationali, rectæque rationi adversatur, simul etiam adversatur legi æternæ Dei. ibid.
Cap. II. De culpa theologica peccati, etiamsi actu non habeatur attentio ad pravitatem actionis, aut ad offensam Dei, quando illud committitur. 160
Prop. Peccatum est offensa, atque meretur æternam pœnam, etiamsi actu non habeatur attentio aut ad pravitatem actionis, aut ad offensam Dei, quando illud committitur. ibid.
Cap. III. De culpa theologica peccati, etsi qui peccat, præviam cognitionem peccati, sua tamen culpa, non habeat, aut prævio desiderio vitandi peccatum non agatur. 162
Prop. Peccatum theologicum revera committitur, licet ob suam culpam peccator aut præviam cognitionem peccati non habeat, aut prævio desiderio vitandi peccatum non agatur. ibid.

DISPUTATIO XI.

De Legibus. 163

LIBER PRIMUS.

De Lege Æterna. 164

Cap. I. De existentia legis æternæ. ibid.
Prop. Lex æterna in Deo debet admitti. ibid.
Cap. II. De origine, quam omnes leges habent ab æterna. 165
Prop. Omnes leges, sicut a sua causa, proficiscuntur ab æterna. ibid.

LIBER SECUNDUS.

De Lege Naturali. 166

Cap. I. De infusione legis naturæ, quæ est in nobis. 167
Prop. I. Nemo in dubium potest revocare, quædam ex sui natura esse honesta, rectæque rationi consentanea, alia vero ex se turpia, ac rectæ rationi omnino per se opposita. ibid.
Prop. II. Undequaque constat, nobis infusam esse legem naturæ. 169
Cap. II. De primo, et præcipuo fundamento legis naturæ. 171
Prop. I. Conservatio sui ipsius non est primum, et præcipuum fundamentum legis naturæ. ibid.
Prop. II. Falsum est, jus naturæ *proprie* dictum proficisci a custodia societatis humanæ, jus autem naturæ *laxius* a judicio eorum, quæ delectant, aut nocent. ibid.
Prop. III. A quolibet societatem colendam esse, non est primum fundamentum legis naturæ. 172
Prop. IV. Nulla ratio patitur, ut istud habeamus pro primo fundamento legis naturæ, videlicet: *Esse facienda, quæ vitam humanam felicem reddunt, et maxime diuturnam; vitanda pariter, quæ vitam humanam reddunt infelicem, et mortem accelerant.* 173
Prop. V. Neque triplex Barbeyracii, et Burlemaquii principium, neque Heinnecii universalis amor, aut triplex amor Dei, sui, et aliorum, neque Cumberlandii benevolentia universalis, haberi possunt uti primum fundamentum legis naturæ. ibid.
Prop. VI. Fundamentum, seu primum principium legis naturæ est istud: bonum faciendum est, et malum vitandum, prout humanæ naturæ præditæ ratione convenit. 174

Cap. III. De primis præceptis legis naturæ. 175
§. I. De vitæ conservandæ primo naturali præcepto, quod respondet primæ inclinationi quo ad conservationem sui. 176
Prop. I. Vitam conservandam, eaque vitanda, quæ obstant conservationi ejus, est primum legis naturæ præceptum, quod respondet inclinationi omnium primæ quo ad conservationem sui. ibid.
Prop. II. Oportet, ut judicio rationis semper regamus hanc naturalem inclinationem ad conservationem nostri. ibid.
§. II. De altero legis naturæ præcepto conservandæ speciei, quod respondet inclinationi naturali generandi sibi simile. 177
Prop. I. Humanam speciem esse conservandam, est alterum legis naturæ præceptum, quod respondet inclinationi naturali generandi sibi simile. ibid.
Prop. II. Hæc inclinatio generandi sibi simile, quæ est a natura, oportet, ut regatur judicio rationis. 178
§. III. De tertio universali præcepto legis naturæ, quod manat ex ea inclinatione naturali, qua singulariter ducimur ad agendum, prout est proprium humanæ naturæ. ibid.
Prop. I. Recte nos habere quo ad Deum, et alios, est tertium universale præceptum legis naturæ, quod proficiscitur ex ea inclinatione, qua ducimur ad agendum, prout singulariter convenit humanæ naturæ. ibid.
Prop. II. Licet in hac triplici divisione universalium præceptorum legis naturæ in tertio præcepto omissa esse videatur obligatio de recte nos habendo quo ad nos ipsos, revera tamen non est omissa, sed in illo includitur. ibid.
Prop. III. Judicio rationis debet adverti, ne in iis officiis, quibus respicimus Deum, aut alios a nobis, ratio inferior prævaleat contra superiorem. 179
Cap. IV. De defectu legis naturæ habita ratione directionis actuum humanorum. ibid.
Prop. I. Ex lege naturæ sufficienter nosse non possumus, unde sit illa ignorantia, qua omnes laboramus. 180
Prop. II. Si ad legem naturæ tantum attendamus, neque etiam principium illorum videre possumus, quæ intra nos sentimus. 181
Prop. III. Ea est indoles nostrarum inclinationum, ut illarum conditio ex solis legis naturæ principiis perspici non possit. ibid.
Prop. IV. Ipsa lex naturæ in se spectata, non sufficit ad directionem actuum humanorum. ibid.
Cap. V. De eo lumine, quod nobis affulget ex Sacris litteris ad rectam, completamque directionem nostri. 184
Prop. Ex Sacris litteris nobis affulget illud lumen, quod necessarium est ad rectam, et completam directionem nostri. ibid.

Cap. VI. De jure gentium. 186
Prop. I. Admitti debet jus gentium tum absolute universale, tum non prorsus universale. ibid.
Prop. II. Jus gentium a jure naturæ distingui debet. 187
Cap. VII. De consuetudine. ibid.
Prop. Aliquæ conditiones simul conjungi debent cum consuetudine, ut ipsa loco cujusdam legis possit haberi. 188

LIBER TERTIUS.

De Lege Veteri. 189

Cap. I. De origine veteris legis. ibid.
Prop. Veterem legem a Deo profectam fuisse, constat. ibid.
Cap. II. De fine veteris legis. 190
Prop. I. Deus promulgatione veteris legis subvenit infirmitati humanæ naturæ. ibid.
Prop. II. Lex vetus data quoque fuit, ut fides explicita in Christum venturum conservaretur, atque augeretur, et homines præpararentur ad illum suscipiendum. 191
Prop. III. Finis ultimus legis scriptæ fuit supernaturalis finis hominis. ibid.
Cap. III. De natura, et conditione veteris legis. ibid.
Prop. I. Lex vetus fuit in se bona, non ita tamen, ut per eam homines pervenire possent ad vitam æternam. ibid.
Prop. II. Servantibus veterem legem promissio præcipue bonorum temporalium facta fuit, ut per ea ad amorem Dei excitarentur. 193
Prop. III. Lex vetus actus quoque internos complectebatur, eosque vel præcipiebat, vel vetabat, prout boni, vel mali erant. ibid.

LIBER QUARTUS.

De Lege Evangelica. 194

Cap. I. De lege evangelica, quatenus continet rationem veræ legis. 195
Prop. I. Lex evangelica nihil eorum non habet, quod ad veram legem requiruntur. ibid.
Prop. II. Qui negant, legem evangelicam habere in se rationem veræ legis, e medio tollunt ipsam Religionem Christianam. 196
Cap. II. De Jesu Christo legislatore. ibid.
Prop. Christum fuisse legislatorem, evidenter constat ex Sacris litteris. ibid.

DISPUTATIO XII.

De Gratia. 200

LIBER PRIMUS.

De Gratia, quæ singulariter dicitur gratis data. 203

Cap. unicum. De natura gratiæ gratis datæ. ibid.
Prop. I. Datur gratia gratis data, eaque est multiplex juxta Apostolum Paulum. ibid.
Prop. II. Gratia gratis data, si spectetur in se, est ordinata ad salutem aliorum, quamvis prodesse possit ad salutem etiam illius qui eamdem habet. 204

LIBER SECUNDUS.

De Gratia gratum faciente, quatenus est undequaque gratuita. ibid.

Cap. I. De initio, progressu, et complemento bonorum operum, quatenus sunt a gratia Dei. 205
Prop. I. Initium boni operis est a supernaturali dono gratiæ. 206
Prop. II. Progressus, et complementum boni operis est a Deo. 208
Cap. II. De ea gratia, quæ requiritur ad initium, progressum et complementum bonorum operum. 209
Prop. Gratia, quæ requiritur ad initium, progressum, et complementum boni operis, non solum lumine quidem suo in intellectum, sed etiam sua virtute potissime agit in voluntatem. 210
Cap. III. De præparatione ad gratiam. 211
Prop. I. Solis naturæ viribus ne optare quidem possumus auxilium gratiæ. 212
Prop. II. Solis naturæ nostræ viribus petere non possumus auxilium gratiæ. 213
Prop. III. Gratia prævia requiritur, ut homo quovis modo, et secundum quamlibet rationem, se præparare possit ad gratiam. 214
Cap. IV. De ea gratuita ratione, quam gratia habet in se ex sui natura. 216
Prop. Gratia est supernaturale Dei donum ex sui natura undequaque gratuitum. ibid.
Cap. V. De illo effato, quo asseritur, Deum largiri gratiam facienti, quod in se est. 220

Prop. I. Semel ac illud effatum: facienti quod ex se est, Deus non denegat suam gratiam, ita quis accipiat, ut quod homo per se facit, vel facere potest, veluti ratio habeatur, aut causa, vel etiam occasio gratiæ, quæ confertur, Sacræ Scripturæ, definitionibus Conciliorum, et auctoritati Patrum contradicit. ibid.

Prop. II. Illud effatum: facienti quod est in se, Deus non denegat suam gratiam, ita accipi debet, ut qui facit quod est in se, prævenientis auxilio gratiæ id facere intelligatur. 223

LIBER TERTIUS.

De gratia sufficienti. 227

Cap. I. De existentia, et natura gratiæ sufficientis. 231

Prop. I. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ aliquando resistitur. ibid.

Prop. II. Gratia, de qua in præcedenti propositione egimus, potentiæ virtutem confert ad efficienda opera salutis. 233

Prop. III. Gratia, de qua egimus in duabus præcedentibus propositionibus, est gratia sufficiens juxta communem acceptionem Thomistarum, quibus S. Doctor Augustinus jam præiverat. 234

Prop. IV. Admitti debet auxilium revera sufficiens, quod ab efficaci ex sui natura distinguatur. 237

Cap. II. De systematibus, in quibus nullus locus reliquus esse videtur gratiæ sufficienti, quæ conferat et perficiat potentiam ad opera salutis. 241

Prop. I. In systemate Molinæ, atque etiam Congruistarum nullus locus reliquus esse videtur gratiæ sufficienti, quæ conferat potentiam ad opera salutis. 242

Prop. II. In systemate delectationis victricis nullus locus reliquus esse videtur gratiæ sufficienti, quæ potentiam ad opera salutaria conferat. 243

Cap. III. De eo principio ex quo contingit, ut non omnis, qui habet auxilium sufficiens consequatur etiam efficax. 245

Prop. Non provenit ex defectu ipsius auxilii sufficientis, sed ex defectu hominis, ut non omnis, qui habet auxilium sufficiens, etiam efficax consequatur. ibid.

Cap. IV. De iis, quibus datur, vel non datur auxilium sufficiens. 247

Prop. I. Primus homo in gratia creatus a Deo habuit intrinsecum auxilium sufficiens, quo in accepta gratia, et justitia perseverare posset. ibid.

Prop. II. Qui sunt in gratia Dei constituti, et justificati ha-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

bent a Deo auxilium sufficiens intrinsecum, quo in accepta gratia, et justitia perseverare possint. ibid.
Prop. III. Cum maxima probabilitate dicitur, omnibus fidelibus, quamvis gravi peccato detentis, dari interiorem sufficientem gratiam, qua a peccato possint resipiscere. 250
Prop. IV. Non omnes obcæcati, atque indurati semper accipiunt a Deo sufficientem gratiam interiorem, qua a via sua mala possint resipiscere. ibid.
Prop. V. Iis infidelibus, qui nihil audierunt de fide, nulla datur gratia sufficiens interna ad salutem. 254
Prop. VI. Plures parvuli destituuntur interiori sufficienti gratia ad salutem. 256

LIBER QUARTUS.

De Gratia efficaci ejusque mira consensione cum arbitrii nostri libertate. 257

Cap. I. De efficacia Gratiæ. 259
Prop. I. Gratia ex se, atque ex sui natura efficax admittatur, oportet. ibid.
Prop. II. Gratia Dei ab omnipotentia ejus, et supremo dominio supra voluntates hominum suam efficaciam habet. 261
Prop. III. Deus efficacia suæ gratiæ physice movet nostram voluntatem ad bonum supernaturale. 263
Prop. IV. Deus sua gratia efficaci ita movet liberum arbitrium, ut ipsum infallibiliter Deo moventi cooperetur. 264
Prop. V. Gratia efficax quo ad suam efficaciam non pendet a prævio consensu voluntatis humanæ. 265
Prop. VI. Gratia est efficax independenter a prævisione futuri consensus humani in quibusdam circumstantiis. 268
Prop. VII. Semel ac ponatur gratiam sua delectatione esse relative victricem, vera illius efficacia solvitur. 273
Prop. VIII. Gratiam efficacem esse relative victricem, opponitur iis principiis, in quibus S. Augustinus efficaciam gratiæ reposuit. ibid.
Prop. IX. Essentia gratiæ efficacis reponi non potest in cælesti delectatione relative victrici, quæ vincat conatus cupiditatis terrenæ. 276
Cap. II. De admirabili consensione gratiæ efficacis cum arbitrii nostri libertate. 281
Prop. I. Ipsa natura liberi arbitrii nullo modo exigit, ut tam bene, quam male agere possit, sed hoc alterum, licet sit signum libertatis, est tamen imperfectio liberi arbitrii. 282

Prop. II. Perficitur liberum arbitrium, quando superiori virtute movetur ad bene agendum. ibid.
Prop. III. Liberum arbitrium in se non habet, unde possit facere opera supernaturalis ordinis, ac propterea gratia efficaci perficitur, quando virtute illius talia opera facit. 283
Prop. IV. Quod Deus sit primus motor, quando sua gratia efficaci nos movet ad agendum, nullo modo obstat libertati arbitrii, sed illi est omnino consentaneum. ibid.
Prop. V. Ut libere velimus, et operemur, ipsa efficacia gratiæ facit. 284
Prop. VI. Liberum arbitrium ad sui integritatem nullo modo exigit, ut habeat potentiam frangendi motum voluntati impressum ab efficaci gratia. 285
Prop. VII. Liberum arbitrium sub efficaci gratia retinet potentiam, qua illi potest dissentire. 289

LIBER QUINTUS.

De ceteris divisionibus gratiæ actualis. 294

Cap. I. De Gratia excitante, et adjuvante. 295
Prop. I. Gratia convenienter dividitur in excitantem, et adjuvantem. ibid.
Prop. II. Gratia excitans completa habet in se veram rationem gratiæ sufficientis. 296
Cap. II. De Gratia operante, et cooperante. 297
Cap. III. De Gratia præveniente, et subsequente. 298

LIBER SEXTUS.

De Gratia habituali. 299

Cap. I. De Gratia habituali, quatenus est donum nobis intrinsece collatum a Deo. ibid.
Prop. Gratia habitualis est intrinsecum donum supernaturale in nobis existens. 300
Cap. II. De natura habitualis gratiæ. 301
Prop. Gratia habitualis in quadam qualitate consistit, quæ habitus merito dicitur. 302
Cap. III. De ea distinctione, quæ intercedit, inter gratiam habitualem, et caritatem. 303
Prop. Gratia spectata in se realiter distinguitur a caritate. ibid.
Cap. IV. De necessitate actualis gratiæ cooperantis etiam in justis ad salutariter operandum juxta habitus infusos. 305

Prop. I. Habentes habitum fidei, spei, et caritatis indigent actuali Dei auxilio ad eos salutares actus, qui respondent hujusmodi habitibus. ibid.
Prop. II. Illud divinum auxilium, quo justi indigent ad operandum juxta habitus infusos, est simul excitans, et cooperans. 308

LIBER SEPTIMUS.

De necessitate gratiæ ad verum. 309

Cap. I. De veritatibus ordinis naturalis, quatenus gratia non requiritur ad illas cognoscendas. ibid.
Prop. I. Homo in præsenti statu non indiget nova illustratione superaddita lumini rationis ad cognoscendas veritates speculativas ordinis naturalis. ibid.
Prop. II. Licet homo in hoc statu solo lumine rationis possit cognoscere singulas veritates speculativas, non tamen potest collective omnes. 310
Prop. III. Homo in hoc statu sine singulari auxilio gratiæ cognoscere potest viribus propriis aliquas veritates morales. ibid.
Prop. IV. Homo in statu præsenti solo naturali lumine absque illustratione non potest cognoscere collective omnes veritates morales, quæ ad directionem morum requiruntur. 312
Cap. II. De veritatibus ordinis supernaturalis, quatenus gratia requiritur, ut iisdem assentiamur, et fidem præbeamus. 313
Prop. I. Actus fidei secundum suam substantiam spectatus est supernaturalis. 314
Prop. II. Nemo suis viribus, et sine gratia Dei assentiri potest revelatis, quatenus a Deo sunt revelata. ibid.
Prop. III. Gratia est necessaria simpliciter, ut affectus ad credendum in nobis exurgat, et oriatur desiderium salutis. 316
Prop. IV. Gratia, quæ requiritur ad initium fidei, non minus suo lumine intellectum, quam sua virtute voluntatem prævie debet afficere. 318

LIBER OCTAVUS.

De necessitate gratiæ ad bonum faciendum. 319

Cap. I. De ea virtute, quæ est in nobis ab bonum ordinis naturalis. 320

Prop. Homo nunc ex se virtutem non habet servandi omnia præcepta legis naturæ, ne quo ad substantiam quidem, sed sunt aliqua difficiliora, quæ sine auxilio gratiæ servare non potest. 321
Cap. II. De necessitate gratiæ ad vitanda peccata. 322
Prop. I. Homo in statu peccati diu abstineri non potest ab omni peccato gravi. ibid.
Prop. II. Qui sanatus est habituali gratia, adhuc indiget auxiliante gratia, ut possit diu vitare levia peccata. 324
Cap. III. De necessitate gratiæ ad repellendas tentationes. ibid.
Prop. I. Gratia Dei nullo modo influit in victoriam, quæ ob pravum finem reportatur supra tentationes. 325
Prop. II. Nulla tentatio, quamvis levis, ex caritate Dei, et prout oportet ad salutem, vinci potest absque peculiari auxilio gratiæ Dei, quæ datur per Christum. ibid.
Prop. III. Ex superioribus propositionibus non consequitur, leves tentationes secundum proprias vires vinci non posse ab hominibus ductis ipsa honestate operis. 327
Prop. IV. Constat etiam ex definitionibus Ecclesiæ, loca Scripturæ, et Patrum accipi ea ratione debere, quam modo explicavimus. 329
Prop. V. Homo in statu naturæ corruptæ, sine auxilio gratiæ aliquas leves tentationes vincere potest, ductus ipsa honestate operis, quæ nullam vitiosam circumstantiam secum intermixtam habeat. 330
Prop. VI. Nunc homo sine singulari gratiæ auxilio nullam gravem tentationem vincere potest. ibid.
Cap. IV. De necessitate gratiæ ad diligendum Deum super omnia uti auctorem naturalem. 333
Prop. Homo in statu naturæ lapsæ ad diligendum Deum super omnia uti auctorem naturæ indiget auxilio gratiæ sanantis naturam. ibid.
Cap. V. De necessitate gratiæ ad opera salutaria. 336
Prop. I. Possunt homines etiam non justi servare divina mandata. 337
Prop. II. Justi etiam ob rationem singularem divina mandata servare possunt. 338
Prop. III. Possibilitas hominis ad servanda divina mandata est a gratia. 340
Prop. IV. Gratia actualis est necessaria ad quævis opera salutaria. ibid.
Cap. VI. De necessitate gratiæ ad perseverandum. 341
§. I. De necessitate gratiæ ad perseverandum, habita ratione status naturæ corruptæ. 342
Prop. I. Homo indiget auxilio gratiæ ad perseverandum. 343
Prop. II. Auxilium gratiæ ad perseverandum est distinctum

a gratia habituali, et ab habitibus infusis. ibid.
Prop. III. Perseverantia haberi debet uti singulare donum Dei non solum in iis, qui diu vixerunt in hac vita post acceptam justificationem, sed etiam in aliis tam pueris, quam adultis, qui a recepta justificatione per baptismum, vel pœnitentiam statim moriuntur. 345
Prop. IV. Donum perseverantiæ quam maximam efficaciam, eamque a Deo habet. 346
Prop. V. Duplex perseverantia, una quidem, quam habeant confirmati in gratia, altera, quæ sit communis omnibus justis, ad arbitrium confingitur. 347
§. II. De necessitate gratiæ ad perseverandum, habita ratione naturæ integræ. 348
Prop. I. Primus homo, atque Angeli ad se convertendum in Deum uti in ultimum finem, atque ad perseverandum indiguerunt auxilio gratiæ virtute Dei ab intrinseco efficacis. 349
Prop. II. Quæ Jansenius firmissima principia S. Augustini Molinistis opposuit, hac sua opinione omnino convellit. 355

LAUS DEO.

IMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Franciscus Xaverius Passeri Archiepiscopus Lariss. Vicesgerens.

IMPRIMATUR

Fr. Vincentius Pani Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apostolici Magister.

7243
230
C 26
Cerboni, T
AUTHOR
Institutiones Theologicae
TITLE
Vol. IV.